JOSEPHI AVERANII,

V. CL. Juriſconſulti, & in illuſtri Academiâ Piſanâ, dùm viveret, Anteceſſoris,

INTERPRETATIONUM JURIS

LIBRI QUINQUE;

IN QUIBUS MULTA CUM JURIS CIVILIS, tùm aliorum Veterum Scriptorum loca novâ ratione illuſtrantur:

Multa item ex Antiquitate Romanâ Græcâque doctè pertractantur.

EDITIO NOVISSIMA

In duos Tomos diſtributa, cum Indicibus, & Vitâ Auctoris.

TOMUS SECUNDUS.

LUGDUNI,

Typis PETRI BRUYSET,

Sumptibus FRATRUM DE TOURNES.

M. DCC. LI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

Quæ in Tomo ſecundo continentur.

LIBER QUARTUS.

CAPUT I. *Explicatur copioſè L. heredes mei §. cùm ita ff. ad S. C. Trebell. & ex eâ pluribuſque aliis confutatur veterum Interpretum ac omnium pragmaticorum ſententia, quòd teſtator cenſeatur voluntatem ſuam conformare ad diſpoſitionem juris communis, ſive ſtatuti. Lex potiùs voluntati diſponentium ſe accommodat, quàm intendat eos ad ſuam diſpoſitionem conformare. Adverſariorum argumentis reſpondetur.*

CAP. II. *Reprobatur opinio, quòd vocatis maſculis & feminis, admittantur ſoli maſculi; feminæ verò ſolummodò vocatæ cenſeantur poſt maſculos. Probatur verò feminas ſimul cum maſculis eſſe admittendas. Idem eſt, quando teſtator feminas maſculis æquavit, & eas æquè ac maſculos vocavit. Lex definivit conjunctim vocatos, conjunctim eſſe admittendos. Perſonas æqualiter vocatas conjunctim ſuccedere ſuadet tùm vis verborum, tùm auctoritas legum.*

CAP. III. *Vocatis filiis; feminæ vocatæ cenſentur, niſi teſtator de ſolis maſculis cogitaverit. De his ſolis cogitaſſe conjicitur, cùm in aliâ teſtamenti parte de filiis maſculis locutus eſt: quod non eſt repetere qualitatem, ſed declarare verbum ambiguum. Hujuſmodi conjectura potentior aliis, quæ ſolent à Doctoribus ferri. Rejicitur regula contraria.*

CAP. IV. *Proponitur, & explicatur regula: hereditas non adita non tranſmittitur: Quæ ſit ratio hujus regulæ inveſtigatur. Heres ſive teſtamentarius ſive ab inteſtato acquirit hereditatem auctoritate legis, vel quæ confirmat teſtamentarias hereditates, vel ab inteſtato defert certis perſonis. Heres ejus, cui delata fuit hereditas, nullum jus habet, quia ei delata non eſt, neque lex potuit ejus vocationem confirmare. Quæ in contrarium afferuntur, confutantur.*

CAP. V. *Legatum etiam non agnitum ad heredes legatarii tranſmittitur, eo defuncto, poſtquàm ceſſit dies legati. In legatis puris, ſive in diem relictis cedit dies à morte teſtatoris, etiamſi non adita fuerit hereditas, nec adiri poſſit. Conditiones aliæ veniunt ex teſtamento, & ſuſpendunt diei ceſſionem, aliæ veniunt extrinſecùs, & non ſuſpendunt. In quibuſdam legatis cedit dies ab aditâ hereditate. In legatis conditionalibus dies cedit exiſtente conditione, & non tranſmittuntur legatario decedente, antequàm exiſtat. Conditio certò extitura vivo legatario non impedit tranſmiſſionem.*

CAP. VI. *Proponitur quæſtio: an fideicommiſſum univerſale non agnitum*

ad heres tranſmittatur : in utramque partem diſputanda. Negantium ſententia producitur, & eorum argumenta refelluntur. Plures LL. explicantur.

CAP. VII. *Afferuntur fundamenta, quibus probatur fideicommiſſum univerſale etiam non agnitum ad heredes tranſmitti, ea verò tamquàm infirma evertuntur, quâ occaſione nonnullæ LL. explicantur.*

CAP. VIII. *Fideicommiſſum univerſale etiam non agnitum ad heres tranſmitti conſtituitur, dum fideicommiſſarius decedat, poſt quàm dies ceſſit. Cedere diem ac tranſmitti legatum vel fideicommiſſum ſunt inter ſe connexa, ut unum ex altero neceſſariò ſequatur. In fideicommiſſis univerſalibus dies cedit ſicut in legatis, ac fideicommiſſis particularibus. Examinantur plures LL. hanc ſententiam confirmantes.*

CAP. IX. *In obſcuris inſpicitur, quod veriſimilius eſt. Ad veriſimilius judicandum potiſſimè conſideranda eſt natura actus, qui geritur, & quod plerumque fieri ſolet, & conditione, & pacta adjecta. Exempla afferuntur.*

CAP. X. *Verba obſcura intelligenda ſunt juxta naturam actus, & juxta ſolitum, multo magis ſi hæc fuerint quodammodo indicata. Id, quod eſt de natura actus, à lege ſuppletur, ſi deſit, vel detrahitur, ſi quid abundet. Plures LL. recenſentur, quibus hoc probatur.*

CAP. XI. *Voluntas diſponentis, ſi quidem manifeſta ſit, potiùs obſervanda, quam natura actus. Legatum vel hereditas aliter, quam juris eſt, dividuntur ex voluntate teſtatoris. In diviſione cujuſque rei juſta proportio inter partes ſervanda. Exempla de ratione dividendæ hereditatis proponuntur. Computatio quæ conſtituitur à Juſtiniano in L.* cum quæſtio 23. C. de leg. *generaliter non obtinet, at eſt in ea ipſa ſpecie dumtaxat obſervanda.*

CAP. XII. *Diſputatur accuratè, an regula : Ex natura contractus voluntatem agentium debemus interpretari : vincat alteram : Id quod actum fuit ſequi debemus. In contractibus tria conſiderantur, ſubſtantia, natura, accidentia. Si quid contra ſubſtantiam actum ſit, non valet, aut in alium contractum convertitur. Plura de precario. Id quod actum eſt prævalet, ſi quidem ſit contra proprietatem, contra quam fieri lex non prohibet; natura actus prævalet, vel cum id, quod geritur, eſt omnino inutile, vel cum in alium actum transformatur. Plura exempla afferuntur. Id quod actum eſt contra accidentia ſemper prævalet. Hæc regula pluribus aliis præferenda.*

CAP. XIII. *Quæ non intelliguntur, pro non ſcriptis habentur. Obſcuritas diſpoſitionis verſari poteſt vel circa perſonam, in quam diſpoſitio confertur, vel circa rem, de qua diſponitur. Si perſona non demonſtretur, inutilis eſt diſpoſitio. Diſpoſitio incerta valet, quotieſcumque certa fit ex legis interpretatione, vel per electionem à lege, vel à diſponente conceſſam. Conciliatur* L. 3. §. ſi duobus 7. ff. de adim. leg. cum L. ſi fuerit 10. in princ. ff. de reb. dub.

CAP. XIV. *Agitur de obſcuritate diſpoſitionis, quæ verſatur circa rem, & eam reddit incertam. Si res neque ex certis conjecturis, neque ex natura ipſius rei, neque ex alia cauſa certa fiat, non valet diſpoſitio. Plura exempla afferuntur, pluresque LL. explicantur.*

CAP. XV. *Agitur de incerta quantitate. Aut incerta eſt ſola quantitas rei, aut præter quantitatem incerta quoque eſt*

Digitized by Google

ipſa res. Incerta quantitas vitiat ſolum obligationes rerum, quæ numero, pondere, menſurâ conſtant. Si quantitas ex eventu certa futura ſit, obligatio contrahitur. Exempla in contractibus, hereditatibus, legatis, in ipſâ dote afferuntur.

CAP. XVI. *Error in quantitate actûs non vitiat, & voluntas agentis ſervatur etiam contrà ſcripturam. Exempla in hereditate & legatis. Error in quantitate pretii vitiat emptionem, & venditionem: in cæteris contractibus non facilè obrepit. Plura de duabus ſcripturis diverſas ſummas continentibus.*

CAP. XVII. *In obſcuris, ſi de voluntate non conſtet, quod minimum eſt ſequi debemus tùm in ſtipulationibus, tùm in legatis, tum etiam in ſententiis. Sententia pro privilegiario, & pro paupere an ſit præferenda. Confutantur argumenta, quæ contrà hanc regulam afferuntur.*

CAP. XVIII. *Duæ lectiones textûs diligenter expenduntur, quæ ſit verior conſtituitur. Probatur luculenter Scævolæ reſponſum non fundari in favore piæ cauſæ. Quid pietatis nomine Veteres intelligerent. De pietatis officiis, quæ ad commercia, & ad ſocietatem ſervandam pertinent, tractabant JCti, non verò de cultu Deorum. Favor cauſæ piæ juxta præſcripta Chriſtianæ Legis is non eſt, ut abducamur à regulâ in ſuperiore propoſitâ.*

CAP. XIX. *Eadem res pluribus legata aliquandò tota omnibus debetur, aliquandò uni tantummodò.* Proponuntur *ſpecies, in quibus unum aut alterum locum habet, atque uberrimè explicantur. Plures LL. exponuntur & conciliantur.*

CAP. XX. *Idem corpus bis vel pluries uni legatum, ſi in eodem teſtamento legetur, ſemel tantùm debetur, ſi in duorum teſtamento, ex utroque peti poteſt. Quantitas verò legata in utroquè caſu multùm differt. Eâdem re omnibus legatâ, omnes concurrunt, & inter eos ſcinditur. Diverſâ autem re ſingulis legatâ, ſinguli integrum conſequuntur: Afferuntur exempla, & accuratè expenduntur.*

CAP. XXI. *Proponitur regula Catoniana: Quod ab initio inutile fuit, ex poſtfacto non convaleſcit: & luculenter explicatur & exemplis ornatur. Recenſentur regulæ exceptiones, & earum exempla afferuntur.*

CAP. XXII. *Regula in ſuperiore propoſita potiſſimè pertinet ad contractus, in quibus initium ſpectatur, non verò ad legata, in quibus ſpectatur tempus, quo dies cedit. Afferuntur rationes differentiæ inter contractus & legata, ejuſque effectus recenſentur. Contractus vitioſus eſt, qui laborat vitio intrinſeco, non verò impedimento accidentali, quo remoto contractus ſubſiſtere poſſet. Utrumque explicatur, & exemplis exornatur.*

CAP. XXIII. *In judiciis ſpectatur tempus rei judicatæ: & quamvis ab initio inutiliter fuerint inſtituta, ex poſtfacto convaleſcere poſſunt. Quæ poſt judicium acceptum acciderunt, in judicium non veniunt. Contractus in quibus requiritur juſſus vel mandatum, quod ab initio non intervenerit, convaleſcunt, ſi ratihabitio ſubſequatur.*

CAP. XXIV. *Regula: quæ initio rectè conſtituta fuerunt, reſolvuntur, ſi inciderint in eum caſum, à quo incipere non poterant: locum habet vel quoties res, de quâ ab initio contrahi poterat, in eum caſum recidit, ut de eâ ampliùs contrahi non poſſit: vel ſi perſonæ, quæ erant ejus rei capaces, poſteà incapaces fiant. Utrumque explicatur, & exempla afferuntur.*

Digitized by Google

Cap. XXV. *Ex ſuperioris regulæ exceptionibus conſlata eſt alia regula contraria: quod jure geſtum eſt, non debet retractari, licèt evenerit caſus, à quo inchoari non poterat: Hæc luculenter explicatur.*

Cap. XXVI. *Hæc regula: quæ initio conſtituta ſunt, reſolvuntur, ſi in eum caſum inciderint, à quo incipere non poterant: non pertinet ad actus imperfectos, neque ad eos, qui finem & exitum ſuum conſecuti ſunt: neque ad actus perfectos, in quibus aliquid deficit, quod ad eorum ſubſtantiam & ſolemnitatem pertineat. Actus perfectus non retractatur, ſi poſſit expletum finem ſortiri. Si verò non poſſit, corrumpitur & perit. Hoc evenit vel quoties res in obligationem deducta ampliùs præſtari non poteſt, vel quoties perſona incapax fiat illam præſtandi vel acquirendi. Hæc omnia uberrimè explicantur, & exemplis exornantur.*

Cap. XXVII. *Cùm quæritur de re in obligationem deductâ, inſpicitur tempus facti teſtamenti, ſi aliud comprehenſum non eſſet. Regula & exceptio explicantur: multa LL. expenduntur.*

Cap. XXVIII. *Quo tempore exiſtere debeat conditio adjecta legato & inſtitutioni ut rectè & ſecundùm voluntatem teſtatoris impleatur. An tempus ad conditionem implendam aſſignatum, ſit infinitum, an verò certis finibus concludatur.*

Cap. XXIX. *Explicatur copiosè* L. ſi filius ff. de lib. & poſth, *& doctorum hominum interpretatio confutatur. Momentum temporis, quo moritur teſtator, vel quo conditio impletur, non differt à momento, quò defertur hereditas, quamvis differatur acquiſitio in heredibus extraneis. Inutile eſt teſtamentum, ſi neque filii inſtitutio, neque exheredatio locum habeat. Conditio poteſtativa, quæ ultimo vitæ momento impleri poteſt, non deficit, niſi poſt mortem implere debentis. Conditio caſualis deficit moriente eo, in quem collata eſt diſpoſitio.*

Cap. XXX. *Tempus extremum hominis, vitæne an morti tribuendum eſſet, dubitabant Philoſophi; JCti pro certo habuerunt vitæ tribuendum. Hæc regula proponitur, & à contrariis vindicatur.*

LIBER QUINTUS.

Cap. I. *Agitur de diſpoſitione ambiguâ, in cujus interpretatione præcipuè ſpectatur, quid actum ſit. Id vel ex verbis, vel ex conjecturis dignoſcitur. Utrumque exemplis explicatur, & contrariis reſpondetur.*

Cap. II. *Diſpoſitio ambigua interpretanda eſt ad normam conſuetudinis patrisfamilias: dividitur in deſtinationem, conſuetudinem & uſum. Deſtinatio quomodò probetur. Deſtinatio facta in unâ ſcripturâ repetita cenſetur in alia, vel in alia parte ejuſdem ſcripturæ. Conditio adjecta inſtitutioni non ineſt ſubſtitutioni: legata in ſubſtitutione cenſentur repetita. An debeantur à ſubſtituto ſub iiſdem conditionibus, ſub quibus debentur ab inſtituto.*

Cap. III. *Conditio adjecta legato non cenſetur repetita in inſtitutione. Conditionem adjectam inſtitutioni cenſeri repetitam in legato eidem perſonæ purè relicto, plerique arbitrantur. Eorum ſententia refellitur, & contraria luculenter probatur.*

Cap. IV. *Duæ quæſtiones proponuntur, & diligenter examinantur. Prima, an conditio in eodem legato cenſeatur repetita,*

Secunda : an conditio adjecta uni legato cenſeatur repetita in altero.

CAP. V. *Verba ambigua commodiſſimè interpretamur ex conſuetudine ſermonis, & ex uſu patrisfamilias tam in ultimis voluntatibus, quàm in contractibus. De utroque ſeparatim agitur : exempla afferuntur: contrariis ſatisfit.*

CAP. VI. *Agitur de conſuetudine regionis, cujus in interpretandâ diſpoſitione ambigua magna vis eſt tam in contractibus, quàm in legatis. Plura exempla ex jure noſtro afferuntur & exornantur. Ad quodnam genus referenda ſit res legata, ſi diverſis generibus ſit ſubjecta. Si conſuetudo regionis non conveniat cum conſuetudine patrisfamilias, utra ſit præferenda.*

CAP. VII. *Ut mentem teſtatoris aſſequamur, ſpectanda eſt perſona teſtatoris, perſona legatarii, & res legata. In perſona teſtatoris attenditur caritas, & neceſſitudo erga heredem, vel legatarium. Neceſſitudo non ſolùm inter parentes, & liberos, ſed etiam inter quoſcumque conſideratur ad interpretandam diſpoſitionem.*

CAP. VIII. *In perſona legatarii conſideranda eſt ejus dignitas; qualitas, & conditio; officium & miniſterium. De his ſeparatim agitur; & exempla afferuntur: plures LL. explicantur, & conciliantur.*

CAP. IX. *Res ipſa legata quandoque plurimùm valet ad interpretandam voluntatem. Id obtinet in pluribus legatis, ſed præcipuè in legato alimentorum. Plura de alimentis Romæ pueris & puellis è publico conſtitutis. Teſtamenti contextus eſt obſervandus ad indagandam voluntatem teſtantis, non ſingula verba captanda.*

CAP. X. *Probatur luculenter, tempus pubertatis in legato alimentorum protrahendum eſſe in maſculis uſque ad decimum octavum, in feminis uſque ad decimum quartum annum non ſolùm in pauperibus, ſed etiam in divitibus. Confutantur argumenta Surdi negantis hoc in divitibus eſſe ſervandum.*

CAP. XI. *Ambigua oratio ita accipitur, ut actus magis valeat, quàm pereat. Quæ ratio interpretandi locum habeat tum in judiciis, tum in contractibus, tum etiam in ultimis voluntatibus. Præfertur pleriſque aliis rationibus interpretandi.*

CAP. XII. *Expenduntur variæ doctiſſimorum Juriſconſultorum interpretationes, eademque confutantur. Nova interpretatio proponitur, & multipliciter illuſtratur.*

CAP. XIII. *Turpis demonſtratio perimit inſtitutionem ac legatum, ut non pro ſcripto habeatur. Exheredatio cum convicio fieri poteſt. Item inſtitutio ejus, qui eſt in poteſtate teſtatoris.*

CAP. XIV. *Falſam demonſtrationem non vitiare diſpoſitionem pro regulâ receptum eſt, ſive in perſonâ, ſive in re falſitas contingat. Regula copioſè explicatur, & confirmatur exemplis.*

CAP. XV. *Demonſtratio aliquando auget legatum, aliquando minuit; nonnumquàm verò irritum facit. Explicatur copioſè, quando legatum augeat: exempla afferuntur, plures LL. explicantur.*

CAP. XVI. *Demonſtratio ampliat, aut reſtringit legatum, cui adjecta eſt, prout dilatat aut contrahit limites rerum, aut perſonarum, quæ legato continentur. Aliquandò autem minuit etiam legatum, aut rem, cui non videtur adſcripta. Exempla afferuntur, & uberrime explicantur.*

CAP. XVII. *Aliud exemplum demonſtrationis, quæ legatum reſtringit, eſt in* L. 4. §. ult. ff. de pen. leg. *Ejus ratio obſcuriſſima. Expenduntur ſententiæ interpretum rationem fruſtrà inveſtigantium. Probatur nullâ aliâ ratione niti, quàm conjecturâ voluntatis.*

CAP. XVIII. *Falſa demonſtratio, quæ quoquo modo lædit jus commune, vitiat & perimit actum, cui adjicitur. Duo exempla proponuntur. Explicatur copioſè* L. Titius. 25. §. 1. ff. de liber. & poſthum. *Expenduntur interpretationes tùm veterum, tùm recentiorum. Nova interpretatio proponitur & explicatur.*

CAP. XIX. *Falſa demonſtratio, quæ habet vim conditionis vitiat actum. Impugnatur opinio Bartoli & aliorum, quod falſa*

Digitized by Google

demonſtratio cognationis & affinitatis vitiet inſtitutionem & legatum. Alind eſt falſa demonſtratio, alind falſa cauſa. Confutatur diſtinctio inter cauſam proximam, & remotam.

CAP. XX. *Falſa demonſtratio, quæ demonſtrat rem, quæ non ſit, perimit inſtitutionem ac legatum. Utriuſque exempla afferuntur, & à contrariis vindicantur.*

CAP. XXI. *Etiam in legatis rerum incorporalium falſa demonſtratio legatum perimit, cùm deſignat id, quod non eſt. Exemplum affertur in creditore, qui legat id, quod ſibi debetur, alteri, quàm ſuo debitori, cùm nihil debeatur, ac luculenter explicatur. Plures LL. conciliantur & explicantur.*

CAP. XXII. *Creditore legante debitori ſuo, quod ſibi debetur, cùm nihil debeatur, falſa demonſtratio legatum perimit, non expreſsá ſummá, vel re debitá. Si quantitas vel ſpecies expreſſa fuerit, magna eſt controverſia, an valeat legatum. Debitor inutiliter legat creditori ſuo, quod ei debet, niſi debiti emolumentum amplietur. Si falſa fuerit debiti demonſtratio, valet legatum.*

CAP. XXIII. *Demonſtratio pro parte falsâ non vitiat legatum, nec impedit, ne legato generali contineatur. Hoc exemplis uberrimè illuſtratur & exornatur.*

CAP. XXIV. *Si demonſtratio nondùm conveniat rei legatæ, cum tamen convenire cœperit, nihilominùs ea res legato continetur. Plura exempla afferuntur, explicantur & exornantur.*

CAP. XXV. *Si demonſtratio ampliùs non conveniat rei legatæ, in legato generis ea res non continetur; quod efficitur ex eâ mutatione qualitatis, propter quam res ad alind genus transferatur.*

CAP. XXVI. *In legato certæ ſpeciei, cum teſtatoris demonſtratio ampliùs ei non conveniat, faciliùs extinguitur legatum uſusfructus, quàm ipſius rei. Omnis mutatio, quæ rem alterat, ut non ſit ampliùs talis, qualis erat, ſufficit ad extinguendum legatum uſusfructùs. Hoc pluribus exemplis explicatur.*

CAP. XXVII. *Ex exemplis in ſuperiore allatis demonſtratur, cujuſmodi mutatio extinguat legatum ipſius rei.*

CAP. XXVIII. *Expenditur accuratè, quænam ſint mutationes, quibus legatum lana perimatur. Pauli & Ulpiani ſententia examinatur. Probatur Ulpianus à ſe ipſo non diſſidere.*

CAP. XXIX. *Legatum quadrigæ extinguitur, mortuo equo, qui quadrigam demonſtrat. Diſſeritur copiosè, quiſnam ſit equus, qui quadrigam demonſtrat, & cur eo mortuo legatum pereat.*

CAP. XXX. *Proponitur quæſtio, an ſuus heres, cui datus ſit vulgaris ſubſtitutus, de neceſſario fiat voluntarius. Negativa ſententia luculenter probatur & à contrariis vindicatur.*

CAP. XXXI. *Expenditur, quá ratione duobus filiis impuberibus inſtitutis, dato ſubſtituto ei, qui poſtremus morietur, cùm ambo ſimul periiſſent, ad utriuſque hereditatem ſubſtitutus admittatur. Variæ interpretum ſententiæ confutantur. Probatur, teſtatorem utrique voluiſſe ſubſtituere. Contraria argumenta diluuntur.*

CAP. XXXII. *Debitor ſolvens dicere poteſt, in quam cauſam velit imputari: ſi non dicat, cedit in cauſam ipſi graviorem: niſi contraria voluntas contrahentium appareat. Exempla afferuntur. Creditor pignus diſtrahens poteſt referre pretium ex eo redactum, in quamcumque cauſam voluerit, ſi nihil declaret, in leviorem cauſam cedet. Contrariis ſatisfit.*

Digitized by Google

JOSEPHI AVERANII,

Juriſconſulti & Anteceſſoris,

INTERPRETATIONUM JURIS

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Ad L. Heredes mei 57. §. cùm ita ff. ad SC. Trebell.

SUMMARIUM.

1 *Hanc diſpoſitionem locum non habere cenſent DD. ubicumque ſtatutum excludit feminas exſtantibus maſculis.*

2 *Nullum fundamentum habet regula, quòd teſtator voluntatem ſuam ad juris communis vel ſtatuti diſpoſitionem conformare cenſeatur.*

3 *Lex omnem autoritatem ſuam accommodat teſtantium voluntati.*

4 *Lex jubet ſpectari verba, atque inveſtigari voluntatem diſponentis.*

5 *Voluntas non inveſtigatur ex præſcriptione legum, ſed ex veriſimili, & aliis ſimilibus conjecturis.*

6 *Exponitur textus noſter.*

7 *Si diſpoſitio teſtatoris dirigenda eſſet ad normam ſucceſſionis inteſtatæ, contrarium in hâc L. reſpondiſſet Papinianus, & n. 8. 9.*

10 *Hæc DD. præſumptio excluditur ex reſponſo Ulpiani in l. ex facto 17. §. ſi quis rogatus ff. ad SC. Trebell.*

11 *Conditio* Si ſine liberis *deficit propter filios naturales: non item propter adoptivos.*

12 *Conditio* Si ſine liberis *quando comprehendat naturales.*

13 *In fideicommiſſo familiæ relicto ſuccedunt gener & nurus.*

14 *Ordo inteſtatæ ſucceſſionis non ſervatur inter heredes ex teſtamento.*

15 *Idem quoque eſt in diſtributione partium hæreditatis.*

16 *Veteres aliàs admittebant conjecturas, potiùs quàm confugerent ad ordinem inteſtatæ ſucceſſionis.*

17 *In iis, quæ à lege præcipiuntur, vel vetantur, teſtator præſumitur ſe conformare ad legis diſpoſitionem.*

18 *Idem eſt, quoties Lex aliquid præſumit in diſpoſitione hominis.*

19 *Exponitur l. Gallus § 1. ff. de liber. & poſthum.*

20 *Heres ſe immiſcens, coherede abſtinente, ſuſtinet onera hereditaria.*

21 *Non eſt veriſimile, locatorem remiſiſſe conductori neceſſitatem ſolvendi penſionem.*

22 *Ad fideicommiſſum familiæ relictum, primùm admittuntur magis proximi.*

23 *Explicatur l. penult. C. de impub. & al. ſubſtit.*

1 VIRUM profectò eſt, omnes propè veteres juris interpretes in hujus legis explicatione admonere, teſtatorem cenſeri voluntatem ſuam ad legis diſpoſitionem conformare, & hujus legis diſpoſitionem locum non habituram, ubicumque ſtatutum excluſerit ab inteſtatâ ſucceſſione feminas extantibus maſculis: cùm tamen ex hâc lege contrarium perſpicuè demonſtretur, ut mox probabimus.

Pervulgata illa, & omnium ſermonibus celebrata regula: quòd teſtator voluntatem ſuam ad juris communis, vel ſtatuti diſpoſitionem conformare cenſeatur, neque ullâ ratione nititur, neque ullâ lege fundatur. Omnis ratio oppoſitum ſuadet, ſive voluntas teſtatoris de rebus ſuis diſponentis, ſive legis mens, & ſententia ſpectetur. Teſtator eo ipſo, quòd de bonis diſponere deſtinavit, manifeſtè declaravit, ſe à legis diſpoſitione recedere voluiſſe in eo, de quo diſponeret. Etenim ſi vellet locum habere in ſuâ hereditate legis diſpoſitionem, utique de eâ non diſponeret: cùm eo non diſponente lex ipſa diſponat. Igitur in eo tantummodò, de quo non diſponit, legis diſpoſitionem ſequitur, eique ſe accommodat: veluti ſi heredes non inſtituerit: tùm cenſetur eos inſtituiſſe, qui à lege vocantur ad hereditatem. *l. ſi quis cùm teſtamentum in princ. & l. conficiuntur* 8. §. 1. *ff. de jure codicill.* Cæterùm quoties teſtator diſpoſuit de bonis ſuis, in eo ipſo, quòd diſpoſuit, ceſſat omninò legis diſpoſitio. Nam ea mens & intentio legis de bonis defunctorum diſponentis eſt, ut ſuppleat, quod omiſit facere defunctus, non ut eo diſponente ſe interponat. Quamobrem Lex ſolummodò diſponit de inteſtati ſucceſſione, deficiente ſcilicèt omninò diſpoſitione defuncti. A primis uſque juris incunabulis Lex XII. tabul. hunc ordinem ſecuta eſt, ut de legitimâ ſucceſſione quæri non poſſet, niſi omninò deficiente teſtamentariâ. *l.* 1. *in princ. ff. ſi tab. teſtam. nullæ extab.* Verba legis hæc erant: *Si inteſtato moritur, cui ſuus heres nec eſcit, agnatus proximus familiam habeto*: vel ex Cornificio *ad Heren. Lib.* 1. & ex Cicerone *Lib.* 2. *de inventione. Si paterfam. inteſtato moritur, familia, pecuniaque ejus agnatorum, gentiliumque eſto.* Nihil igitur ſuper hereditate defuncti Lex diſpoſuit, niſi cùm ipſe non diſpoſuit, & inteſtatus deceſſit. Quod & ſubſequentibus deinceps temporibus religioſiſſimè fuit à Lege ſemper obſertum. *l. antequàm* 8. *C. comm. de ſucceſſ. l. quamdiù* 89. *ff. de Reg. jur. l. quamdiù* 39. *ff. de acquir. hered.*

Tantùm autem abeſt, ut Lex intendat teſtatorem conformare voluntatem ad ſuam diſpoſitionem, ut ipſa potiùs omnem auctoritatem ſuam accommodet teſtantium voluntati, & ad eorum arbitrium, nutumque ſe fingat. Primùm enim Lex XII. tabul. pleniſſimam tribuit facultatem diſponendi de rebus ſuis, & teſtatorum diſpoſitiones non minùs ratas haberi juſſit, quàm ipſam Legem. *Uti legavit ſuæ rei, ità jus eſto. l. verbis legis* 120. *ff. de V. S.* Et poſtremis temporibus Legiſlator noſter *in authent. de Nuptiis* 22. *c.* 2. §. *diſponat. Diſponat itàque unuſquiſque de rebus ſuis, & ſit lex ejus voluntas.* Itàque cùm teſtator de rebus ſuis diſpoſuit, Lex nullo modo ſe interponit, & quodammodo ſeipſam de medio tollit, ut in omnibus rata habeatur diſpoſitio teſtatoris, cui Legis tribuit auctoritatem. 3

Prætereà conſtanter præcipit, primùm ſpectanda eſſe teſtantium verba, & ab eorum ſignificatione non eſſe recedendum *l. non aliter* 60. *ff. de leg.* 3. Hoc ideò, quia nemo videtur dixiſſe, quod mente non agitaverit. *l. Labeo* 7. §. *id Tubero ff. de ſupell. leg.* Itaque ne detur occaſio pervertendæ voluntatis teſtantium, vetat Lex voluntatis quæſtionem fieri, ubi nulla eſt in verbis ambiguitas *l. ille, aut ille* 25. §. 1. *ff. de leg.* 3. Quòd ſi verba perſpicuè non demonſtrent voluntatem diſponentis, tunc conjecturis eam explicare jubemur, & id, quod veriſimile eſt voluiſſe diſponentem, amplecti. *l. in obſcuris* 114. *ff. de Reg. jur. l. cùm quæſtio* 23. *in fin. C. de legat. In omnibus etenim teſtatoris voluntatem, quæ legitima eſt, dominari cenſemus. l. jam hoc jure* 4. *in fin. ff de vulg. & pupil. Si voluntas parentis non refragetur l. cùm de lanionis* 18. §. *item cacabos verſ. optimum ff. de inſtruct. l. inſtr.* Ibi: *Optimum ergo eſſe Pedius ait, non propriam verborum ſignificationem ſcrutari, ſed inprimis, quid teſtator demonſtrare voluerit.* Conſonant text. in *l. cùm virum* 16. *C. de fideicomm.* in *l.* 3. *C. de liber. præt.* in *l. quoniam C. de teſtam.* in *l. quiſquis* 9. §. *in fin. ff. de legat.* 3. in *l. cùm quidam* 8. *in fin. ff. de ſupellect. leg.* in *l. inter veſtem* 33. *ff. de aur. & arg. leg.* in 4

l. pater Severinam ff. de condit. & demonſt. & alibi paſſim. Semper enim quid voluerit, quid ſenſerit teſtator, acutiſſimè indagare, atque odorari jubemur. Quocirca liquidò conſtat, legem diſpoſitiones ſuas omninò teſtantium voluntati accommodare.

5 In perveſtigandâ autem voluntate teſtatoris numquam præcipit ducendam eſſe conjecturam à præſcriptione Legum de inteſtatâ ſucceſſione diſponentium : ſed vel ex eo, quòd veriſimile eſt, teſtatorem noluiſſe facere diſpoſitionem inutilem, atque irritam, ut in *l. Divus 12. in princ. ff. de uſu & habit.* in *l. ſi quando 109. ff. de legat.* 1. in *l. cogi 16. in princ. ff. ad S C. Trebell.* vel ab uſu ipſius teſtatoris, ut in *l. inter veſtem 33. ff. de aur. & arg. leg.* in *l. ſi ſervus plurium 50. §. ult. ff. de legat.* 1. in *l. heredes palam. 21. §. 1. in fin. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* vel ab his, quæ præcedunt, aut ſequuntur in eâ diſpoſitione, quam volumus interpretari, ut in *l. ſi ſervus 50. in fin. ff. de leg.* 1. in *d. l. heredes palam §. 1. in fin. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* in *l. nummis 75.* in *l. quiſquis 95. in fin. ff. de leg.* 3. imò ex libris etiam & ſcripturis patrisfam. ut *l. prædiis 91. §. Titio ff de legat.* 3. & ex collatione alterius rei legatæ *l. 1. ff. de reb. dub. l. ult. in fin. ff. de trit. vin. & ol. leg.* vel ex uſu, & opinione regionis, ut in *l. cùm de lanionis 18. §. item cacabos ff. de inſtruc. vel inſtrum. leg. l. liberorum 52. § quod tamen verſic. nam & in uſu ff. de legat. 3. l. in obſcuris 14. ff. de reg. jur. l. ſi ſervus plurium 50. in fin. ff. de legat. 1. l nummis 75. ff. de legat. 3. l. heredes palam §. 1. in fin. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* vel à conditione perſonarum, ut in *d. l. ſi ſervus plurium* & in *l. ex facto 17. §. ſi quis rogatus ff. ad S. C. Trebell.* vel ab aliis ſimilibus conjecturis : ac poſtremò interpretandum eſſe, ut, quod minimum eſt, voluerit legare *d. l. nummis 75. ff de legat. 3. l. Sempronius 47. ff. de legat. 2. l. cùm ſervus 39. § ſcio ff de leg.* 1. Adeò nihil intentatum reliquerunt veteres Juriſconſulti, ut teſtantium voluntatem inveſtigarent : hanc tamen facilem, & obviam, quam noſtri nobis obtrudunt, ejus interpretandæ rationem nuſquam tradiderunt.

Imò verò eam repudiaſſe, ac nullius momenti judicaſſe probari poteſt evidentiſſi- 6
mè : ac præſertim ex noſtrâ *Leg. heredes mei §. cùm ità ff. ad S C. Trebell.* In hâc Lege quidam teſtator, qui duos filios habebat, & ex altero filio neptem Claudiam, inſtituit heredes duos filios : eoſque rogavit, ut, qui prior ſine liberis deceſſiſſet, partem ſuam reſtitueret fratri ſuperſtiti. Quòd ſi uterque ſinè liberis deceſſiſſet, omnem hereditatem ad neptem Claudiam pervenire juſſit. Mortuo teſtatore deceſſit unus ex filiis inſtitutis, relicto filio Sempronio, qui ei ſucceſſit : adeòque deficiente conditione primæ ſubſtitutionis fideicommiſſum non eſt delatum fratri ſuperſtiti. Poſtremò decedit etiam alter ex filiis inſtitutis, qui ad partem fratris non fuerat admiſſus conditione defectâ : Sed hic nullos relinquit liberos : adeòque de ejus ſucceſſione contendunt Claudia, & Sempronius, uterque defuncti nepos ex fratre : Claudia petit fideicommiſſum ex ſecundâ ſubſtitutione, in quâ fuit vocata ſub conditione, *ſi uterque ſinè liberis deceſſiſſet*, quæ extitit in ultimo moriente ſine liberis. Sempronius petit hereditatem patrui ab inteſtato, & opponit Claudiæ verba teſtatoris, qui eam ſubſtituit ſolùm in caſum, quo *uterque* ſine liberis deceſſiſſet. Cùm igitur unus tantùm ſine liberis deceſſerit, ſubſtitutionis conditio defecit. Prætereà omnem hereditatem ad eam voluit pervenire, quòd fieri non poteſt, cùm extiterit conditio ſolùm in parte ultimi morientis. Atque adeò verba teſtatoris omnia conſpirant ad excludendam Claudiam. Papinianus tamen accuratè perpendit, quòd ſi teſtator voluit Claudiam habere totam hereditatem, utroque filio ſine liberis decedente; voluit etiam habere portionem, hoc eſt, dimidiam, ſi unus tantùm ſine liberis deceſſiſſet : quam enim vocavit ad utriuſque portionem, utroque ſine liberis decedente, præſumitur vocaſſe etiam ad portionem unius, eo pariter ſine liberis decedente : nam qui vocat ad totum, vocat etiam ad partem.

Veteres interpretes cum Bartolo monent, 7

Digitized by Google

hanc Papiniani definitionem non eſſe ſervandam, ubi ſtatutum vocat ad inteſtatam ſucceſſionem maſculos excluſis feminis. Et meritò; admiſſa enim eorum ſententia, quòd ſucceſſio ex teſtamento dirigenda ſit ad normam ſucceſſionis ab inteſtato, & ad mentem juris communis, vel municipalis interpretanda: Si Claudia neptis à ſtatuto excluderetur, etiam à teſtatore excluſa cenſeri debet, maximè quia ad eam excludendam concurrunt etiam perſpicua verba teſtatoris. Sed hoc ipſum manifeſtè demonſtrat, quàm falſa ſit eorum ſententia, qui tantoperè exaggerant hanc conjecturam. Sciendum eſt enim, quòd tempore Papiniani ex Lege Voconiâ neptis à nepote excludebatur: nam ex eâ Lege feminæ ultra ſorores non admittebantur ad legitimas hereditates, & non ſolùm poſtponebantur maſculis, ſed erant omninò incapaces ſuccedendi. Paulus *Lib. 4. recept. ſentent. tit. 8. de inteſt. ſucceſſ. Feminæ ad hereditates legitimas ultra conſanguineas non admittuntur: idque jure civili Voconiâ narratione videtur effectum.* Ulpianus *in fragment. tit. 26. de legit. heredit. Ad feminas ultra conſanguineorum gradum legitima hereditas non pertinet.* Hanc Legem ſuaſit Marcus Cato, ſed, ut ex his liquidò conſtat, in uſu erat tempore Pauli, & Ulpiani, adeòque etiam Papiniani, qui noſtræ Legis eſt auctor. Enimverò Papinianum nihili feciſſe commentitiam hanc præſumptionem petitam ex diſpoſitione Legis Voconiæ feminas excludentis, multa perſpicuè demonſtrant. Primùm quia neptem admiſit ad fideicommiſſum, à quo erat penitùs excludenda juxta ſententiam noſtrorum interpretum; qui hanc præſumptionem invenerunt. Præſertim quia Lex Voconia mulieres non ſolùm excludebat ab hereditate inteſtata, ſed etiam quadamtenùs ab hereditate ex teſtamento. Cicero *Lib. 1. in Verr. de Lege Voconiâ, qua ita ſanxit. Qui poſt eos Cenſores cenſus eſſet, ne quis heredem virginem, neve mulierem faceret.* Dio *Lib. 56. Hiſtor.* Τῶν τε γυναικῶν ποὶ καὶ περὰ τὸν Οὐοκώνιον νόμον καθ' ὃν ὐδεμιᾷ αὐτῶν ἐδεδὲς ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας ὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν. *Mulierum, quibus lege Voconiâ non licebat adire hereditatem majorem centum millibus.* Viginti quinque millia, ait ſcriptor, nempè drachmarum, quibus Græci utebantur, quæ conficiunt centum millia ſeſtertiûm, quod erat patrimonium eorum, qui cenſi dicebantur. Itaque non ſunt corrigenda Dionis verba, ut placet viro perquàm erudito. Cùm igitur Lex Voconia ab hereditate eorum, qui cenſi erant, excluderet omnes feminas, etiam unicam filiam, ut admonet eodem loco Cicero, multò vehementiùs vigere debebat præſumptio petita ex diſpoſitione Legis, quæ non ſolùm ab inteſtatâ hereditate, ſed etiam à ſucceſſione teſtamentariâ feminas excludebat.

Præterea, quia cùm hâc præſumptione 8
concurrebant expreſſa teſtatoris verba, quæ in ſimili caſu Juſtiniano viſa fuerunt adeò clara, ut contra ſubſtitutum reſponderit in *l. pen. C. de inſtit. & ſubſt.* de quâ infrà dicemus. Apparet igitur, quòd hæc præſumptio ex mente Papiniani ne minimum quidem momentum addit admodùm dilucidæ teſtatoris orationi.

Denique Papinianus ad eludendam vim 9
verborum, neptem excludentium, nititur ſolâ teſtatoris voluntate præſumptâ: atqui ſi voluntas teſtatoris conſentanea atque conformis diſpoſitioni Legis eſſet præſumenda, ex eâ quoque argumentum deduceretur contra neptem, tantum abeſt, quòd ea pro nepte faceret, aut vim verborum poſſet enervare. Præterquàm, quòd Papinianus, quemadmodùm ad fundandam ſuam opinionem reſpondit, argumento à verbis ducto, ita reſpondiſſet huic præſumptioni, ſi ad interpretandam teſtatoris voluntatem ullum nomentum habere crediaiſſet.

Non ſolùm autem Papinianus, ut eſt demonſ- 10
tratum, ſed etiam Ulpianus nihili fecit fictitiam hanc præſumptionem. Etenim cùm in *l. ex facto 17. §. ſi quis rogatus ff. eod. tit. ad S C. Trebell.* quærat, an filii naturales efficiant ut deficiat conditio, *ſi ſine liberis*, & accuratè percenſeat omnia, quæ pro ſubſtituto poſſunt adduci, nullam facit mentionem hujus præſumptionis. Ibi: *Sed hoc ex dignitate, & ex voluntate, & ex conditione ejus, qui fideicommiſit, accipiendum eſt.* Nullius igitur momenti

putat hanc præſumptionem: ſemper enim conſtaret de voluntate teſtatoris nolentis comprehendere filios naturales nomine liberorum, cùm in Legis diſpoſitione non continerentur. *Novell.* 89. *quib. mod. natural. effic. leg.* Primi enim Valens & Valentinianus rationem haberi voluerunt naturalium liberorum in ſucceſſione parentum *d. Novell.* 89. *quib. mod. cap. diſcretis igitur* 12. Quamobrem tempore Ulpiani omninò naturales excludebantur in diſpoſitione Legis deferentis hereditatem liberis defuncti. Multò minùs in numero præſumptionum eam habuit Papinianus in laudatâ *l. ex facto* §. *ſi quis rogatus ff. ad S C. Trebell.* qui ſine ullâ diſtinctione reſpondit in libertino naturales liberos eſſicere, ut conditio deficiat, quia, ut arbitror, in eo neque dignitas, neque conditio perſonæ repugnat: quod & Scævola reſpondit in *l. Lucius Titius* 89. §. *Dama* 12. *ff. de legat.* 2. & idem Papinianus in *l. cùm pater* 77. §. *volo* 13. *ff. eod.* Animadvertendum autem eſt; quòd in ſuperiore lege vel leviſſimâ conjecturâ poterat adduci Papinianus ad admittendum ſubſtitutum. Nam conditio *ſi ſine liberis* ſubſtitutum excludit liberis exiſtentibus, quia prudens judicium teſtantis animadvertitur, qui non ſolùm inſtitutum prætulit ſubſtitutis, ſed etiam ejus liberos, ut ait Scævola in *l. Lucius Titius* 85. *in fin. ff. de hered. inſtit.* In caſu autem noſtro teſtator non poteſt videri prætuliſſe ſubſtituto filios naturales: quoniam neque ex teſtamento eos prætulit, neque ab inteſtato. Non ex teſtamento, quia liberi in conditione poſiti non cenſentur vocati, cùm conditio non diſponat *l. ex facto etiam* 19. *ff. de hered. inſtit. l. ſi quis ſub conditione* 8. *ff. ſi quis omiſſâ cauſâ teſtam. l.* 1. §. *item ſi* 8. *in fin. ff. ad leg. Falcid. l. cùm quis* 16. *in fin. ff. de vulgar. ſubſt.* Non ab inteſtato, quia eo tempore filii naturales non ſuccedebant. Cùm igitur hoc caſu nec ex teſtamento, nec ab inteſtato filii naturales admittantur, & obſtent ſubſtituto, vel leviſſima conjectura ſufficere deberet ad admittendum ſubſtitutum, qui nullo modo à filiis naturalibus excluditur. Admodùm ſuaves ſunt illi interpretes, qui aiunt ideò excludi ſubſtitutum, quia liberi naturales ſaltem in duabus unciis ſuccedunt ex conſtitutione Juſtiniani in *d. authent. quibus mod. Nov.* 89. *cap.* 12. quaſi verò Papinianus, & Ulpianus potuerint divinare, eos poſt tot ſæcula tandem jus ſuccedendi acquiſituros: aut reſponderint non ſecundùm regulas juris, quod tunc obtinebat, ſed ſecundùm jus, quod futurum erat in poſterum, adeòque ſubſtitutum injuſtè excluſerint.

Confirmatur id evidenter hâc comparatione. Propter filios naturales deficit conditio: *ſi ſine liberis*: & filii naturales qui ab inteſtato minimè ſuccedebant *d. auth. quib. mod. naturales* §. *diſcretis* excludebant ſubſtitutum *l. ex facto.* §. *ſi quis rogatus ff. ad S C. Trebell.* Contrà verò filii adoptivi, qui ab inteſtato ſuccedebant *l. pen.* §. 1. *verſ. Sed ſiquidem C. de adoption.* §. *ſed hodie inſtit. tit. eod. l.* 1. §. *liberos ff. unde liberi* ſubſtitutum non excludebant, nec propter eos conditio deficiebat *l. fideicommiſſum* 76. *ff. de condit. & demonſtrat.* Nemo autem non intelligit contrarium omninò fore definiendum, ſi voluntas teſtatoris diſpoſitioni Legis conformis eſſe cenſeretur. 11

Illud etiam animadverſione dignum eſt, quòd cùm conditio, *ſi ſine liberis*, adjecta cenſetur ex interpretatione Legis, ut in *l. cùm avus ff. de condit. & demonſtr. l. cùm acutiſſimi C. de fideicom.* ea non comprehendit liberos naturales *l. generaliter in fin.* Ibi: *juſtâ ſobole C. de inſtit. & ſubſtit.* Cùm verò eſt adjecta ab ipſo teſtatore, liberos naturales comprehendit *d. l. ex facto* § *ſi quis rogatus ff. ad S C. Trebell.* Igitur voluntas teſtatoris ad normam diſpoſitionis Legis non eſt exigenda, nec ejus interpretatio à Legis præſcriptione ſumenda. 12

Jam verò ad alia progrediamur. Affinitatis jure nulla ſucceſſio permittitur. Ita ſanxerunt Imperatores Dioclet. & Maxim. in *l. affinitates C. commun. de ſucceſſ.* Et tamen poſt eos Legiſtator noſter Juſtinianus in interpretandâ teſtatorum voluntate nullam rationem habuit certiſſimæ hujus regulæ quoad inteſtatam ſucceſſionem præſcriptæ ab Imperatoribus: reſponditque teſtatorem, qui fideicommiſſum familiæ 13

reliquit, videri vocaſſe ad fideicommiſſum etiam generum, & nurum. *l. ult. C. de V. S.* Pro certò ſi voluntas teſtatoris eſſet interpretanda ſecundùm Legis diſpoſitionem, hæ perſonæ à fideicommiſſo eſſent excludendæ. Aut nos in errorem induxit Juſtinianus perverſâ voluntatis interpretatione, aut nos decipiunt interpretes, qui contrariam interpretandæ voluntatis rationem nobis obtrudunt.

14 Non abſimili interpretatione nobis impoſuit S. Pontifex in *c. Raynutius de teſtam.* qui admittit relictum fratri & ejus filiis, utriſque ſimul deberi. Item Scævola in *l. pen. §. inſtituto 15. ff. de leg. 2.* ubi inſtituto filio herede, & ex eo nepotibus emancipatis, ipſi cum patre ſimul admittuntur, non ordine inteſtatæ ſucceſſionis. Nec aliter reſpondit Paulus in *l. ſi ego & ſervus 26. ff. de acquir. hered.* ubi ſi ego, & filius meus heredes inſtituti fuerimus, uterque ſimul heres eſt, & uterque debet hereditatem adire, licèt filius eam mihi acquirat. Non aliter in legato reſpondit Ulpianus in *l. ſi mulieri ff. de uſufr. accreſ.* Enimverò perperàm interpretati ſunt voluntatem teſtatorum, ſi vera eſt ſententia noſtrorum interpretum: debuerant enim interpretari, priùs patrem, poſteà filium ordine ſucceſſivo teſtatorem admitti voluiſſe, quemadmodùm ab inteſtato ſucederent, maximè aliâ quoque conjecturâ concurrente, videlicèt charitatis, & affectionis, quæ vehementior eſſe debet erga patrem magis proximum, quàm erga filium remotiorem, & ſecundo loco nominatum.

15 Aliud argumentum deduci poteſt ex diſtributione partium inter ſcriptos heredes. Si quis heredes ſcribat non adjectis partibus, veluti liberos ſuos, ſuos nepotes, dubitandum non eſt, eos ex æquis partibus heredes eſſe: præſumitur enim teſtator ex æquo inſtituiſſe, quos ſine partibus inſtituit *l. quoties §. heredes ff. de hered. inſtit. §. Si plures inſtituantur inſt. tit. eod.* Ab hâc tamen præſumptione facilè receditur: nam ſi quis ita inſtituerit: Titius, & fratris mei filii heredes ſunto, non habebunt partes æquales, ſed ſemiſſem Titius, ſemiſſem fratris filii, quotcumque illi fuerint *l. Attius 11. & l. interdùm 13. in princ. ff. de hered. inſtit.* Non tamen receditur ex conjectura ductâ à diſpoſitione Legis circa inteſtatam ſucceſſionem, quâ conſtitutum eſt, ut liberi in ſtirpes, non in capita, nec ex æquis partibus ſuccedant. Itaque ſi quis nepotes ſuos inſtituerit, ſuccedent omnes ex æquis partibus: ſi venient ab inteſtato, ſuccedent in ſtirpes *§. cum filius inſtit. de hered. quæ ab inteſt. l. 2. C. de ſuis & legit. liber.*

16 Denique obſervandum eſt, quòd veteres quamcumque vel leviſſimam conjecturam admittebant, potiùs quàm ad ordinem inteſtatæ ſucceſſionis confugerent. In *l. cùm pater 77. § à te peto penult. ff. de leg. 2.* Papinianus ordinem ſcripturæ obſervat, non ordinem ſuccedendi ab inteſtato: nam ab inteſtato uxori ſuccederent ejus propinqui, non propinqui mariti, & tamen hi illis præferuntur, quamvis non repugnarent verba teſtatoris, qui uſus erat disjunctione *vel* aptâ ad præferendum etiam poſteà nominatos.

In *l. omnia 32. alias l. cum ita § in fideicommiſſo ff. de leg. 2.* Modeſtinus in fideicommiſſo familiæ relicto præfert aliis omnibus eos, qui nominati fuerunt à teſtatore, non eos, qui à Lege præferuntur in ſucceſſione ab inteſtato. Leviſſima conjectura petita à nominis pronunciatione prævalet conjecturæ à noſtris tantoperè exaggeratæ.

In *l. qui filiabus 17. in princ. ff. de legat. 1.* Ulpianus ad comprehendendam poſthumam in legato relicto filiabus, non ducit conjecturam à ſucceſſione, ſed à mentione poſthumæ factâ in aliquâ parte teſtamenti.

Idem Ulpianus in *l ſi fuerit in princ. verſ. ſi duobus ff. de reb. dub.* conſiderat quidem majorem charitatem, ut legatum debeatur ei, qui charior eſt inter plures ejuſdem nominis. Cæterùm ordinem ſuccedendi numquam conſiderat, adeò ut potiùs legatum inutile eſſe reſpondeat propter incertitudinem voluntatis

In *l. duo ſunt Titii ff. de teſtam. tut.* tutelæ dationem inutilem eſſe à Paulo pariter reſpondetur, ſi datus ſit tutor Titius, & duo ſint Titii pater, & filius, nec intelligatur,

Digitized by Google

quid ſenſerit teſtator: & tamen, ſi illi ſint cognati teſtatoris, pater eſſet præferendus, qui primum locum obtinet in ſucceſſione, cùm in tutelâ ſervetur ordo ſucceſſionis ab inteſtato *§. ult. inſtit. tit. de cap. dimin. & toto tit. de legit. patron. tut.* Multæ aliæ occurrunt in jure noſtro Leges, ex quibus conſtat veteres juris noſtri conditores nullam rationem habuiſſe conjecturæ deſumptæ à Legis diſpoſitione, & ordine ſuccedendi ab inteſtato. Sed operæ pretium non eſt, cuncta percenſere, cùm hæc ſaltem ſimul conjuncta luce meridianâ clariùs demonſtrent veritatem noſtræ ſententiæ, & Legem ſemper ſequi veſtigia voluntatis teſtatorum, ut totidem verbis nos monet Legiſlator noſter in *l. penult. in princ. verſic. Sed antiquitatem C. de neceſſar. ſerv. heredib. inſtit.* non verò teſtatorem ſequi veſtigia Legis, qui ea derelinquit ſtatim ac de rebus ſuis diſponere cogitat.

17 Non nego tamen, quòd ubi Lex aliquid præcipit, aut vetat, in eo teſtator ad Legis diſpoſitionem conformare videatur diſpoſitionem ſuam. Nemo enim facere poteſt, quin Leges in teſtamento ſuo locum habeant *l. nemo poteſt 55. ff de leg.* 1. Sed hoc neceſſitatis eſt, non voluntatis. Legis enim jubentis aliquid aut vetantis præcepto tenentur omnes obtemperare. Veluti cùm jubet ſuos heredes aut inſtituere, aut exheredare, eoſdemque vetat præterire. *princ. tit. inſt. de exhered. liberor. l.* 1. *ff. de injuſt. rupt. l.* 3. *§. ult. l. filius* 7. *l. inter cætera* 31. *ff. de liber. & poſt.*

18 Idem dicendum eſt, quoties Lex aliquid præſumit in diſpoſitione hominis, tunc enim diſpoſitio interpretanda eſt ſecundùm præſumptionem Legis. Sed hoc caſu non diſponens ſe accommodat Legi, ſed Lex voluntati diſponentis: neque enim aliâ de causâ id præſumit, niſi quia veriſimilitudo Legis auctoritate comprobata id efficit, ut omninò attendi debeat, niſi probetur, aliter ſenſiſſe diſponentem. Idque pluribus exemplis demonſtratur. Lex præſumit unumquemque omnia agere ſecundùm naturam actûs, quem gerit, & ideò, etiamſi aliquid omiſſum fuerit, tacitè continetur, & ita actus eſt interpretandus, ut in *l. cùm quid 3. ff. de reb. cred.* in *l. ubi ita donatur 27. ff. de donat. cauſ. mort.* in *l. Divus 22. in princ. ff. de uſu & habit.* veriſimile enim eſt, qui actum agit, quæ ſunt de naturâ actûs. Lex præſumit, diſponentem velle ſuam diſpoſitionem valere, nam ſi valere nollet, non diſponendo poſſet idem multò faciliùs conſequi: propterea ſemper ita interpretanda eſt diſpoſitio, ut actus valeat *l. quoties 12. l. ubi eſt 21. ff. de reb. dub. l. quoties in ſtipulationibus* 80. *ff. de V. O.* Similiter Lex præſumit unumquemque, qui aliquid agit, velle conſequi finem, ad quem actus fuit inſtitutus, & ita actus eſt interpretandus, quemadmodùm in *l. quæro 45. §. inter locatorem ff. locati.* in *l. Divus ff. de uſu, & habit.*

Atque hæc ſunt, quæ interpretibus noſtris impoſuerunt, qui, cùm nullâ in Lege repeperiſſent teſtatorem præſumi ad Legis diſpoſitionem conformare velle ſuam diſpoſitionem, id à legibus extorſerunt, quæ aliquid diſponunt, vel præcipiendo quid ſervare debeant teſtatores, vel eorum ſupremam voluntatem interpretando, non ut ipſam ad ſe trahant, ſed ut integram intactamque conſervent. Id autem apparebit ex iis, quæ modò reſpondebimus ad eorum argumenta, quæ diluere aggredimur: ſunt autem planè imbecilla.

Primum igitur argumentum, quo præcipuè nititur hæc ſententia, petunt ex *l. Gallus 29. §. quidam rectè ff. de liber. & poſthum.* 19 ubi cùm Gallus Aquilius induxiſſet formulam inſtituendi nepotem poſthumum: *ſi filius meus vivo me morietur, &c.* ſubdit Scævola: *quidam rectè admittendum credunt, etiamſi non exprimat de morte filii, ſed ſimpliciter inſtituat; ut eo caſu valeat, qui ex verbis concipi poſſit.* Unde deducunt diſpoſitionem teſtatoris trahendam eſſe ad diſpoſitionem Legis, ac ſemper præſumendum teſtatorem Legis diſpoſitioni voluntatem ſuam accommodaſſe.

Nihil abſurdiùs concludi poteſt. Non Legi ſe accommodat teſtator, qui non ſervat formulam à jure præſcriptam: ſed contrà Lex ſe accommodat teſtatori, quæ ad ſuſtinendam ejus diſpoſitionem benignâ inter-

Digitized by Google

pretatione præſumit, eum voluiſſe diſponere in eum caſum, in quem diſponere poterat, non in eum, in quem non poterat, cùm verba teſtatoris utrumque caſum complecti poſſent. Teſtator non ſatis dilucidè atque enucleatè voluntatem ſuam expreſſit: eam ſupplet, & adjuvat Lex interpretatione, cùm non putet eum aut præceptis Legum obtemperare noluiſſe, aut actum irritum & inutilem facere voluiſſe. Igitur ad faciendam hanc interpretationem utrumque concurrit: neceſſitas, & juris præſumptio. Hæc duo modo ſunt expoſita generaliter: nunc ad hujus Legis explicationem accommodanda, quia à veteribus non ſatis perſpicuè, planèque explicantur. Olim poſthumus inſtitui non poterat, cùm ſit incerta perſona; & teſtatoris certum conſilium, certum judicium eſſe debeat. *Ulpian. in fragm. tit. 22. qui hered. inſt. §. incerta perſona.* Juſtinianus in §. *poſſ. poſthumo quoque verſ. Sed nec hujuſmodi inſt. tit. de legat. princ. tit. inſtit. de bonor. poſſeſſ.* Verùmtamen quia poſthumi, qui naſcentes futuri erant ſui heredes teſtatori, naſcendo rumpebant teſtamentum *l. 1. l. 3. l. poſthumus 12. ff. de injuſto rupt.* ne teſtamenta rumperentur, tum de jure antiquo, tum ex lege Vellejâ permiſſum fuit inſtituere poſthumos, qui ſui futuri erant. Ex jure antiquo inſtitui poterat, imò debebat poſthumus naſciturus poſt mortem teſtatoris; ex Lege Vellejâ naſciturus ante mortem teſtatoris. Uterque autem inſtitui aut exheredari debebat, ne natus rumperet teſtamentum. *Ulpian. in fragm. tit. 22. qui heredes inſt. poſſ.* ubi legendum ex l. Vellejâ, non ex l. Juliâ, ut conſtat ex *l. 3. §. 1. ff. de injuſt. rupt.* Itaque poſthumus utroque caſu erat inſtituendus, vel exheredandus *l. commodiſſimè ff. de liber. & poſt.* Hinc à Gallo Aquilio prodita fuit formula, quæ in ſecundum caſum ex Lege Vellejâ poſthumus rectè inſtitueretur, quæ traditur à Scævola in *l. Gallus in princ. ff. eod.* Quæritur autem in §. *quidam ita 1. ejuſdem Legis*, an ea formula omnino ſervanda eſſet, an verò poſſet etiam inſtitui nepos ſimpliciter non expreſſâ morte filii. Reſpondet Scævola, poſſe. Quidni ita reſponderet. Agitur de formula inventâ à Juriſconſulto, non de ſervando Legis præcepto. Lex tantummodò præcepit, ut nepos heres inſtitueretur; nullam formulam præſcripſit, quâ deberet inſtitui. Teſtator igitur paruit præcepto Legis nepotem inſtituendo: quid cauſæ eſt, cur valere non debeat inſtitutio? At enim non expreſſit caſum filii præmorientis. Neceſſe non erat: nam qui ſimpliciter nepotem inſtituit, eum inſtituit etiam in caſum filii præmorientis. Genus enim ſingulas ſpecies comprehendit; & qui generaliter loquitur, ſingula nominare videtur, perinde ac ſi ea expreſſiſſet *l. ſi chorus 79. in princ. ff. de legat. 3. l. Mævius 66. §. non idem ff. de legat. 2. l. ait prætor 7. §. Et ſi ſine ff. de minor.* & aliis omiſſis, ad rem noſtram egregiè facit Pomponii reſponſum in laudatâ *l. commodiſſimè ff. de liber. & poſthum.* Quoniam verò in caſum filii viventis non poteſt valere inſtitutio, neque hoc caſu poſſit nepos admitti *l. cùm in teſtamento ff. de hered. inſtit.* quia vivente patre non eſſet ſuus heres avo, adeòque non poſſet inſtitui: ſequitur, ut videatur inſtitutus in caſum filii præmorientis, & in aliis caſibus, in quibus inſtitui poteſt, veluti ſi filius fuerit emancipatus, & hujuſmodi cæteris. Hæc duo igitur concurrunt: primum neceſſitas, quia teſtator à Lege Vellejâ cogebatur in hunc caſum heredem poſthumum inſtituere: prætereà præſumptio, juris quod veriſimile ſit, unumquemque voluiſſe diſpoſitionem ſuam valere: ut ſuprà probavimus. Accedit, quòd & civilis & naturalis ratio dictat, & uſus quotidianus comprobavit generalem ſermonem referendum ad ea, quæ fieri poſſunt, non autem ad ea, quæ fieri nequeunt, & in generali ſermone non poſſunt comprehendi. Quidam legavit uxori ſuæ, quæ vivens ei donaverat: generalis hic ſermo refertur ad donationes, quæ aliàs non eſſent valituræ, quia, quod utiliter donavit, legare non poteſt. *l. ſi quando 109. ff. de legat. 1.* Qui calendis ſtipulatur, hoc ſermone omnes quidem calendas comprehendit, ſed ad proximas tantùm refertur, quia inutilis eſſet ſtipulatio,

Digitized by Google

pulatio, dùm debitor diceret, numquam veniſſe eas calendas, in quas collata eſt ſtipulatio *l. cùm qui calendis* 41. *ff. de V. O.*

20 Secundum argumentum petiit ex *l. ſi duo* 38. *ff. de acquir. hered.* Si duo ſint heredes neceſſarii, & alter ſe abſtineat, alter poſteà ſe immiſceat, hic ſuſtinet tota onera hereditaria, quia eâ conditione adire videtur. Ergo videtur voluntatem ſuam Legi accommodare, & ad eam ſe conformare.

Ridiculum hoc quidem. Quicumque adit hereditatem, ſpontè ſe ſubjicit oneribus hereditariis: nam cum creditoribus & legatariis contrahere videtur, & qui adit, & qui ſe miſcet *l. 3. §. ult. cum l. ſeq. ff. quibus ex cauſ. in poſſ. eat. §. heres quoque inſtit. tit. de oblig. quæ quaſi ex contr. naſc.* Spontè ſe ſubjicit, quia hereditas eſt ſucceſſio in univerſum jus defuncti, & continet tam commoda quàm incommoda *l. nihil eſt aliud* 24. *l. hereditatis appellatio* 109. *ff. de V. S. l. hereditas* 62. *ff. de R. J. l.* 1. *ff. de bonor. poſſeſſ.* Ergo qui ſuſcipit hereditatem, neceſſariò ſuſcipit non ſolùm commoda, ſed etiam incommoda *l. heres in omne* 37. *ff. de acquir. hered.* Et licèt partem tantummodò ſuſceperit ſe immiſcendo, tamen reliqua pars abſtinentis ei etiam invito accreſcit *l. teſtamento C. de impub. & aliis ſubſt.* Nullâ igitur hìc opus eſt interpretatione, nec voluntas ad diſpoſitionem Legis trahenda eſt, ut ad onera partis, quæ accrevit, teneatur: quia & neceſſitas, quam ipſe ſibi impoſuit ſe immiſcendo, & natura actûs, & clara voluntas ad id eum neceſſariò adſtringunt. Neque in hoc eſt ulla dubitandi ratio, plana enim omninò res eſt: ſed an poſſit à ſe repellere partem abſtinentis, & totam hereditatem dimittere, ut in *l. cum hereditate* 55. *ff. eod. de acquir. hered.* quod facere poſſet, ſi ſe immiſcuiſſet, antequàm alius abſtineret *d. l. cum hereditate*: Sed cùm ſe immiſcuerit, poſtquàm alius abſtinuit, ſcire debuit ſe immiſcendo totam hereditatem acquirere *d. l. ſi duo in fin.* cùm nemo poſſit partem hereditatis acquirere, partem repudiare *l. 1. & 2. l. ſi ſolus.* 80. *ff. de acquir. hered. l. un. §. his ita definitis C. de caduc. toll.*

Tertium igitur argumentum ipſis ſuppedi- 21
tat Paulus in *l. quæro* 54. *§. inter locatorem* 1. *ff. locat.*

Sed reſponſio patet ex iis, quæ ſuprà annotavimus. De ſubſtantia locationis eſt merces, & ſine eâ non contrahitur *princ. tit. inſt. de locat. l. ſi vir uxori* 52. *ff. de don. inter. vir. l. convenerit* 23. *ff. commun. divid.* & qui rem ſuam locat, eo animo locat, ut mercedem percipiat, eamque exigat à conductore: hic enim eſt unicus finis locationis: ac propterea veriſimile non eſt, eum remiſiſſe hanc neceſſitatem ſolvendæ quotannis penſionis, de quâ convenit in contrahendo, & ſine quâ conventione locatio nulla fuiſſet. Quæ ſunt de natura contractûs, quæ reſpiciunt finem contrahentium, naturaliter inſunt contractui, niſi quid contrà expreſsè caveatur. *l. cùm quid* 3. *ff. de reb. cred. l. ex empto* 11. *§.* 1. *&* 2. *ff. de action. empt.* Locator promiſerat, ſe non expulſurum conductorem, non tamen expreſſerat caſum non ſolutæ penſionis. Rectè reſpondit Paulus, veriſimile eſſe, hunc caſum comprehendere noluiſſe. Non ducit argumentum à diſpoſitione Legis, ſed à veriſimili. Neque enim veriſimile eſt, quemquam velle permittere alteri, ut re ſuâ fruatur, cùm mercedem ſolvere detrectat. Repugnat communis uſus omnium hominum: repugnat natura contractûs: repugnat finis contrahendi.

Opponunt etiam *text. in l. peto* 69. *§. fra-* 22
tre ff. de leg. 2. Sed in hâc Lege teſtator nihil diſpoſuit, ſed ſolùm juſſit domum in familia relinqui. Heres nulli reliquit, ſed domum alienavit. Si non alienaſſet, poterat cuicumque de familia relinquere *l. filiusfam.* 114. *§. cùm pater ff. de leg.* 1. ceſſante heredis diſpoſitione Lex ipſa diſponit, & proximos vocat: & rectè quidem, quia major erga eos teſtatoris affectio præſumitur. Si heres diſpoſuiſſet, ex quâlibet leviſſimâ conjecturâ ab hâc vocatione recederetur, ut in *d. §. cùm pater in fin.* & in *l. cùm pater §. à te peto ff. de leg.* 2. & in *l. cùm ita §. in fideicommiſſo ff. eod.* ut ſuprà monuimus.

Supereſt, ut explicemus Juſtiniani defi- 23

Digitized by Google

nitionem in *l. pen.C. de impub. & aliis ſubſtit.* non quia repugnet huic ſententiæ, ſed quia videtur omninò contraria Papiniani reſponſo in *l. heredes mei* 57. §. *cùm ita* 1. *ff. ad S. C. Trebell.* quod ſuſcepimus explicandum. Quidam duobus filiis ſuis heredibus inſtitutis ita ſubſtituit: *Si uterque impubes deceſſerit, Titius heres eſto.* Titium heredem non futurum, niſi utroque in pupillari ætate decedente definivit Juſtinianus probatâ Sabini ſententiâ.

Sed non ſunt hæc contraria. Papinianus enim idem in ſimili caſu reſpondit in *l. qui duos* 42. *ff. de vulgar. & pupill.* non poteſt autem probabiliter dici, Papinianum eſſe ſibi ipſi contrarium. Itaque animadvertendum eſt, quod Papinianus in laudatâ *l. heredes mei* agit de fideicommiſſo, in quo conjectura potiùs, & mens teſtatoris obſervatur, quàm propria ſignificatio verborum. *l. cùm proponebatur* 64. *in fin. ff. de leg.* 2. quæ eſt ejuſdem Papiniani. Nam, & ſine verbis fideicommiſſa relinquuntur *l. nutu ff. de leg.* 3. Propterea licèt neptis conceptione verborum à fideicommiſſo videretur excludi: tamen ut ait ibi Papinianus, cùm in fideicommiſſis voluntatem ſpectari conveniat, abſurdum eſſe reſpondit, ut, quæ ad totam hereditatem à teſtatore vocata erat, à parte cenſeatur excluſa: nam quæ de totâ re dicuntur, & de parte ſunt intelligenda *l. quæ de totâ ff. de rei vind.* Contrà Juſtinianus in *l. pen.* agit de ſubſtitutione directâ, nempè pupillari, in quâ major habetur ratio verborum: & quod magis eſt, in ea concurrebant verborum ſignificatio, & conjectura, ſeu præſumpta voluntas teſtatoris. Verba, quia ſubſtitutus vocatur ſub conditione, *ſi uterque deceſſerit impubes*: ergo ſi uterque non deceſſerit impubes, non eſt vocatus. *l. ſi is qui ducenta §. utrum, verſic. ſicut è contrario ff. de reb. dub.* nam qui ſub conditione vocatur, ſub contrariâ conditione excluditur *l. quibus diebus* 40. §. *quidam Titio verſ. quia nihil interſit ff. de cond. & dem.* Verbis congruit voluntas; *cogitaſſe enim patrem primo filio decedente fratrem ſuum in ejus portionem ſuccedere* ait ibi Juſtinianus. Et rectè. Id enim omninò exigit neceſſitudo, & charitas filiorum, *ne videatur teſtator alienas ſucceſſiones propriis anteponere*, ut idem ait in *l. cùm acutiſſimi in fin. C. de fideicom.* Si enim videtur prætuliſſe liberos ſubſtitutis, cùm nullam eorum mentionem fecit *l. cùm avus ff. de cond. & dem. & d. l. cùm acutiſſimi*: multò magis, quando eos nominavit, & heredes inſtituit, argumento *l. qui filiabus* 17. *in princ. ff. de leg.* 1. Noluit igitur teſtator filiis ſuis teſtamentum facere, niſi eo caſu, quo ad extraneos hereditas eſſet perventura.

CAPUT II.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Vocatis maſculis & feminis, feminas poſt maſculos admittendas putant DD. ad imitationem ordinis inteſtatæ ſucceſſionis.*
2 *Interpretatio voluntatis nullo fundamento innixa non poteſt præferri propriæ verborum ſignificationi.*
3 *Conjectura interpretandi diſpoſitionem teſtatoris juxtà diſpoſitionem Legis non admittenda.*
4 *Conjunctim vocatos, conjunctim admittendos Leges definiverunt.*
5 *Nihil intereſt, utrum dicatur, maſculi cum feminis, an maſculi & feminæ.*
6 *Legum uſus eſt, verbis conjungere eos, quos ſimul ad ſucceſſionem admitti præſcribunt.*
7 *Et ita teſtantium diſpoſitiones ipſæ Leges interpretantur.*
8 *Etiamſi teſtator non ſervaverit ordinem ſucceſſionis inteſtatæ.*
9 *Legibus potiùs parendum, quàm DD. opinionibus.*
10 *Idem traditum à DD. quando teſtator feminas æquè ac maſculos vocavit, & n.* 11. 12.
11. *Particula* æquè ac *exprimit æqualitatem. & n.* 12. 13.
14 *Quod ſubjicitur conjunctioni* quàm *aſſeverantiùs affirmatur, quàm id quod ſubjicitur conjunctioni* tam. *& n.* 15.

OPinio, quam proximè confutavimus, 1
ita invaſit in animos omnium ferè pragmaticorum, ut ex eorum mentibus nec ulla Legum auctoritas eam evellere, nec ulla ratio labefactare, nec ipſa veritas poſſit extorquere. Non minùs inſita eſt eorumdem animis; atque infixa altera ipſi conſequens, &

& conſentanea : quòd ſi teſtator vocet ad hereditatem maſculos, & feminas, ſoli maſculi excluſis feminis admittantur; feminæ autem vocatæ cenſeantur ſolummodò poſt maſculos, qui ipſis à ſtatuto præferuntur in hereditate inteſtatâ : quam vulgarem opinionem, & in foro jam inveteratam, in quæſtionem diſceptationemque vocare conſtitui-
2 mus. Enimverò numquam in animum inducere potui, ſtructuræ verborum propriæque ac perſpicuæ ſignificationi anteponendam commentitiam, & nullo jure ſuffulram voluntatis interpretationem : quâ efficitur teſtatorem, quos oratione junxit, & copulavit, eos voluntate disjunxiſſe, ac ſegregaſſe, & feminas, quas cum maſculis vocavit ad hereditatem, excluſiſſe, & in remotiſſimum locum ablegaſſe, ut numquam ſuccedant. Planè ſi Lex municipalis excludat feminas propter maſculos uſque ad ſextum vel octavum gradum, ut non rarò evenit, feminæ, quæ teſtatori, vel neceſſitudine & ſanguinis conjunctione, vel amoris, & benevolentiæ vinculo erant arctiſſimè conjunctæ, & cum ipſo conjunctiſſimè atque amantiſſimè vixerant, penitùs excludentur ab hereditate, nec ad ejus ſucceſſionem umquam poterunt adſpirare. Quo quid abſurdius dici, aut excogitari poteſt? Porrò quemadmodùm Minervam veteres ex cerebro Jovis natam fuiſſe commenti ſunt : ita hæc conjectura non ex mente teſtatoris exorta per forum pervaſit, ſed ex cerebro Juriſconſultorum nata, atque profecta ferè omnium animos occupavit. Teſtator vocat maſculos & feminas : Lex vocat maſculos excluſis feminis : teſtator orationis unitate maſculos cum feminis conjungit,
3 & copulat : Lex maſculos à feminis ſeparat, & quaſi quodam divortio disjungit, ac ſegregat. Suntne unanimes teſtator, & Lex? Suntne concordes teſtatoris, & Legis voluntates; an potiùs diſcordes, imò contrariæ? Si eſt interpres mentis, oratio *l. Labeo 7. §. ult. ff. de ſupellect. leg.* ſi in interpretandâ voluntate teſtatoris ratio recti ſermonis habenda eſt *l. Plautius 8. in fin. ff. de aur. & arg. leg.* ſi nemo videtur dixiſſe, quod verba non ſignificant *l. in ambiguo 3. de rebus dubiis.* ſi non eſt admittenda voluntatis quæſtio, ubi nulla eſt in verbis ambiguitas *l. ille aut ille 25. ff. 1. de legat. 3.* ſi non aliter à ſignificatione verborum recedi oporret, quàm cùm manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe teſtatorem *l. non aliter 69. in princ. ff. de leg. 3.* (obſerva illa verba : *manifeſtum eſt*) hæc conjectura, quæ longè abhorret à verbis, & oratione teſtatoris, non ſolùm repudianda eſt, ſed etiam explodenda.

Expendamus igitur ad normam uſumque juris, quæ initio propoſuimus, verba teſtatoris, maſculos & feminas ad hereditarem vocantis. Neminem enim tam audacem ac petulantem futurum arbitror, qui Doctorum interpretationem Legum interpretationi ducat anteponendam. Itaque in id redigo totam quæſtionem : utrum Leges, an interpretes perverſè judicent de voluntate teſtatoris, ejuſque verba perperàm interpretentur : nam Leges conjunctos, ſimul & conjunctim admittendos eſſe definiunt : interpretes verò ſeorſum, ac ſeparatim. Abſurda profectò, & inepta controverſia, niſi doctiſſimorum hominum judicio, & rerum judicatarum auctoritate niteretur. Sed jam quid Leges decernant, diligenter expendamus. Legiſlator noſter Juſtinianus in *l. unic. §. his ita definitis verſ. hoc ita tam variè c. de caduc. tollen. Hoc ita tam variè, quia conjuncti quidem propter unitatem ſermonis, quaſi in unum corpus redacti ſunt, & partem conjunctorum ſibi heredum quaſi ſuum praeoccupant.* Lex conjunctos in unum corpus redigit : interpretes hujuſmodi corpus ſermonis unitate copulatum, & coagmentatum dilaniant, & membratim diſcerpunt, parteſque à corpore divulſas diſſipant, & longè lateque diſpergunt. Ante Juſtinianum etiam veteres Juriſconſulti conjunctos in unum coactos tamquam unicum corpus conſiderarunt, ut in *l. liber homo 59. §. Titius* in *l. Lucius Titius 53.* in *l. interdum 13.* in *l. Julianus 15. in princ.* in *l. Actius 11. ff. de hered. inſtit. l. ſi quis Actio* : aliàs *l. ſi quis Titio ff. de uſufr. accreſc.* Et quamvis in *l. Lucius Titius 88. §. Lucius Titius ff. de leg. 2.* videatur, conjunctos à Scævola ſeparatim conſideratos fuiſſe, cùm ſingulis

æquales partes diſtribuantur, tamen verè non ita ſe res habet. Etenim in illo legato: *libertis, libertabuſque meis*, comprehenditur etiam Seja, licèt ſeparatim fuerit à teſtatore nominata. Teſtator enim habebat plures ſervos ancillaſque, quo teſtamento manumiſit; habebat & Sejam, quam vivens manumiſerat, & educaverat. Legavit prædiolum libertis, libertabuſque ſuis: & quia dubitari poterat, an illud ſolummodò legaret iis, quos teſtamento manumiſerat, an etiam Sejæ, quam manumiſerat in vita, rei magis explicandæ, & dubitationis tollendæ gratiâ adjecit illa verba *& quos hoc teſtamento manumiſi, & Seja alumna mea*, quibus declarat in legato relicto, *libertis, libertabuſque ſuis*, comprehendere tùm libertos, qui ex teſtamento conſecuti erant libertatem, tùm Sejam, quæ libertatem obtinuerat in vita teſtatoris. Cùm igitur legatum ſit relictum libertis, libertabuſque, omnes ſunt in pari causâ, & viriles partes habere debent: Quapropter rectè reſpondit Scævola, *perſpicuam eſſe teſtatoris voluntatem, omnes ad viriles partes vocantis.* Perſpicuum eſt enim ex verbis, teſtatorem omnes ſimul vocaſſe, & etiam Sejam comprehendiſſe illis verbis *libertis, libertabuſque meis*: adeòque ad virilem etiam Sejam admitti, cùm non ſit ab aliis ſejuncta, atque diſtincta. Nec meo judicio defendi poteſt Bartoli aliorumque ſententia, atque interpretatio, quæ à verbis ac mente Scævolæ eſt alieniſſima.

5 Id ipſum demonſtratur, quantùm arbitror, evidenter, quia neminem credo dubitaturum, quin ſi vocati fuerint *maſculi cum feminis*, feminæ ſimul cum maſculis debeant ſuccedere; niſi rectam rationem latini ſermonis omninò pervertere velint, & ad ſucceſſionem vocare, quos ipſi voluerint, non quos voluit ipſe teſtator. Neque enim ſuccedent maſculi cum feminis, ſi ſuccedant ſoli maſculi feminis excluſis, facit *text. in l. ſi quis duobus. C. de impub. & al. ſubſt.* Atqui nihil intereſt, utrum teſtator ità diſponat: *ille cum illo*: an ità *ille, & ille l. ſi quis Actio* 7. *ff. de uſufr. accreſc.* Verba Legis: *nec enim intereſt ità legetur: illi, & illi cum Mævio; an ità: illi, & illi, & Mævio.*

Huc accedit conſtans, & perpetuus juris uſus, qui magiſter eſt optimus interpretandi legitimas hominum diſpoſitiones. Nam quæ regula, quæ norma, quæ præſcriptio ſervanda eſt, ſi traditam nobis à Legibus interpretationem repudiamus? Leges itaque quoties duos, pluresve ſimul ad ſucceſſionem admitti præſcribunt, eos verborum conjunctione copulant; nec aliâ ratione explicant voluntatem ſuam. Juſtinianus cùm diſponit ac præcipit, ut feminæ ſimul cum maſculis admittantur ad inteſtatam ſucceſſionem, non aliter exprimit animi ſenſum Legiſque præceptum, quàm maſculos feminis oratione copulando. In §. *hoc etiam inſtit. tit. de legit. agnat. ſucc. Non ſolùm fratris filius, & filia ad ſucceſſionem patris ſui vocentur &c.* In §. 1. *de SC. Orphitian. ad ſimilitudinem filiorum, filiarumque & nepotes & neptes vocentur.* In *Novell.* 118. *cap.* 2. §. *ſi autem plurimi aſcendentes vivunt, hos preponi jubemus, qui ejuſdem gradûs reperiuntur, maſculos, & feminas.* In *ead. Nov. in cap.* 3. *in princ. Si igitur defunctus neque deſcendentes neque aſcendentes reliquerit, primos ad hereditatem vocamus fratres, & ſorores.* & paulo poſt *cum de patre, & matre, thiis, maſculis & feminis.* Et infrà *ſolis prabemus fratrum maſculorum, & feminarum filiis*; & rurſus, *quando cum propriis judicantur thiis maſculis, & feminis.* & iterum *thiis maſculis, & feminis defuncti.* In *l. cùm quidam C. de V. S.* perindè eſt, ac ſi dixiſſet, *ille, & ille heres eſto.* & deinde ſubdit, & concludit, quòd æqua lance ambo veniunt ad hereditatem. Ergò ad mentem Juſtiniani verba illa: *ille, & ille heres eſto*, ſignificant, quòd uterque æqua lance venire debeat ad hereditatem. Hæc eſt eorum verborum interpretatio à Legiſlatore noſtro nobis tradita. An hæc ſit præferenda Doctorum interpretationi, non diſputo: quilibet hâc de re judicium faciat. Hoc tantùm addo ad interpretes noſtros, ut ad diſpoſitionem Legis trahant voluntatem teſtatoris, qui teſtando ab eâ receſſit, & ipſam ceſſare fecit, recedunt à rectâ ratione ſermonis à Lege ſemper uſurpatâ, & vim in-

Digitized by Google

ferunt tùm verbis teſtatoris, tùm ejus voluntati, tùm ſacroſanctis Legibus.

7 Neque ſolùm uſitata eſt, & in noſtris Legibus tranſlatitia ea loquendi ratio; ſed etiam ita teſtantium voluntatem eædem Leges interpretantur. In *l. cùm quidam C. de verb. ſign.* modò laudatâ. Si inſtitutus ſit ille, & ille, uterque æquâ lance admittitur ad hereditatem. In *l. ſi ego, & ſervus 26. ff. de acquir. vel omit. hered.* Si pater, & filius inſtituti ſunt, uterque ſimul eſt heres: itemque ſi dominus, & ſervus. Et quamvis ſervus domino, filius patri acquirat hereditatem, tamen & ſervus juſſu domini, & filius juſſu patris adire debent: iiſque adeuntibus ſtatim dominus, & pater etiam ex ſuâ portione acquirunt hereditatem: ſed ad utrumque ſimul defertur hereditas dominum, & ſervum, patrem, & filium. In *l. ſi quis duobus C. de impub. & aliis ſubſtit.* Titius unà cum filiis ſuis & Sempronius heredes ſunto. Titium, & Sempronium ſimul admittit ad hereditatem Imperator, & dimidiam Titio unà cum filiis ſuis, alteram dimidiam Sempronio tribuit. In *c. Raynutius de teſtam. quod relictum fuerat fratri, & ejus filiis, omnibus debetur, nec frater ſuis filiis præfertur.*

8 Imò (quod magis eſt, & tollit omninò controverſiam,) non abſimili modo voluntatem teſtantium Leges interpretantur, quando à teſtatore non eſt ſervatus ordo ſuccedendi ab inteſtato, nec eam trahunt ad Legis præſcriptionem. In laudato *c. Raynutius de teſtam.* Pater filiæ ſine liberis decedenti ſubſtituit ejus ſororem, & ſobolem, quam gerebat in utero. Defunctâ filiâ ſine liberis, Summus Pontifex admiſit ex ſubſtitutione ſororem ſimul cum filio, quem genuerat: licèt ab inteſtato ſola ſuccederet ſoror, nepos autem nonniſi poſt mortem ſororis vocetur. In *l. Lucius Titius* 88. *§. inſtituto* 15. *ff. de leg.* 2. Pater inſtituit filium & ex eo nepotes emancipatos: ipſi ſimul cum patre admittuntur, qui utique non ſuccederent ab inteſtato, niſi mortuo patre, qui eos præcedit *§. ſui autem inſtit. tit. de hered. quæ ab inteſt.* In *ead. l.* 88. *§. matre,* Teſtator inſtituit heredes matrem, & uxorem. Supponit Juriſconſultus utramque ſimul ſuccedere. Non ſervatur igitur inter eas ordo ſucceſſionis ab inteſtato, quia uxor ſuccedit ultimo loco poſt omnes agnatos, & cognatos *l. un. C. unde vir. & uxor. §. ſed eas inſtit. tit. de bonor. poſſeſſ.* In *l.* 4. *C. de impub. & aliis ſubſtit.* Imperator ſupponit teſtatorem inſtituiſſe Firmianum filium ſuum, & Æliam uxorem, & tam filium, quàm uxorem ſimul hereditatem obtinuiſſe.

Quibus probè conſtitutis, ita concludo. 9 Leges diſponunt voluntatem teſtatoris pro Lege ſervandam *authent. de nupt. cap.* 2. *§. diſponat.* Eædem Leges interpretantur voluntatem teſtatoris vocantis plures conjunctim, quòd voluerit eos ſimul ſuccedere, ut probavimus; ergo aut infringendæ ſunt Leges, & abolendæ, aut eſt explodenda vulgaris opinio Doctorum admittentium maſculos, & excludentium feminas, quando teſtator vocavit maſculos, & feminas, eoſque copulavit conjunctione verborum in eâdem hereditate. In hoc igitur ſumma controverſiæ tota conſiſtit, parendum ne ſit Legibus, an Doctoribus: veritati, an effictæ à Doctoribus imagini veritatis.

Non tamen hìc conſiſtunt interpretes, ſed 10 (ut eſt natura Juriſconſultorum, ut, cùm aliquam opinionem in vulgus ediderint, ubi ea percrebuit, aliam ex aliâ comminiſcantur, & ad ejus ſimilitudinem dirigant, donec à veritate longiſſimè aberrent) longiùs progrediuntur, & non ſolùm excludunt feminas, quando teſtator vocavit *maſculos & feminas*: Sed etiam, quando vocavit tam *maſculos, quàm feminas*: hoc eſt, non ſolùm disjungunt feminas à maſculis, quando eas teſtator ſermonis conjunctione copulavit; ſed etiam quando feminas cum maſculis æquavit, atque eas æquè ac maſculos vocavit. Nam grammatici omnes conſentiunt has particulas habere vim exprimendi æqualitatem, & paria paribus conferendi: perindè ac ſi dicatur: *maſculos æquè ac feminas*: quemadmodùm Cic. *Lib.* 2. *epiſt. ad Curionem. Cui charus æquè ſis, & jucundus, ac fuiſti patri, & Acad.* 4. *Somnia dormienti æquè ac vigi-*

lanti probantur. Quàm religioſè autem in interpretandâ defunctorum voluntate rationem recti ſermonis tenuerint veteres juriſconſulti, cùm alia multa demonſtrant, tum reſponſa Labconis & Trebatii in *l. qui quatuor* 30. *in princ. ff. de leg.* 3.

11 Jam verò rem penitùs introſpiciamus, & horum verborum vim accuratè expendamus. Plaut. *in Aſinar. Act.* 3. *ſcen.* 4. *in fin. tam ego homo ſum, quàm tu.* & in *Captiv. ſcen.* 4. *tam ego fui antè liber, quàm gnatus tuus.* Cicer. *epiſt.* 2. *Lib.* 5. *Tam ſum amicus reip. quàm qui maximè.* Et *in orat. pro Sylla. Tam ſum miſericors, judices, quàm vos: tam lenis, quàm qui leniſſimus.* Virgil. *Georg. Lib.* 1. *v.* 204.

— Tam ſunt Arcturi ſidera nobis
Hædorumque dies ſervandi, & lucidus Anguis,
Quàm quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

12 Ad Legum auctoritatem procedamus. In *l. non ſolùm* 11. §. *ſi mandatu ff. de injur. Si mandatu meo facta ſit alicui injuria plerique aïunt tam me, qui mandavi, quàm eum, qui ſuſcepit injuriam, teneri.* In *l. ut liberis tam maſculini, quàm feminini ſexûs.* In *princ. tit. inſtit. de hered. inſtit. heredes inſtituere poſſumus tam liberos homines, quàm ſervos.* In *l. uxori* 33. *in princ. ff. de leg.* 3. *cùm tam teſtamenti faciendi tempore, quàm mortis totam domum in uſu habuerit.* In *l. hoc legatum* 45. *ff. eod. hoc legatum* uxoris cauſâ parata *generale eſt, & continet tam veſtem, quàm argentum, aurum, & ornamenta, cæteraque, quæ uxoris gratiâ parantur.* In *l. pro herede in princ. ff. de acquir. hered. pro herede autem gerere non eſſe facti quàm animi. Nam hoc animo eſſe debet, ut velit heres eſſe.* vel ut alii legunt; *non eſſe tam facti quàm animi*: Sed nihil mutandum, nam veteres J C. aliquando particulam *tam* omittunt, & ſubintelligi volunt.

13 Sed ut cominùs congrediamur, Leges de ſucceſſione pertractantes exponamus. In §. *cæterùm verſic. quare inſtit. tit. de legit. agn ſucceſſ. quare enim uno eodemque gradu naturali concurrente, & agnationis titulis tam in maſculis, quàm in feminis æquâ lance conſtitutis &c. Inſtit. tit. de S C. Orphit. in princ.* & *data eſt tam filio, quàm filiæ legitima hereditas.* In §. *item vetuſtas* 15. *inſtit. tit. de hered. quæ ab inteſt. Sed cùm nepotis, & pronepotis nomen commune ſit utriſque tam qui ex maſculis quàm qui ex feminis deſcendunt, ideò eumdem gradum, & ordinem ſucceſſionis eis donaverunt.* In *l.* 2. §. *liberi ff. ad S C. Tertyllian. Liberi defuncti ſui quidem obſtabunt matri ejus, tam virilis ſexûs, quàm feminini, tam naturales, quàm adoptivi.* In *eàd. l.* §. *objicitur matri pater in utriuſque bonis tam filii, quàm filiæ.* Paulus *Lib.* 4. *ſentent. tit.* 8. *ſoror jure conſanguinitatis tam ad fratris, quam ad ſororis hereditatem admittitur.* In *l.* 1. §. *liberos ff. ſi tab. teſtam. nulla extab. & undè liberi. Liberos autem accipere debemus, quos ad contra tabulas admittendos diximus tam naturales, quàm adoptivos.* In *l. ut liberis* 17. *C. de collat. ut liberis tam maſculini, quàm feminini ſexûs ſive ſui juris, ſive in poteſtate conſtitutis &c.* In *l. unic.* §. *ſin autem ex iis C. de caduc. toll. Sed ad omnes tam conjunctos, quàm disjunctos ſimiliter cum ſuo onere pro portione hereditatis perveniat.* Et in §. *hæc autem omnia ejuſd. Leg. hæc autem omnia locum habere cenſemus tam in teſtamentis, quàm in codicillis.* In *l. cùm oportet C. de bon. quæ lib. Cùm oportet ſimilem providentiam tam patribus, quàm liberis deferri.*

Imò ſi verborum vim accuratiùs, & ex- 14
quiſitiùs perpendamus, id quod ſubjicitur conjunctioni, *quàm*, aſſeverantiùs affirmatur, quàm quod ſubjicitur conjunctioni *tam*, & cùm illud compertum, exploratumque habeatur, ex eo deducitur affirmatio, & comparatio, ut hoc etiam pro certo habeatur. *Terent. in Eunuch. Act.* 4. *ſcen.* 4. *Parmenonis tam ſcio eſſe hanc techuam, quàm me vivere.* Certius eſt, eum vivere, quàm techнam illam eſſe Parmenonis: ſed ut hoc quoque credatur eſſe certiſſimum, cum eo quod exploratiſſimum eſt, comparat, & æquè certum eſſe affirmat. Cicer. *prim. in Verr. quod*

Digitized by Google

ſi quàm audax eſt ad conandum, tam eſſet obſcurus in agendo & in *Cecil. divinat. Ecquis unquam tam palàm de honore, tam vehementer de ſalute ſuâ contendit, quàm ille, atque illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur.* & *Lib.* 5. *epiſt.* 2. *tam ſum amicus Reip. quàm qui maximè*, & *Lib.* 13. *ep.* 3. *tam mihi gratum id erit, quàm quod gratiſſimum.* & *epiſt.* 20. *Lib.* 13. *ad Attic. Vellem tam domeſtica ferre poſſem, quàm iſta contemnere* Ovid. *de Ponto eleg.* 14.

> *Tam felix utinam, quàm pectore candidus eſſem.*

15 Hoc ipſum Leges noſtræ confirmant. In *l. verbum oportebit* 8. *ff. de Verb. ſign. Verbum oportebit tam præſens, quàm futurum tempus, demonſtrat.* Utique certius eſt, demonſtrare futurum tempus, quàm præſens. In *l. non ſolùm* §. *ſi mandatu ff. de injur. Si mandatu meo facta ſit alicui injuria, plerique aïunt tam me, qui mandavi, quàm eum, qui ſuſcepit, injuriarum teneri.* Eum, qui injuriam fecit, injuriarum teneri mánifeſtum: ex eo autem deducitur comparatio ad eum, qui mandavit, ut eum quoque æquè teneri cum aſſeveràtione affirmetur. In *l. pen. C. de his quib. ut indign.* ait Imperator. *Cùm Syllanianum Senatuſc. nobis tam laudandum, quàm corroborandum eſt,* agitur ibi de corroborando, & ex eo ducit argumentum laudis. In *l. non dubium C. de teſtam. Non dubium, nec incertum eſt, ſicut imperatoribus, ita quàlibet dignitate, vel poteſtate decoratis viris tam hereditatem, quàm legatum ſeu fideicommiſſum relinqui poſſe.* Plura omitto, nam

> *Non profecturis littora bobus aro.*

Tam enim perſuaſum eſt, in foro verſantibus veram eſſe contrariam opinionem, quàm ſolem lucere.

CAPUT III.

Ad L. quiſque 116. *ff. de Verb. ſign.*

SUMMARIUM.

1 *Filii appellatione filias contineri ex mente teſtatoris apud Idos obtinuit.*
2 *Secùs tamen reſpondendum, ſi conſtet de contrariâ teſtatoris voluntate.*
3. *De maſculis ſenſiſſe perſpicuè conjicitur, ſi in aliâ parte de filiis maſculis locutus ſit.*
4 *Etiamſi in diverſâ oratione id factum fuerit.*
5 *Repetitio qualitatis valdè differt ab interpretatione verbi ambigui.*
6 *Ex aliis teſtamenti partibus declaratur, quid teſtator ſenſerit.*
7 *Qualitatis in alio legato repetendæ mentionem factam eſſe oportet in eâdem oratione.*
8 *Contemplatio agnationis ad hoc non afferenda.*
9 *Hæc interpretatio magni ponderis eſt, etiamſi in aliâ parte, ex qua declaratur, eadem non ſit ratio ſolos maſculos vocandi.*
10 *Regula: ubi voluit, dixit; ergo, ubi non dixit, noluit: perperàm deducitur ex l. un. §. ſin autem ad deficientis C. de cad. toll.*
11 *Voluntas teſtatoris ex natura actûs maximè cognoſcitur.*

ALtera quæſtio eſt: an vocatis filiis, etiam filiæ feminæ vocatæ cenſeantur, ſi teſtator in aliâ teſtamenti parte de filiis maſculis mentionem fecerit. Conſtat filii ap- 1
pellatione filiam contineri *l. quiſquis* 116. *l. juſta* 201. *ff. de V. S. l. ſi ita ſcriptum ff. de leg.* 2. *l. ſi quis ita* 26. *in princ. ff. de teſtam. tut.* Id tamen apud veteres fuit controverſum: Labeo enim contrà ſentiebat, etiamſi adjectum fuiſſet verbum univerſale, *quiſquis filius d. l. quiſquis.* Sed reprobata fuit Labeonis ſententia, & approbata ſententia Proculi à Jaboleno eâ ratione, quia Labeo figuram verborum, Proculus mentem teſtatoris ſecutus eſt *d. l. quiſquis.* Igitur ſexus maſculinus continet femininum *l. qui duos* 61. *in fin.* & *l. ſervis legatis* 81. *in princ. ff. de leg.* 3. *l. pronunciatio* 195. *in princ. ff. de V. S.* non quidem ſecundùm figuram, hoc eſt, ſignificationem verborum; ſed juſtâ interpretatione, quâ Juriſconſulti & Imperatores verborum ſignificationem ad feminas extenderunt *l. juſta* 201. *ff. de V. S. l. cùm in adoptivis* 10. §. *qua in filio* 4. *C. de adoption.* Eo fit 2
ut ſi de contrariâ voluntate teſtatoris conſtiterit, ſecùs reſpondendum ſit. Verbum enim ambiguum eſt: & quidem non ſui naturâ, ſed prudentum interpretatione. In ambiguo autem ſermone non utrumque dicimus, ſed id tantùm, quod volumus *l. in ambiguo* 3. *ff. de reb. dub.* Appoſitè Jabolenus in *d. l.*

juſta. dixit *appellatione filii filiamfam. contineri ſæpè reſpondimus.* Sæpè eſt plerùmque, non ſemper. Et Ulpian. in *d. l. pronunciatio*: *ad utrumque ſexum plerùmque porrigitur*; nam ſi probabile ſit, teſtatorem de maſculis ſenſiſſe, facilè verbum ad propriam ſignificationem, naturamque recurret: & La-
3 beonis ſententia prævalebit. Satis autem perſpicuè conjicimus teſtatorem de filiis maſculis cogitaſſe, & ad eos retuliſſe ſermonem, cùm alibi de filiis maſculis locutus eſt. Hæc enim conjectura à Legibus ubique magni penditur; & ſecundùm eam reſpondent illi ipſi, qui nomen filii ad filias extenderunt.

Ulpian. in *l. qui filiabus* 17. *in princ. ff. de leg.* 1. *Qui filiabus legavit: ſi mentionem aliquâ parte teſtamenti poſthumæ fecit, videtur in filiarum legato, & de poſthuma ſenſiſſe.*

Id. in *l. ſi ſervus plurium* 50. *in fin. ff. eod.* Legatus certus numerus nummorum, nec expreſſum, cujus generis, cujus qualitatis nummi legati ſint. Reſpondit Ulpianus: *earum, quæ præcedunt, vel quæ ſequuntur, ſummarum ſcripta ſpectanda ſunt.*

4 His duabus legibus evincitur, errare eos, qui putant hoc admittendum ſolummodò, cùm nomen *maſculi* adjectum eſt in eâdem oratione: ſecùs autem, ſi in diverſâ. Clara ſunt verba legis: *ſi mentionem aliquâ parte teſtamenti poſthuma fecit*; &: *earum quæ præcedunt, vel quæ ſequuntur.* Multæ aliæ ſunt leges, quibus id docemur, ut *in l. Mævia* 43. *ff. de manum. teſt.* Ibi. *contextus verborum totius ſcripturæ. l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. Ibi: *neque ex contextu teſtamenti.* Sed de his uberiùs diſſerui in antecedentibus. Quid ad has leges reſpondent? Nihil. Standum eſt eorum auctoritati.

5 Hìc autem plerorumque errorem detegam neceſſe eſt. Non diſtinguunt repetitionem qualitatis ab interpretatione verbi ambigui: & in hâc quæſtione diſputant, quando teſtator videatur repetiiſſe maſculinitatem. Status noſtræ quæſtionis eſt longè diverſus. Hoc quæritur: an teſtator nominando filios, de maſculis ſenſerit, an verò etiam feminas comprehenderit. Si propriam verborum ſignificationem ſecutus eſt ſolùm maſculos: ſi prudentum interpretationem, maſculos & feminas comprehendiſſe dicemus. Eſt hoc verbum ambiguum: quid voluerit teſtator ſignificare, nemo meliùs declarare poteſt, quàm ipſe teſtator: ſatis autem declaraſſe videtur voluntatem ſuam; hoc eſt, quid nomine filiorum intellexerit, quoties ex aliis teſtamenti partibus conſtat, eum ſenſiſſe de maſculis. Nullâ hìc opus repetitione: ſola verbi ambigui interpretatio, & declaratio in hâc quæſtione verſatur. Eadem 6
prorſus eſt quæſtio de poſthumis: *Nomen filiarum & in poſthumam cadere, quæſtionis non eſt*, inquit Ulpianus in *l. nomen* 164. *ff. de V. S. l. ſi quis* 5. *ff. de teſtam. tut.* Sed ſi quis legaverit filiabus, non videtur legaſſe etiam poſthumæ. Legata enim relinquuntur ob merita *l. nec adjecit ff. pro ſoc.* nullum autem meritum eſſe poteſt ejus, qui non eſt in rebus humanis. Nec eadem eſt affectio, imò nec eſſe poteſt erga filiam, quæ nondum eſt, & fortaſſe numquam erit: ac erga viventes, & notas teſtatori: Igitur in legatis nomine filiarum poſthuma non continetur: verumtamen ſi aliquâ teſtamenti parte poſthumæ mentionem fecerit, de eâ quoque ſenſiſſe creditur *d. l. qui filiabus* non quidem vi tacitæ repetitionis, ſed interpretationis ductæ ab intelligentiâ ſenſuque teſtatoris. Haud aliter in *d. l. ſi ſervus* 50. *in fine*, ſummæ, quæ præcedunt, aut quæ ſequuntur, non repetuntur in legato certi numeri nummorum, nec repeti poſſunt; perverterent enim ac mutarent legatum; finge, legati ſunt centum nummi, dubitatur cujus generis nummi legati ſint. Propriè nummus eſt ſeſtertius, & ita accipiunt omnes latini auctores, qui nomine nummi ſeſtertium ſemper ſignificant. Nihilominùs quia ſunt nummi argentei *l. lege* 9. *ff. de leg. Cornel.* cujuſmodi erant ſeſtertii: ſunt etiam nummi aurei *l. quicumque* 8. *ff. eod.* idcircò incertum eſt, teſtator argenteoſne, an aureos legare voluerit. Si præcedant, vel ſequantur ſimilia legata, quorum ſumma vel proximè accedat, vel excedat ſummam centum aureorum: etiam

in

in hoc legato de centum nummis aureis ſenſiſſe teſtatorem reſponſum eſt. Non poſſunt hìc repeti ſummæ ſine everſione ipſius legati. Hoc tantùm præſtat aliarum ſummarum conſideratio, quòd nobis demonſtrat, quid ſenſerit teſtator, quid verbo ambiguo ſignificare voluerit.

Atque hæc interpretatio neceſſaria eſt, ne pereat legatum. Repetitio autem neceſſaria non eſt ad ſuſtinendum legatum, quod etiam ſine repetitione valebit: & cùm extrinſecùs adſciſcat qualitatem, aut conditionem, quam teſtator ipſe non adjecit, facilè non
7 debet admitti. Eo fit, ut requiratur in eadem oratione factam fuiſſe mentionem ejus qualitatis, quæ in alio legato repetenda eſt. *In l. Seja 20. §. 1. ff. de l. inſtrum. vel inſtr. Gajo Sejo alumno meo fundos meos illum, & illum, ita ut inſtructi ſunt, & domum ſuperiorem dari volo.* etiam domus inſtructa dari debet, cùm eâdem oratione eodemque legato contineatur, & fundis copuletur, niſi aliud ſenſiſſe teſtatorem, heres manifeſtè doceat. Quamquàm verè non ex repetitione id fit, ſed potiùs, quia verba illa, *ita ut inſtructi ſunt*, referuntur etiam ad domum. Similiter in *l. ult. §. ult. ff. de trit. vin. & ol. leg.* & in *l. nam quod liquidè 4. §. ult. ff. de pen. leg. omnem penum præter vinum, quod Romæ erit*: verba *quod Romæ erit*, afficiunt etiam penum. Cæterùm vera repetitio; nempè cùm id, quod in una diſpoſitione teſtator adjecit, ad aliam quoque traducimus, admittenda non eſt, niſi evidens aliqua ratio id ſuadeat. Sed hâc de re copiosè diximus in ſuperioribus. Quamobrem probè errant, qui repetitionis inducendæ regulas transferunt ad interpretationem verbi ambigui.
8 Errant pariter & illi, qui diſtinguunt, utrum teſtator familiæ ſuæ & agnationis conſervationem fuerit contemplatus, an non: primo caſu filiorum nomen ſolos maſculos aïunt comprehendere: ſecundo non item. Etenim hi evertunt ac deſtruunt regulam traditam in *l. qui filiabus*, in *l. ſi ſervus* & in aliis legibus, quas ſuprà recenſuimus: ſubvertunt regulam, quod una pars teſtamenti aliam declaret, quâ nihil aptius & conducibilius ad explicandam nominis ambiguitatem, & obſcuram teſtatoris mentem ac voluntatem in lucem veritatis proferendam. Quoniam agnationis contemplatio, familiæque conſervatio, ipſa per ſe ſola ſufficit ad excludendas feminas, in quibus familia finitur *l. pronunciatio 195. in fin. ff. de V. S. & l. ſeq.* ſuperflua igitur eſt, & inutilis regula, quæ in laudatis *ll.* conſtituitur. Et ſanè quàm alienum & abſurdum eſſet intrudere quæſtionem agnationis & conſervationis familiæ in legato relicto filiabus, in legato nummorum & ſimilibus? Sed has leges nihili faciunt quaſi alienas à propoſitâ quæſtione, & ad rem nihil attinentes.

Multò tolerabilior eſt error eorum, qui 9
putant, valere hanc regulam, cum eadem eſt ratio vocandi ſolos maſculos in utraque parte teſtamenti; aut cùm major eſt ratio in eâ diſpoſitione, in quâ filii ſimpliciter ſunt vocati. Enimverò ſi par, aut major ratio ſit, veriſſimum eſt nomen filiorum ad ſolos maſculos referri; ſed de hoc nulla eſt controverſia: & argumentum ducitur potiùs ab identitate, & majoritate rationis, ut aïunt, quàm à verbi ambigui rectâ interpretatione ex mente, ſenſuque teſtatoris. Non tamen verum eſt requiri parem eamdemque rationem in utroque caſu; eâque deficiente levem, atque inanem eſſe hanc interpretationem. Nuſquam enim in jure noſtro veteres tale quidpiam attigerunt. Sola mentio poſthumæ in aliquâ parte teſtamenti ſufficit Ulpiano in *l. qui filiabus ff. de leg. 1.* nihil curat de ratione: nihil requirit præter ſolam mentionem: factane fuerit in aliâ diſpoſitione, an alio modo, non quærit: ſufficit eum de poſthumis cogitaſſe, & filiarum numero poſthumas habuiſſe. Atque id unicè requiritur in hoc genere interpretationis *l. quæſitum 12. §. Papinianus quoque 45. ff. de inſtr. l. inſt. l. qui militabat 78. §. 1. verſic. veteres ff. de hered. inſt. l. ſi quis vinum 9. in princ. verſ. hæc omnia, & l. 1. ff. de trit. vin. & ol. leg. l. ſervis urbanis 91. in princ. ff. de leg. 3.* Porrò hi DD. prolabuntur in eum errorem, quem initio refutavimus. Nimirum non diſtinguunt repetitionem à verbi ambigui inter-

pretatione. Ad repetendam conditionem vel aliquam qualitatem extrinſecam plerùmque requiritur rationis identitas: ad interpretandum verbum ambiguum ſola declaratio teſtatoris ubicumque, & quomodòcumque facta ſufficit. Verùm enimverò non negaverim, quòd ſi in diſpoſitione, in quâ teſtator expreſſit filios maſculos, ſit aliqua ratio ſpecialis, quâ conſtet eum adductum fuiſſe ad excludendas feminas, quæ deficiat in diſpoſitione, in quâ ſimpliciter filios nominavit; in hâc diſpoſitione filiorum nomen etiam feminas poſſe comprehendere. Sed hoc probare tenentur ipſæ filiæ, quæ ſe comprehenſas eſſe contendunt.

10 Supereſt, ut confutemus opinionem eorum, qui hanc ſpeciem interpretationis nihili faciunt, & ſequuntur contrariam regulam: ubi voluit, dixit, ergo, ubi non dixit, noluit; quam deducunt ex *l. unic.* §. 11. *verſ. ſin autem ad deficientis C. de cad. tollend. nam ſi contrarium volebat, nulla erit difficultas conjunctim eam diſponere.*

Reſpondetur, eam Juſtiniani conſtitutionem, quæ eſt unicum contrariæ ſententiæ fundamentum, nihil ad rem noſtram pertinere. Non agitur ibi de interpretatione verbi ambigui: ſed de voluntate teſtatoris ſecundùm naturam legati, quod reliquit, interpretandâ. Non quæritur, quid verba teſtatoris ſignificent: ſunt enim clara; nec ulla in his eſt ambiguitas: imò teſtator de onere in collegatarium transferendo *ne verbum quidem.* Solùm quæritur, quid ferat natura legati disjunctim pluribus relicti: & à Juſtiniano ponitur differentia, quæ intercedit inter legatarios conjunctos, & disjunctos: eaque eſt, quòd uno deficiente pars ejus conjuncto accreſcit cum onere: disjuncto verò ſine onere. Id provenit ex diversâ naturâ utriuſque legati. Conjuncto propriè accreſcit pars conjuncti deficiens: disjuncto propriè non accreſcit, ſed ſibi non decreſcit. In conjunctis, altero deficiente alterius legatum augetur: in disjunctis non minuitur *d. l. un.* §. *ubi autem* 11. *verſ. ſin verò non omnes.* Hæc ideò quia in disjunctis teſtator ipſâ conceptione verborum ſolidum ſingulis aſſignat: licèt velit ſingulos partem virilem habere, ſi omnes concurrant: concurſu ſcinditur inter eos legatum §. *ſi eadem* 8. *inſt. tit. de legat.* & partes fiunt *l. planè* 34. §. *Sed ſi* 10. *ff. de leg.* 1. *l. conjunctim* 80. *ff. de leg.* 3. Cæterùm ſi alter non concurrit, alter ſolidum habet ex ſuâ perſonâ, non ex perſonâ deficientis: cùm enim ſolidum habuerit à teſtatore, nec alter ab eo partem ullam abſtraxerit concurrendo, ſuo jure ſolidum obtinet legatum nullâ in parte à collegatario diminutum *d.* §. *ubi autem verſic. ſin verò.* Contrà in conjunctis altero deficiente, alter, qui legatum agnoſcit, partem deficientis ex ejus perſonâ capit proprio jure accreſcendi: quoniam licèt teſtator videatur ſingulis ſolidum dediſſe; tamen vi ipſâ conjunctionis tum rei legatæ, tum verborum, ſingulis dedit. Nam qui dat Titio & Sempronio rem aliquam, cùm integram quilibet habere non poſſit, re ipſâ dat utrique dimidium. Quocirca olim in legato damnationis pars deficiens penès heredem remanebat, ſi conjunctim legatum fuiſſet; ſi disjunctim, ſolidum legatum legatarius obtinebat. *Ulpian. tit.* 24. §. 13. *l. planè* 34. §. *ſi conjunctim ff. de leg.* 1. *l. ſi Titio* 7. *ff. de leg.* 2. etiamſi ambo concurrant Cajus *lib.* 2. *inſt. tit.* 5. §. 5. Ulp. *ibid.* §. 12. Pro diversâ horum legatorum naturâ ſtatuit Juſtinianus, ut conjuncto pars deficiens accreſcat etiam invito, & cum onere adjuncto juxta regulam *text. in l. qui in jus* 177. *ff. de R. J. & l.* 4. *ff. de legat.* 2. *& l. ſi Titio* 61. §. *ult. ff. eod.* disjuncto verò volenti dumtaxat, & ſine onere. Et hoc ſtatuit ſecundùm voluntatem teſtatoris, qui *ſi contrarium volebat, nulla erit difficultas conjunctim ea diſponere.* Rectè ſanè. Semper enim intelligendum eſt, tum contrahentes, tum teſtatores diſpoſuiſſe ſecundùm naturam actûs, niſi expreſſim contrarium declaraverint, ut luculenter oſtendimus in ſuperioribus.

11 Prætereà etiamſi ageret Imperator de interpretatione verbi ambigui, tamen nihil contra nos probaret; quia nullum aliud verbum clarum & indubitatum eſt, ex cujus

Digitized by Google

ſignificatione ſumi poſſit ambigui verbi interpretatio, & cognoſci voluntas teſtatoris. Hic autem nullâ opus eſt interpretatione, quia ea ſatis cognoſcitur ex naturâ legati, ex naturâ actûs. Itaque hæc conſtitutio Juſtin. à noſtrâ quæſtione eſt alieniſſima. Non nego tamen audiendas eſſe feminas, ſi velint probare, ſe nomine filiorum comprehendi: ſed ipſis onus probationis incumbit, quia contra eos ſtat regula, & præſumptio juris.

CAPUT IV.

Ad L. quoniam ſororem C. de jur. deliber.

SUMMARIUM.

1 *Hereditas non adita non tranſmittitur. Idem eſt de bonorum poſſeſſione.*
2 *Hereditas ex teſtamento legis auctoritate nobis acquiritur.*
3 *Item & multò magis hereditas ab inteſtato.*
4 *Jus adeundi hereditatem an tranſmitti poſſit & n. 5.*
6 *Exponitur l. 4. in fin. cum l. ſeq. ff. de bonorum poſſeſſ. contra tab.*
7 *Bonorum poſſeſſio quæ ex æquitate prætoris decernitur, non ex jure defuncti competit, ſed ex prætoris auctoritate.*
8 *Exponitur l. 3. §. eleganter ff. ad SC. Syllan.*
9 *Explicatur l. qui patri 59. ff. de acquir. hered.*
10 *Bonorum poſſeſſio infantis nomine agnita, eo die functo in infantia, ad heredes tranſmittitur.*
Sui heredes tranſmittunt bona & hereditatem paternam ad heredem quaſi proprium ipſorum patrimonium, non quaſi patris hereditatem non aditam.
11 *Bonorum poſſeſſionem verò, niſi agnita fuerit, non tranſmittunt.*

1 HEreditas non adita non tranſmittitur. Juſtin. in *l. un.* §. *in noviſſimo C. de caduc. toll. Hereditatem, niſi fuerit adita, tranſmitti, nec veteres concedebant, nec nos patimur.* Idem confirmat in *l. quoniam ſororem*, & in *l. ſi infanti* §. *ſin verò C. de jure deliber.* Idem traditum de bonorum poſſeſſione in *l. emancipata* 1. *C. qui admitti.* Adeò ut etiamſi per alium heredis nomine fuerit agnita, & heres moriatur, antequàm ratam habuerit agnitionem, eam non tranſmittat. Quod luculenter explicatur ab Ulpiano in *l.* 3. §. *acquirere ff. de bon. poſſeſſ.*

2 In inveſtigandâ certiſſimæ hujus regulæ ratione diſcruciantur interpretes noſtri. Sex numero collegit & refutavit doctiſſimus Gomez. Dicam & ego, quod ſentio. Rem altiùs puto eſſe repetendam. Lex XII. Tab. ampliſſimam diſponendi de rebus ſuis facultatem omnibus tribuit. Uti quiſque legaverit rei ſuæ, ità jus eſto. *l. verbis legis* 120. *ff. de V. S.* Si hæres à teſtatore inſtitutus hæreditatem adeat, ſtatim acquirit hæreditatem, & omne jus defuncti. *l. hæres quandòque* 54. *ff. de acquir. vel om. hæred.* atque id legis auctoritate, quæ teſtamentarias hæreditates confirmat. *l. lege obvenire* 130. *ff. de V. S.* Itaque lege obvenit hæreditas hæredi inſtituto, *d. l. lege obvenire* 130. non autem ejus hæredi, qui à teſtatore vocatus non eſt: adeòque ejus vocationem, & inſtitutionem Lex non confirmat: neque poteſt confirmare, deficiente teſtatoris diſpoſitione. Cùm autem Lex invito non deferat hæreditatem, præterquàm hæredibus neceſſariis: conſequens eſt, hærede non adeunte deſtitui teſtamentum & irritum fieri. *l.* 1. *ff. de injuſt. rupt. princ. tit. inſt. de hæred. quæ ab int.* quoniam hæredis inſtitutio caput eſt, & fundamentum totius teſtamenti. §. *ante hæredis* 34. *inſt. tit. de legat.* & vires capit ab inſtitutione. *l. quod per manus* 10. *in fin. ff. de jur. codicill.* nec poteſt ullum teſtamentum valere, quod hæredem non habet. *l. penult. verſ. nec poteſt. ff. de his, quæ in teſtam. del.* Deſtituto, atque irrito facto teſtamento nemo quidquam juris habere poteſt ex eo: defertur enim hæreditas ab inteſtato. *l. ſi quis filium* 34. *propè fin. C. de inoff. teſt.* Ibi: *teſtamento remoto ab inteſtato eum vocari l. ſcripto* 7. *in princ. ff. ſi tab. teſt. null. ext. l. quamdiu* 39. *ff. de acquir. hæred.* & omne jus habet hæres ab inteſtato, cui Lex ipſa defert hæreditatem. §. 1. *& ſeqq. inſtit. de hæred. quæ ab int.* Hæres igitur ejus, quem teſtator inſtituit, nullum jus habere poteſt. Non ex teſtamento, quod irritum eſt, & non ſubſiſtit: non ex voluntate teſtatoris, qui eum neque vocavit, neque inſtituit: non ex legis auctoritate, quæ ſolùm fovet, & tuetur inſ-

ſtitutos à teſtatore, cujus diſpoſitionem confirmat: non ex jure hæredis inſtituti, qui habet quidem facultatem adeundi; ſed ſi nolit, aut non poſſit adire, non poteſt alium hæredem facere, transmittendo in eum hæreditatem non aditam, in quam nullum jus habet.

3 Eadem ratio, imò multò major, eſt in hereditate inteſtatâ, quæ legitima appellatur, quia à ſolâ lege defertur, & jure legitimo nobis obvenit *l. 3. §. de illo ff. pro ſoc.* Lex autem eamdem defert quibuſdam certis perſonis, hoc eſt, proximis in ſuo cuique ordine: nec perſonas à lege vocatas prætergredi poteſt *l. 2. §. legitima ff. de ſuis & legit. hered.* Ibi: *legitima hereditas tantùm proximo defertur.* Si defertur tantùm proximo: non defertur ejus heredi: non poteſt igitur eam acquirere *l. delata ff. de V. S.* Certiſſimo argumento eſt, quòd proximo, qui vocatus erat à lege, non adeunte, alteri proximiori, qui deinceps eum gradu ſequebatur, hereditas vacans minimè deferebatur. Nam ne inter proximos quidem, quamvis à lege vocatos, erat ſucceſſio *§. placebat inſtit. tit. de legit. agnat. ſucceſſ. l. 1. §. ſciendum & l. 2. in princ. ff. de ſuis & legit. hered.* Si proximo, cui delata fuerat hereditas, non adeunte, ſucceſſio expirabat, & ſequenti non deferebatur, licèt eſſet ex ordine, ac numero eorum, qui à lege vocabantur: multò minùs deferri poterat ad proximi non adeuntis heredem, qui non eſt numero vocatorum à lege.

4 Hoc probè ſtabilito & fixo, excutienda ſunt ea, quæ contrà opponuntur. Primum autem illud putant inſolubile argumentum. Quamvis transmitti non poſſit ipſa hereditas, quia non eſt in bonis noſtris *l. pretia rerum ff. ad leg. Falcid.* tamen transmitti poteſt jus adeundi, quod habet ad hereditatem vocatus, ex quo ei delata fuit hereditas *l. 3. C. de inſt. & ſubſt.* quod nonniſi triginta annis præſcribitur *l. licet. C. de jure delib.* adeòque eo mortuo jus hoc adeundi tranſire debet in heredem, in quem tranſeunt omnia jura defuncti. *l. heres in omne 17. ff. de acquir. vel omit. hered. l. nihil aliud. ff. 24. de V. S.*

In promptu eſt ex dictis reſponſio. Jus adeundi non habet niſi ille, cui delata eſt hereditas: hic enim ſolus eam poteſt acquirere *l. delata 151. ff. de V S. l. is qui heres 13. in princip. l. nec is 17. in fin.* junctâ *l. ſeq. l. ſi is ad quem 21. ff. de acq. vel om. hered.* Atqui heredis heredi non defertur hereditas, neque ex teſtamento, quia non eſt inſtitutus: neque ab inteſtato, quia non vocatur à lege, cùm non ſit proximus, ergo non poteſt habere jus adeundi. 5

Secundo loco contrarium videntur reſpondiſſe Paulus, & Julianus in *l. 4. in fin. cum l. ſeq. ff. de bon. poſſeſſ. contra tab.* Species legum hæc eſt, Pater reliquit filium jam natum, & uxorem prægnantem: filium inſtituit, poſthumo præterito. Notat Paulus, quod filius inſtitutus poteſt agnoſcere bonorum poſſeſſionem contra tabulas, etiam antequàm naſcatur poſthumus, ut ſi decedat, antequàm naſcatur poſthumus, beneficium bonorum poſſeſſionis ad heredem transmittat. Subdit Julianus in *l. ſeq.* Sed etſi deceſſerint, antequàm peterent bonorum poſſeſſionem, non eſt iniquum, prætorem decernere, eorum heredibus ſalvum fore commodum bonorum poſſeſſionis ſecundùm tabulas, vel contra tabulas. 6

Reſp. his ipſis legibus perſpicuè demonſtrari bonorum poſſeſſionem non tranſmitti. In *l. 4.* Paulus filium jam natum admittit ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas, quia iniquum eſſet, eum morientem ante natum poſthumum non tranſmittere beneficium bonorum poſſeſſionis ad heredem. Ergo ſi non eam agnoſceret, non tranſmitteret. In *l. ſeq.* heredibus datur bonorum poſſeſſio, etiam ſi ille ante mortem eam non agnoverit: non tamen ei competit ex vi transmiſſionis, ſed ex decreto Prætoris. Si defunctus in heredem tranſmiſiſſet bonorum poſſeſſionem, heres poſſet eam agnoſcere, nec opus eſſet decreto Prætoris. Edictalis enim bonorum poſſeſſio, quæ ex edicto defertur, & agnoſci, & repudiari poteſt *l. 1. §. unus enim quiſque ff. de ſucceſ. edict.* decretalis non item, quia non defertur edicto, ſed à Prætore pro re natâ, & urgente æquitate decernitur, atque adeò ſi-

mu! & decernitur, & defertur, & acquiritur: acquiſita autem amplius repudiari non poteſt *l. 1. §. decretalis ff. eod.* In hâc igitur, quia ceſſant edicti verba, ſed naturalis ratio, & æquitas urget, decretum Prætoris eſt neceſſarium *l. in ambiguis 85. §. ult. ff. de reg. jur.* cujuſmodi ſunt exempla in *l. ſi duobus 14. §. ult. ff. de bon. poſſ. contr. tab. l. ventre præterito 84. ff. de acquir. vel om. hered. l. deceſſit 8. in princ. ff. de Carb. edict. l. 1. §. ſi*
7 *ea qua 14. ff. de ventr. in poſſeſſ. mit.* Ad rem igitur. Cùm defunctus legitimo impedimento remoratus fuerit à petendâ bonorum poſſeſſione, quia ſcire non poterat, utra bonorum poſſeſſio foret competitura: nam poſthumo naſcente danda erat ei contra tabulas: eo non naſcente ſecundùm tabulas: iniquum eſt, eum non tranſmittere beneficium bonorum poſſeſſionis ad heredem *d. l. 4.* verùm quia, ſi neutram agnoverit, nullo modo poteſt eam non agnitam tranſmittere: idcircò urgente æquitate Prætor decreto ſuo debet heredi ejus ſubvenire, atque ipſi bonorum poſſeſſionem decernere. Habet igitur heres bonorum poſſeſſionem non à defuncto ope tranſmiſſionis: ſed à decreto Prætoris, ſine quo nullum haberet jus, ſicut nullum habet ante decretum: per decretum enim ei ſimul & defertur, & acquiritur bonorum poſſeſſio. *l. ventr. præterito 84 ff. de acquir. vel. om. hered. l. ſcriptus 12. ff. de Carbon. edict.* in quibus pariter eâdem de cauſâ heredibus à Prætore ſuccurritur.

8 Tertiò opponi poteſt *l. 3. §. eleganter. & l. 4. ff. de S C. Syllan.* Teſtator fuit occiſus: heres ſcriptus in teſtamento hereditatem non adivit, eâque non aditâ mortuus eſt: tranſit hereditas ad ejus heredes, eiſque dantur actiones utiles.

Reſp. non tranſmitti hereditatem à defuncto non aditam ad ejus heredes, argumento eſt, quòd ſi tranſmitteretur ad heredes hereditas teſtatoris occiſi, haberent actiones directas, cujuſmodi eas habebat occiſus *l. heres in omne ff. de acquir. vel om. hered.* non autem utiles. Igitur ita ſe res habet. Senatuſc. Syllanianum vetuit aperiri teſtamentum teſtatoris, &, qui aperuerint, etiam Prætoris edicto puniuntur *l. 3. §. quod ad cauſam 18. cum ſeqq. ff. de SC. Syllan.* Ante apertas teſtamenti tabulas non poterat heres adire hereditatem, ſed interim quæſtio de ſervis habenda erat *d. l. 3. §. quod ad cauſam 18. & §. non tantùm 29. ff. ad S C. Syllan.* Iniquum igitur viſum eſt, tum ipſum heredem, tum ejus heredes privari emolumento hereditatis ſine ullâ ipſorum culpâ: ſed ſolùm ex eâ re, quòd legi paruerunt. Nam ſi alia quæcumque cauſa remoretur heredem ab adeundâ hereditate præter metum Senatuſconſulti, ejus beneficio non gaudet *d. l. 3. in fin. & l. 4. ff. de SC. Syllan.* Succurrendum igitur heredi fuerat aliquo modo, ſi ante apertas tabulas deceſſiſſet. Neque enim heres poterat hereditatem non aditam tranſmittere: neque hoc contra certiſſimam juris regulam voluit Senatus decernere. Decrevit igitur in heredes defuncti tranſire actiones utiles, ad reparandum damnum, quod ipſis à Senatuſcon. fuiſſet obventurum *d. l. 3. & 4.* Si in heredes tranſirent directæ actiones, ipſa hereditas eſſet tranſmiſſa, ex quâ dantur directæ actiones. Tranſeunt igitur actiones utiles, quæ ſunt quidem ſimiles actionibus directis, eiſque deficientibus dantur ad earum ſimilitudinem, idemque perſequuntur *l. 5. C. ſi aliena res pign. l. naturalis 5. §. 4. verſ. ſed tutius ff. de præſcr. verb. l. 3. C. de don. quæ ſub modo l. 1. C. de pact. conven. tam ſuper dot.* His animadverſis apparet, hâc lege demonſtrari, hereditatatem non aditam tranſmitti non poſſe.

Sed rurſus opponi poteſt perdifficilis text. 9
in *l. qui patri 59. ff. de acquir. vel omit. hered.* Species legis eſt. Pater habebat duos filios alterum puberem, alterum impuberem: utrumque heredem inſtituit: & impuberi ſubſtituit pupillariter fratrem puberem. Hic mortuus eſt ante pupillum inſtituto herede Titio. Poſtquàm Titius adiit hereditatem, moritur pupillus in ætate pupillari. Evenit igitur caſus pupillaris ſubſtitutionis: verùm quia frater ſubſtitutus non eſt amplius in rerum naturâ, non poteſt ad eum hereditas pervenire. Nihilominùs Titiò defertur, imo Titiò neceſſario acquiritur. Atqui frater pubes, qui eum he-

Digitized by Google

redem inſtituit, non potuit adire fratris impuberis viventis hereditatem, quia viventis hereditas adiri non poteſt *l. ſi quis mihi bona* 15. §. *an nominatim l. neminem* 27. *l. heres* 32. *in princ. ff. de acquir. vel omit. hered.* ergo tranſmiſit in Titium ſuum heredem pupilli hereditatem, quam ante mortem nec adivit, nec adire potuit.

Reſp. quòd Titio obvenit quidem hereditas pupilli ultimò morientis, non jure tranſmiſſionis, ſed jure accreſcendi. Non jure tranſmiſſionis, quia hereditas pupilli fratri præmortuo numquam fuit delata. Nulla enim eſt viventis hereditas, nec eſt in rerum naturâ, *l.* 1. *ff. de act. vel hered. vend.* adeòque tranſmitti non poteſt, quemadmodùm nec vendi. *d. l.* 1. *& l. non putavit* 8. §. 2. *primo gradu ff. de bon. poſſ. contra tab. l. ſed ſi plures* 10. *in princ. ff. de vulgar. & pupill. l. quidam verſ. ego autem. uſq. ad* §. 1. *ff. de jur. codicil.* Obtinet igitur hereditatem jure accreſcendi *d. l. qui patri. in fin.* Ibi: *& accreſcendi jure acquiri cuicumque patris heredi.* Quid ita? Nempè ſicut filii à patre inſtituti ſunt neceſſarii heredes patri, ita, etſi pupillariter ſibi ſubſtituantur, alter alterius eſt heres neceſſarius: unicum enim eſt teſtamentum, & quod pro ſe facit pater heredem inſtituendo, & quod pro filiis, pupillariter ſubſtituendo *l.* 2. §. *prius autem ff. de vulg. & pupill.* & noſtra *l. qui patri in princ.* Itaque filius pubes qui fuit patri heres, neceſſariò etiam debet habere hereditatem fratris impuberis, cui pupillariter fuit ſubſtitutus, nec poteſt eam repudiare *l. ſi plures* §. *filio. cum ſeq. ff. de vulg.* Atque hæc neceſſitas etiam ejus heredi à jure imponitur *d. l. qui patri.* Ibi: *nam is, qui heres extiterit, pupillo quoque heres neceſſariò erit.* Etenim ſicut defunctus erat obligatus ad ſuſcipiendam pupilli fratris hereditatem, quandocumque in pupillari ætate deceſſiſſet, ita obligatus eſt ejus heres: ſicut vivente fratre pupilli morientis hereditas neceſſariò jungi debebat paternæ hereditati, ita eidem conjungi nunc debet: adeòque ad Titium pervenire, qui paternam hereditatem poſſidet, quæ ad ſe trahit hereditatem pupilli jure accreſcendi. Titius enim non ſolùm eſt hæres puberis pridèm defuncti; ſed etiam patris ejus. *l. ſi quis filium* 7. *in fine ff. de acquir. hered.* non poteſt igitur prætermittere hereditatem *d. l. qui patris in princ. l. quidam elogio* 10. *C. de jure delib.* Porrò hæc Neratii definitio ſingularis eſt, & memoriæ mandanda.

Poſtremò contrarium videtur reſcriptum 10
Imperatorum in *l. infaneis* 3. *C. qui admitti. Infantis nomine agnitam bonorum poſſeſſionem, &, antequam loqueretur, diem functi rectè competere nulla dubitatio eſt.* Bonorum poſſeſſio per alium nobis acquiri non poteſt, niſi ratam habuerimus ejus agnitionem *l.* 3. §. *acquirere ff. de bon. poſſ. l. ſi quis alicui* 48. *ff. de acquir. vel omit. hered.* Infans autem ratam habere non poteſt, quod nomine ejus geſtum eſt, cùm nullum habeat intellectum §. *ſed quod diximus* 10. *inſtit. tit. de inut. ſtipul.* & furioſo comparatur *l.* 1. §. *furioſus ff. de acquir. vel omit. poſſeſ.*

Reſp. quòd licèt in multis juris articulis infans furioſo comparetur; tamen quoad acquirendam bonorum poſſeſſionem non eſt ſimilis furioſo *l.* 2. § *ſed ſi infanti* 13. *ad SC. Tertyll.* Multa enim ſingulariter favore infantis ſunt conſtituta: præſertim quoad acquirendam hæreditatem vel poſſeſſionem præcipuè in *l. ſi infanti C. de jur. delib.* in quâ patri datur facultas non ſolùm petendi bonorum poſſeſſionem pro filio infante, ſed etiam adeundi hæreditatem: quod abhorret à regulis juris *l. potuit* 5. *C. eod.* imò, etſi adire neglexerit, & infans deceſſerit, poteſt jure patrio bona infanti devoluta quaſi jam infanti quæſita occupare. *d. l. ſi infanti in princ. & in* §. 1. *C. eod.* Inter hæc infanti ſingulariter indultum, ut bonorum poſſeſſionem ſuo nomine agnitam moriens ad hæredem tranſmittat *d. l.* 3. *C. qui admitti.* Animadvertendum tamen eſt, quòd non tranſmittit bonorum poſſeſſionem non agnitam: ſed agnitam ab alio ejus nomine. Hoc enim ſingulare eſt in infante, ut teneat agnitio, etiamſi eam ratam non habuerit, nec habere potuerit: & nihilominùs bona defuncti acquirat *l. ſi infanti* §. 1. *C. de jure delib.* eaque tranſmittat ad hæredes, quaſi

Digitized by Google

ſibi quæſita, non quaſi delata *d.* §. 1. Cæterùm ſi non fuiſſet agnita bonorum poſſeſſio, eam ad hæredes non tranſmitteret. *d. l. ſi infanti* §. *parente.* Itaque quoad tranſmiſſionem nullum privilegium habere videtur. Illud etiam ſilentio minimè prætermittendum, quòd licèt Juſtinianus conceſſerit hæredibus jus deliberandi intra annum, eiſque intra hoc tempus decedentibus jus ſuum ad hæredes tranſmittere: tamen illi intra tempus deliberandi decedentes non tranſmittunt hæreditatem, quam tranſmittere non poſſunt, cùm eam non adiverint. Tranſmittunt igitur ſolummodò jus deliberandi, quod à lege ſunt conſecuti *l. cùm in antiquioribus C. de jur. delib.* Ibi: *Prædictum arbitrium in ſucceſſionem ſuam tranſmittat.* Non tranſmittitur hæreditas, ſed arbitrium, videlicèt, jus & facultas adeundi, vel repudiandi hæreditatem. Non acquirunt igitur hæreditatem, niſi adiverint: & quidem intra reliquum tempus ejus anni, qui datus eſt ad deliberandum, quo elapſo, ſicut non potuiſſet adire defunctus, ità nec ejus hæredes, in quos tranſit ſolummodò arbitrium, quod defunctus habebat *d. l. in fine.*

11 Doctores noſtri aïunt ſuos hæredes potentiâ ſuitatis ad hæredes tranſmittere patris hæreditatem. Quod meo judicio falſiſſimum eſt. Transferunt enim ad hæredem bona, & hæreditatem non tamquàm acquirendam & adeundam, ſed tamquàm ſibi jam acquiſitam: non tranſeunt ea bona in hæredem tamquàm patrimonium & hæreditas patris: ſed tamquàm patrimonium filii, ejuſdem hæreditas. *l. qui duos* 29. *in princ. verſ. in eâ tamen ff. de reb. dub.* Jungitur enim hæreditas patris cum hæreditate filii, & incipit eſſe una hæreditas: adeòque à patre ſubſtitutus filio non poteſt ſeparare hæreditates, ut *filii habeat, patris non habeat l. ſed ſi plures.* 10.§. *filio ff. de vulg.* Hæreditas enim pro parte repudiari non poteſt *l.* 1. *&* 2. *ff. de acquir. vel om. hæred.* Quamobrem ſi filiusfam. hæredem inſtituerit de bonis caſtrenſibus, & ignorans, ſe patri hæredem extitiſſe, deceſſerit: hæres inſtitutus non ſolùm bona caſtrenſia obtinebit, ſed etiam paterna, ne pro eâ parte decedat inteſtatus *l. hæreditate* 19. §. *filiusf. ff. de caſtrenſ. pecul. l. idem* 13. *in fine cum l. ſeq. ff. de teſtam. mil.* Ratio eſt expedita. Suus hæres ſtatim à morte patris ſine aditione, ſine immixtione fit hæres etiam ignorans, & invitus §. *ſui autem* 2. *inſt. tit. de hæred. qual. & differ.* Quòcirca extraneus rogatus hæreditatem reſtituere, anteà cogitur adire, & deinceps reſtituere: non enim acquirit hæreditatem, niſi eam adiverit: nec poteſt reſtituere, niſi priùs eam acquiſiverit *l. quia poterat* 4. *ff. de SC. Trebell.* at verò ſuus ſtatim reſtituere cogitur, quia ſtatim ipſo jure, ſine ullo facto hæreditatem acquiſivit *l. ità tamen* 27. §. *ſi pater ff. eod.* Itaque ſucceſſoribus filii defertur hæreditas ipſius filii, in quâ continentur etiam bona patris ab ipſo jam acquiſita. Perſpicuè J C. in *l. qui duos* §. *ult. ff. de reb. dub.* Si Lucius Titius cum filio pubere, quem ſolum in teſtamento ſcriptum habebat hæredem, perierit, intelligitur ſupervixiſſe filius patri, & ex teſtamento hæres fuiſſe: & filii hæreditas ſucceſſoribus ejus defertur. Nihil clarius. Filio acquiritur hæreditas patris, quia aliquo ſaltèm momento patri ſupervixiſſe intelligitur: ſucceſſoribus filii defertur hæreditas ipſius filii, cui inſunt & bona paterna, filio jam acquiſita. Igitur bona paterna obtinent filii ſucceſſores non jure tranſmiſſionis, ſed tamquàm bona hæreditaria filii, cui ſuccedunt. Confirmatur id *l. Lucius Titius* 9. *ff. de jure fiſci.* Ibi: *ità omnis hæreditas ad matrem poſthumi devoluta eſt.* Nam poſthumus naſcendo rumpit teſtamentum, in quo præteritus erat *l.* 1. *&* 3. *ff. de injuſt. rupt.* & licèt brevi vivat, tamen rupto teſtamento fit hæres patris ab inteſtato: ejuſque hæreditas, cùm moritur, ab inteſtato pariter ad matrem devolvitur. Non tranſmittitur à filio, ſed devolvitur ad matrem, quæ acquirit hæreditatem filii, non præmortui patris, cui ab inteſtato ſuccedere non poteſt: ſcilicèt uxor marito ſuo §. *ſunt autem* 3. *inſt. tit. de bonor. poſſeſſ.*

In eodem errore verſantur, qui putant 12 ſuum hæredem potentiâ ſuitatis etiam bonorum poſſeſſionem tranſmittere contra legem

expreſſam: eſt autem ea *l.* 1. §. *ibidem* 8. *ff. de collat. bon.* ubi ſuus hæres non tranſmittit bonorum poſſeſſionem niſi eam, antequàm moreretur, agnoverit. Habent quidem filii ſucceſſores jus petendæ poſſeſſionis, ſed in hæreditate filii, cui ſuccedunt, non in hæreditate patris, cui non ſuccedunt, & perſequi poſſunt patrimonium filii, non patris, in quo nullum jus habent, niſi quatenùs factum eſt filii patrimonium.

CAPUT V.

Ad L. ſi poſt diem 5. ff. quando dies leg. ced.

SUMMARIUM.

1 *Legatum etiam non agnitum tranſmittitur ad hæredes legatarii, ſi deceſſerit, poſtquàm ceſſit dies legati.*

2 *In legatis purè & in diem relictis dies cedit à morte teſtatoris.*

3 *Etiamſi hæreditas adita non fuerit.*

4 *Non ſolùm, ſi hæres decedat, dum de hæreditate adeundâ deliberat, ſed etiam ſi non poſſit interim adire, & n. 11.*

5 *Legati ſub conditione relicti dies non cedit, niſi conditione impletâ.*

6 *Conditiones aliæ ex teſtamento, aliæ extrinſecùs veniunt.*

7 *Conditiones, quæ tacitè inſunt, non impediunt tranſmiſſionem, etſi exprimantur.*

8 *Conditio, quæ tacitè ineſt, ſi exprimatur, mutat rei effectum, quoties expreſſa non eamdem vim habet, quàm tacita.*

9 *In omni legato ineſt conditio, ſi legatarius velet. Quid juris ſi ea exprimatur & n.* 10.

12 *Legatarius moriens poſt teſtatorem legatum tranſmittit, etiamſi id ſibi relictum ignoret.*

13 *Quorumdam legatorum dies cedit ab aditâ hæreditate; iis ſunt legata ſervitutis & alterius rei, quæ perſonæ cohæret.*

14 *Et legatum libertatis & quodcumque illi conjunctum ſit.*

15 *In legatis conditionalibus cedit dies exiſtente conditione.*

16 *Non ita eſt in conditione certò extiturâ vivo legatario.*

17 *Ejus tamen una ſpecies eſt, quæ ſuſpendit diei ceſſionem, & impedit tranſmiſſionem.*

1 IN legatis & fideicommiſſis contraria regula ſtatuenda eſt. Quæ de legatis dicemus, etiam de ſingularibus fideicommiſſis dicta intelligantur, cùm omninò ſint illis exæquata *l.* 1. *ff. de legat.* 1. Legatum igitur etiam non agnitum tranſit ad hæredes legatarii, dum is poſt diem legati cedentem decedat *l. ſi poſt diem* 5. *in princ. ff. qu. dies leg. ced. l.* 4. *in princ. verſ. ſed etſi deceſſerit ff. de alim. vel cibar. leg.* Quid ità? Quia cùm dies legati cedit, naſcitur obligatio legati, & incipit deberi legatario *l. cedere diem in princ.* 213. *ff. de V. S.* Hæc autem obligatio tranſeat ad hæredes neceſſe eſt. *l. hæres in omne* 37. *ff. de acquir. vel omit. hæred. l. ex contractibus* 49. *ff. de oblig. & act.* Igitur ut intelligamus, quandonam legatum tranſmittitur, ſcire oportet, quandonam dies legati cedat. Hoc autem cum diſtinctione definiendum eſt. Legata aut purè, aut in diem, aut ſub conditione relinquuntur. Legatorum, quæ purè, aut in diem certum relinquuntur, par eſt ratio quoad ceſſionem diei *l. poſt diem* 5. §. 1. *&* 2. *ff. qu. di. leg. ced.* Item, & legati ſub conditione, & in diem incertum idem jus eſt, quia dies incertus incertam in teſtamentis conditionem facit *l. dies incertus* 75. *ff. de cond. & dem.* Itaque in duo genera ſunt diſtribuenda legata, pura & conditionalia. Illud tamen animadvertendum, quòd etiam dies incertus pro certo habetur in tranſmiſſione, dum certò ſit extiturus vivo legatario, licèt ignoretur, quando ſit extiturus. Veluti ſi Titio legata ſint centum, cùm morietur. Ignoratur quidem, quando ſit moriturus Titius: ſed certum eſt, eum moriturum, cùm vivit, vivi enim morimur, non mortui *l. qui duos* §. 1. *ff. de man. teſtam.* Quapropter Titius moriens tranſmittit legatum ad hæredem *l. hæres meus* 79. *in princ. ff. de cond. & dem. l.* 4. §. *ult. ff. quando di. leg. ced.* Contrà ſi dies adeò ſit incertus, ut non ſolùm ignoretur, quando ſit extiturus, ſed etiam, an ſit extiturus vivo legatario, conditionem facit, & impedit tranſmiſſionem. Veluti ſi Titio legatum ſit, cùm hæres morietur. *d. l.* 4. *in princ. d. l. hæres meus* 78. §. 1. Atque hoc multò magis obtinet, ſi legetur, cùm Titius conſul factus fuerit: cùm ad pubertatem pervenerit: cùm Romam iverit *l. ſi cui legetur*

Digitized by Google

getur 49. §. *hoc autem ff. de leg.* 1. *l. ſi ità ſcriptum* 45. §. *ult. ff. de leg.* 2. *l. cùm vir.* 25. *l. Publius* 36. *ff. de cond. & demonſt. l. ſi ità ſcriptum* 16. *ff. de manum. teſt. l. ſervus liber* 19. *ff. de ſtatulib.*

2 His præmonitis, ac probè ſtabilitis illud ſtatuendum, in legatis puris diem cedere vel à morte teſtatoris, vel ab aditâ hereditate. Regula certiſſima eſt, quòd dies cedit à morte teſtatoris. Traditur hæc à Paulo in *l.* 5. §. 1. *ff. qu. di. leg. ced. ſi purum legatum eſt, ex die mortis dies ejus cedit. Si verò poſt diem ſint legata relicta, ſimili modo atque in puris dies cedit.* Tradita à Juſtiniano in *l. un.* §. *in noviſſimo C. de caduc. toll.* Ibi: *& dies legatorum, & fideicommiſſorum morte defuncti cedere.* & in §. *cùm igitur. Legatorum, vel fideicommiſſorum purè, vel in diem relictorum diem à morte teſtatoris cedere.* Suſtulit in eâ lege Juſtinianus legem Papiam, quâ cautum erat, ut legatorum ante apertas teſtamenti tabulas dies non cederet, & caduca fierent: de quibus Juſtin. in *d. l.* & *Ulp. in fragm. tit. de Cad.*

3 Hoc autem adeò verum eſt, ut dies legatorum cedat, etiamſi non fuerit adita hereditas: quia aditio hereditatis moram facit petitioni legati, non diei ceſſioni, ut ait Ulpianus in *l. hereditatis aditio* 7. *in princ. ff. qu. di. leg. ced.* Elegantiſſimum hujus rei proponit exemplum Papinianus in *l. miles* 75. §. 1. *ff. de leg.* 2. Eſt autem hujuſmodi. Sejus plures heredes inſtituerat, finge tres, eoſque invicem ſubſtituit. Titio uni ex heredibus inſtitutis præceptiones quaſdam reliquit. Is, dum deliberat de adeundâ hereditate, moritur hereditate nondum aditâ. Quæritur, quid juris ſit de legatis per præceptionem relictis, Titio mortuo ante aditam hereditatem, ſed poſt teſtatorem: hoc eſt, poſt diem legati cedentem. Et ſanè pars hereditatis non tranſmittitur ad ejus heredes, quia ab eo adita non fuit: ſed pertinet ad coheredes jure ſubſtitutionis, ſi ſubſtituti ſunt: ſin minùs, jure accreſcendi. Legata autem tranſmittit ad ſuos heredes, quia poſt diem legati cedentem vitâ functus eſt, etiamſi non adiverit hereditatem. Tranſmittit tamen non integra, ſed deductâ parte pro ratâ portionis hereditatis, ex quâ fuit inſtitutus. Hanc enim partem habiturus fuiſſet jure hereditario, ſi heres fuiſſet, non jure legati: quamobrem non poteſt eam ad heredes tranſmittere, ſed debetur coheredibus, quibus obvenit portio hereditatis Titio relicta, vel jure ſubſtitutionis, vel jure accreſcendi. Neque quicquam intereſt, an jure accreſcendi, vel ſubſtitutionis perveniat ad coheredes portio hereditaria Titii: nam coheredes ſubſtituti ſunt in portione hereditatis, non in legatis: adeòque partem illam legati, quam jure hereditario Titius fuiſſet habiturus, ipſi quoque eodem jure obtinent, non autem jure legati *l. Sextia* 32. *ff. de leg.* 2. Illud multùm intereſt, utrum Titius repudiaverit, an deliberans non adiverit morte præventus. Hoc enim caſu non tranſmittit integra legata, ut dixi: primo autem caſu integra tranſmittit *l. qui filiabus* 17. *in fine cum leg. ſeq. ff. de legat.* 1. *l. cùm reſponſum* 12. *C. de legat.* Ratio differentiæ eſt in promptu. Qui repudiat hereditatem, præoptat legatum hereditati: mavult habere integrum legatum omiſsâ hereditatis portione, quàm portionem hereditatis cum legato diminuto à portione hereditariâ. Qui moritur, cùm adhuc deliberaret, neque legatum hereditati, neque hereditatem legato præoptavit. Quapropter deficiente ejus voluntate res eſt æſtimanda juxta regulas juris; ſecundùm quas jus hereditarium tamquam potentius, & univerſale abſorbet jus legati, eamdemque rem non poteſt quiſquam habere jure hereditario, & jure legati *l. non ut ex pluribus* 159. *ff. de R. J. l. & an eadem* 14. §. 2. *in fin. ff. de except. rei judic. l.* 3. §. *ex plurimis ff. de acquir. vel am. poſſeſ.* prævalet autem titulus hereditarius, qui prior eſt, & potior, & legatum pro ipſius parte non conſiſtit *l. eum qui* 18. §. *ult. l. heredi* 15. *ff. de his, quæ ut indign.* Atque hæc locum habent non ſolùm in ſuis heredibus, ſed in omnibus etiam extraneis *l. quæſitum* 91. §. *duobus ff. de legat.* 1.

(D)

4 Non ſolùm autem dies legati cedit ante aditam hereditatem, ſi heres non adeat, ut de eâ adeundâ deliberet: ſed, quod magis eſt, ſi eam interim adire non poſſit. Tria exempla proponuntur in *l. heredis aditio 7. ff. qu. di. leg. ced.* Primum in *§. proindè.* Inſtitutus fuerat heres ſub conditione, & ab eo legatum Titio relictum: pendente conditione non poteſt adire, imò debet etiam ſcire conditionem impletam fuiſſe, ut adire poſſit *l. multùm intereſt 21. ff. de cond. & dem.* Nihilominùs ſi legatarius moriatur pendente adhuc conditione, transmittit legatum, quia dies legati ceſſit *d. §. proindè.*

5 Sed videtur hoc contra notiſſimam juris regulam, quòd pendente conditione dies non cedit *l. cedere diem 213. ff. de V. S.* & ſi legatum ſub conditione relictum fuerit, non ante cedit dies legati, quàm conditio exſtat *l. 5. §. ſed ſi ſub conditione ff. qu. di. leg. ced.* Legata autem videntur ſuſpendi eâdem conditione, quâ ſuſpenditur inſtitutio,& aditio hereditatis, quoniam hereditate non aditâ fit irritum teſtamentum *l. 1. in fin. ff. de injuſt. rupt. princ. tit. inſtit. de hered. quæ ab inteſt.*& nihil valet eorum, quæ in teſtamento relicta ſunt *l. eam quam verſ. tunc enim C. de fideic.* Pendet igitur legatum ab aditione: cui conſequens eſt, conditionem, quâ ſuſpenditur aditio, ineſſe legato, adeòque eâ nondum impletâ legatum deberi non poſſe *l. legata 41. l. Mævius 55. ff. de cond. & dem.*

6 Reſp. quòd aliæ ſunt conditiones, quæ veniunt ex teſtamento: aliæ conditiones extrinſecùs venientes, ut docet Papinianus in *l. conditiones 99. ff. de cond. & demonſtr.* Conditiones venientes ex teſtamento ſunt, quas ipſe teſtator adjicit in ſuo teſtamento vel expreſsè, vel tacitè. Et hæ faciunt legatum conditionale: ſuſpendunt diei ceſſionem: impediunt transmiſſionem. *d. l. 5. §. ſed ſi ſub conditione.* Conditiones extrinſecùs venientes ſunt, quæ tacitè inſunt vel ex naturâ actûs, vel ex vi legis; nec proveniunt à voluntate teſtatoris, quâ ſeclusâ nihilominùs inſunt. Et hæ non faciunt legatum conditionale *d. l. conditiones 99.* adeòque non obſtant, quominùs & dies legati cedat, & in heredes transmittatur. Hujuſmodi ſunt conditiones, de quibus in laudatâ *l. hereditatis 7.* Hujuſmodi etiam eſt conditio, quæ ineſt legato partûs naſcituri, vel fructuum annorum ſequentium, quæ legata debentur ſub conditione, ſi partus, & fructus naſcentur *l. 1. in fin. ff. de cond. & dem.* Hæc tamen conditio transmiſſionem non impedit, quia venit extrinſecùs, & tacitè ineſt *l. cùm illud 25. in ff. qu. di. leg. ced.* Quid autem dicemus, ſi hæ conditiones nomina- 7
tim expreſſæ fuerint à teſtatore, veluti: ſi heres hereditatem adierit, lego Titio centum. Idem prorsùs eſt jus: nam ſupervacuum eſt, exprimere, quòd tacitè ineſt *l. ſi Titio 12. §. quædam ff. eod. l. 3. ff de leg. 1. l. aliquando 107. ff. de cond. & demonſt. l. in conditionibus 19. ff. eod. l. Cornelius 69. ff. de hered. inſtit.*

Verumtamen ſæpenumero mutatur rei ef- 8
fectus: quamquàm id expreſſerit teſtator, quod etſi non feciſſet, ineſſet tamen *l. ſervo 47. in fin. ff. de cond. & demonſt.* Id autem evenit, quoties conditio expreſſa non eamdem prorsùs vim habet, quàm tacita, ſed ab eâ quoquomodo diverſam. Ecce tibi, teſtator ita legat: *illi, ſi volet, Stichum do. Conditionale eſt legatum, & non aliter ad heredem tranſit, quàm ſi legatarius voluerit: quamvis alias quod ſine adjectione, ſi volet, legatum ſit, ad heredem legatarii transmittitur. Aliud eſt enim juris, ſi quid tacitè continetur: aliud ſi verbis exprimatur*: ſunt verba Caji in *l. ſi ita legatum 65. §. 1. ff. de legat. 1.* quibus videtur nobis tradere regulam ſuperiori contrariam. Atque id confirmare videtur Modeſtinus, qui non diſſimilem regulam tradit in *l. nonnumquàm 52. ff. de cond. & dem.* Ibi: *indè dictum eſt: expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.* Sed non ita eſt. Utrobique quod exprimitur, aliud quidpiam continet diverſum ab eo, quod tacitè ineſt. In omni 9
legato tacitè ineſt conditio: *ſi legatarius volet.* Neque enim legatum acquiritur invito: ſed agnoſci debet à legatario, ut ab eo acquiratur, ut anteà dictum eſt. Si legatarius

Digitized by Google

moritur, antequàm legatum agnoſcat, ipſum tranſmittit ad heredes: ita tamen, ut nec ipſi legatum acquirant, niſi illud agnoverint, & ad ſe pertinere voluerint. Quibus efficitur, voluntatem, quæ tacitè ineſt; ſcilicèt, quæ à lege requiritur, comprehendere omnes, quibus legatum defertur, non autem ſolam perſonam ejus, cui legatum fuit à teſtatore relictum. Contrà autem cùm teſtator conditionem voluntatis exprimit: Titio *ſi volet* Stichum do: exigit, ac requirit voluntatem Titii, & conditio perſonæ injuncta videtur *l. ſi ita expreſſum 69. in fin. ff. de cond. & dem.* Deficiente igitur voluntate Titii, deficit conditio legati, & Titio moriente, antequàm voluerit, legatum intercidit *l. intercidit 59. ff. eod.* adeòque non poteſt ad heredem legatarii pertinere *d. l. ſi ita expreſſum 69.* Idem dicendum de eo, quod tradit Cajus in *d. l. nonnumquàm ff. eod. Titio decem do, lego, ſi Mævius capitolium aſcenderit.* Et Pomponius in *l. ſi quis Sempronium 68. ff. de hered. inſtit.* Aliud exprimit hæc conditio, aliud illa altera, *ſi Mævius voluerit.* Ad eam complendam ſufficit voluntas Mævii: ad hanc requiritur factum aſcendendi. Si Mævius voluerit deberi legatum, ea ſtatim impletur, hæc non impletur, niſi Mævius in capitolium aſcenderit: etiamſi centies, ac millies declaraverit voluntatem ſuam. Illa meram, ac ſimplicem voluntatem continet: hæc factum aſcendendi. Expreſſa igitur nocet, non expreſſa non nocet. Idem in exheredatione in *d l. ſi quis Sempronium in fin.* quia filius purè debet exheredari *l. 3 §. purè ff. de lib. & poſt.* & certo animi judicio *l. ſed ſub conditione 18. ff. de bon. poſſ. cont.*
10 *tab.* Contrà aliquando expreſſa prodeſt, non expreſſa non prodeſt. Ecce iterum: teſtator inſtituit incapacem, vel ei legatum reliquit; pro non ſcripto habetur, quia tacitè ineſt ex vi legis conditio: ſi capax erit. *l. 3. ff. de his, quæ pro non ſcript. hab.* Verùm ſi teſtator hanc conditionem expreſſerit: *cùm capere potuerit:* valet inſtitutio, valet legatum *l. in tempus 62. ff. de hered. inſtit.* Quæ cauſa eſt, cur hoc tam variè? eadem ſcilicèt Conditio, quæ tacitè ineſt, ex vi legis comprehendit tria tempora, facti teſtamenti, mortis, & aditæ hæreditatis *l. ſi alienum 49. §. 1. ff. eod. §. in extraneis inſt. tit. de hæred. qual. & differ.* his enim omnibus temporibus capacem eſſe hæredem lex exigit. Contrà conditio expreſſa ſpectat ſolummodò tempus exiſtentis conditionis, & quandòcumque capax fuerit, exiſtente tùm conditione, ipſi hæreditas, legatumve deferetur, atque id ad hæredes tranſmittet: cedit enim legati dies exiſtente conditione *l. 5. §. ſed ſi ſub conditione ff. qu. di. leg. ced.* Quòd ſi numquàm capax factus fuerit, ejus morte deficit conditio, & legatum intercidit *l. hujuſmodi 13. ff. eod. l. intercidit 59. ff. de cond. & dem.*

Redeo ad *l. heredis aditio 7. ff. qu. d. le-* 11
gat. ced. Duo alia ibi proponuntur exempla. Inſtitui hæredem eum, qui in utero eſt. Hæc inſtitutio tacitam habet conditionem, ſi hæres inſtitutus naſcetur *l. 1. in fin. ff. de cond. & dem. l. cùm illud 25. §. 1. verſ. vel ſi legaſſet ff. qu. di. leg. ced.* Hæc tamen conditio legatario non nocet, quin ſtatim à morte teſtatoris dies legati cedat *d. l. 7. §. ſed etſi.* Alterum exemplum proponitur in *d. l. 7. §. indè dicimus.* Teſtator hæredem inſtituit, eique ſubſtituit Titium, & à Titio ſubſtituto legatum reliquit. Omnis ſubſtitutio conditionalis eſt; aut ſub conditione, ſi hæres non erit: aut ſub conditione: ſi hæres erit, & in pupillari deceſſerit. Atque hæ conditiones non tacitè inſunt ex vi legis, nec extrinſecùs veniunt, ſed à teſtatore adjiciuntur expreſſim *inſtit. tit. de vulg. ſubſt. in princ. & de pupill. in princ.* Nihilominùs legatarius decedens, antequàm fiat locus ſubſtitutioni, hærede adhuc deliberante, transfert legati petitionem ad ſuum hæredem, ſiquidem inſtitutus repudiaverit *d. §. indè dicimus.* Idem obtinet in ſubſtitutione pupillari *§ tantùm idem & §. tractari.* etiamſi conditio à teſtatore fuerit expreſſa *d. §. tractari.* Rationem jam attulimus.

Sit igitur hoc conſtitutum, legatarium 12
morientem poſt teſtatorem tranſmittere legatum in hæredes: atque id etiamſi moriatur antequàm ſciat ſibi relictum fuiſſe legatum, vel mortuum fuiſſe teſtatorem *l. ſi partem 19. in fin. ff. quemadm. ſervit. amit. l. ult. C. qu.*

di. leg. ced. quia cùm miniſterio legis acquiratur legatario, eidem etiam ignoranti acquiritur, adeòque tranſmittit etiam ignorans *l. cùm pater* 77. §. *ſurdo ff. de legat.* 2.

13 Sunt tamen quædam legata, ut diximus, quorum dies cedit ab aditâ hæreditate, non ſtatim à morte teſtatoris. Primum eſt legatum ſervitutis perſonalis, veluti uſusfructus, uſus habitationis: *l.* 2. *ff. qu. di. leg. ced.* Et hæc legata non tranſmittuntur, etiamſi legatarius poſt diem legati cedentem moriatur, quia morte extinguuntur §. *finitur inſtit. tit. de uſufr. l. uſus aqua* 21. *ff. de uſu, & habit. l. Lucius* 37. *in fin. ff. de ſervit. ruſt. præd. l. ſicut* 3. *in fin. ff. quib. mod. uſufr. amitt. l. cùm in fundo* 78. *in fin. princip. ff. de jur. dot.* Horum legatorum exemplo nec alia quidem tranſmittuntur, quæ perſonæ cohærent *d. l. ſicut* 3. *in fin. ff. quib. mod. uſusfr. amit. l. non ſolùm noſtrum* 8. §. *tale legatum ff. de liberat. leg. l. Aurelio* 20. *in princ. ff. eod.* in quibus etiam horum legatorum exempla proponuntur. Præterea elegans eſt etiam exemplum expoſitum à Papiniano in *l. pater filiæ* 6. *ff. de ſervit. leg.* Pater filiæ domum legavit, eique per domos hæreditarias jus tranſeundi præſtari voluit. Si filia domum ſuam habitat, viro quoque jus tranſeundi præſtabitur. Non tamen hoc jus tranſmittit ad hæredes: ne quod affectu filiæ datum eſt ad exteros ejus hæredes tranſire videatur. Ità Papinianus: & rectè quidem, nam ea, quæ perſonæ ſunt, ad hæredes non tranſeunt *l. privilegia* 196. *ff. de R. J.* Illud quoque legatum perſonale eſt, & ad hæredes non tranſit, ſi quis alicui legaverit licere lapidem cædere. *l. Idem Julianus* 41. §. *ſi quis alicui ff. de leg.* 1. Horum omnium legatorum dies cedit ab aditâ hæreditate juxtà regulam traditam *in l.* 3. *ff. qu. di. leg. ced.*

14 Secundum legatum, in quo dies cedit ab aditâ hæreditate, eſt legatum libertatis, & quodcumque aliud, quod ipſi conjunctum connexumque fuerit: veluti ſi ſervo libertas & aliud quippiam legatum fuerit: ſicut enim libertas nonniſi ab aditâ hæreditate debetur, ità nec legatum *l. hæredis aditio* 7. §. *ult. ff. eod.* Item ſi ſervus fuerit in teſtamento manumiſſus, & juſſus hæres in diem centeſimum ei pecuniam ſolvere: ab aditâ hæreditate dies hujus legati cedet, & tunc incipiet numerari dies centeſimus *l. ſi in diem* 46. *ff. de cond. & dem. l. un.* §. *libertatibus* 6. *C. de caduc. tollen.*

Veniamus ad legata conditionalia. Horum dies cedit exiſtente conditione. *l. ſi poſt diem* 5. §. *ſed ſi ſub conditione ff. qu. di. leg. ced.* niſi adjecta fuerit conditio, quam Prætor remittit, vel à lege detrahitur, ut conditio turpis, conditio impoſſibilis: hæc enim legata pro puris habentur *d. l.* 5. §. *ſed ſi ea & ſeq.* Item ſi conditio pro impletâ habeatur *d. l.* 5. §. *item ſi qua.* Non ſolùm autem dies cedit à conditione exiſtente in ipſo legato, cui nominatim eſt adjecta conditio, ſed etiam in legato puro, quod ipſi alternativè conjungitur: participat enim de conditione alterius legati. Putà, lego Stichum, vel quod ex Pamphilâ natum erit. Hoc legatum tacitam habet conditionem *ſi naſcetur. l.* 1. *in fin. ff. de cond. & dem.* Hæc autem totum legatum facit conditionale, & etiam legatum Stichi pendet ab eâdem conditione *l. cùm ita legatum* 6. *in princ. ff. quando di. leg. ced.* quia pendente conditione non eſt electio; ideòque conditio totum afficit legatum, & influit etiam in rem purè legatam *l. cùm illud* 25. *in princ. ff. qu. di. leg. ced.* Quòd ſi utraque res purè legata ſit, poterit alterius dies cedere à morte teſtatoris: alterius ab aditâ hæreditate. Finge, legatus eſt uſusfructus, aut decem, quod ad uſumfructum aditio hæreditatis: quod ad decem mors teſtatoris ſpectatur. Quocircà ſi moriatur legatarius ante aditam hæreditatem, non eſt locus electioni, nondùm enim ceſſit dies uſusfructûs: tranſmittit tamen ad hæredem decem, quorum dies ceſſit à morte teſtatoris *l. ſi uſusfructus* 14. *in princ. &* §. 1. *ff. eod.* 15

Quæ de conditione dicta ſunt, locum non habent in conditione certò extiturâ vivo legatario: cujuſmodi eſt conditio, quæ impletur moriente ipſo legatario: ea enim non impedit tranſmiſſionem *l. ab omnibus* 104. §. *cùm quidam* 6. *ff. de leg.* 1. ubi ſpecies ele- 16

gantiſſima proponitur. Sed hâc de re diximus ſuprà ubi de die incerto. Illud hîc notandum, quòd dies incertus licèt non ſit certò extiturus vivo legatario, ut eſt dies mortis alterius perſonæ, vel tempus certæ ætatis, conditionem non facit favore libertatis & alimentorum. Hic dies in aliis legatis conditionem facit *l. heres meus* 79. §. 1. *ff. de cond. & dem.* in legato libertatis non facit *l. peculium* 65. §. *Titio ff. de leg.* 2. *l. ſi poſt mortem* 68. §. *penult. & ult. ff. de leg.* 1. adeò, ut ſi ſervus ille legatus fuerit ei, cujus poſt mortem eſt relicta libertas, legatum non valeat. *d. l.* 68. de certâ ætate in *l. fideicommiſſaria* 23. §. *etiam* & in *l. Thais* 41. §. *libertatem ff. de fideicom. libert. l. fideicommiſſaria* 10. *C. eod. l. ſi ſervus liber.* 19. *ff. de ſtatu lib.* Idem jus ſtatuendum de alimentis, argumento ejus, quod traditur in *l. Cajo* 13. §. 1. *ff. de alim. leg.* & in *l.* 1. *C. de legat.* & probat, text. in *l. libertis* §. *ab heredibus ff. de alim leg.* quem copiosè expoſuimus in *lib.* 2. *interp. cap.* 27.

17 Cæterùm præter diem certò extiturum, eſt alia conditio certò extitura, quæ ſuſpendit diei ceſſionem, & impedit tranſmiſſionem: cujuſmodi eſt conditio, quæ proponitur in *l. hujuſmodi* 13. *ff. qu. di. leg. ced. ſive illud factum fuerit ſive non fuerit.* Etenim ſi alter caſus non extiterit vivo legatario, legatum non tranſit ad hæredem *d. l.*

Diximus paulò antè de conditionibus extrinſecùs venientibus, quæ diei ceſſionem neque ſuſpendunt, neque remorantur. Cavendum autem eſt, ne id intelligamus de conditionibus, quæ licèt tacitæ inſint, veniunt tamen ex voluntate & diſpoſitione teſtatoris. Ecce, ſi purè relictum ſub conditione adimatur; ſub contrariâ conditione relictum videtur. *l. quod purè* 6. *ff. eod. l. aliquando* 107. *verſ. ex diverſo ff. de cond. & dem. l. ſi legatum* 10. *ff. de adim. leg.* Tacita eſt hæc conditio; tamen impedimento eſt, tum tranſmiſſioni *l. ſi legatum* 10. *in princ. ff. de adim. leg. l. ſi poſt mortem* 68. §. *ſi purè ff. de leg.* 1. tum etiam libertati *d.* §. *ſi purè & l. ſi quis ità* 13. *in fin. ff. de ſtatulib.*

CAPUT VI.

Ad L. quidam 25. *ff. ad SC. Trebell.*

SUMMARIUM.

1 *Fideicommiſſum univerſale non differt ab hereditate.*
2 *Et eſt quædam ſubſtitutio.*
3 *Heres, antequàm adeat, nullum jus habet in hereditate.*
4 *Fideicommiſſarius habet obligatum heredem ad ſibi reſtituendam hereditatem.*
5 *Bonorum poſſeſſio ſimilis eſt hereditati fideicommiſſaria tàm naturâ, quàm acquirendi modo & effectibus.*
6 *Fideicommiſſarius recipit hereditatem ab herede tamquàm à defuncto obligato, & in hoc differt fideicommiſſum à bonorum poſſeſſione.*
7 *Expenditur l. apud Julianum* 11. §. *utrum ff. ad SC. Trebell. & n.* 8. 9.
10 *Exponitur eadem l. in fin.*
11 *Alia exempla fideicommiſſi non tranſmiſſi. & n.* 12.
13 *Fideicommiſſario decedente ante eventum conditionis non tranſmittitur fideicommiſſum ad heredes.*
14 *Explicatur l. cùm filiofam.* 11. *in fin. ff. de leg.* 1.
15 *Explicatur l. à teſtatore* 109. *ff. de cond. & dem.*
16 *Pupillo ſubſtituens, præfert ſubſtitutum heredibus pupilli.*

SUpereſt fideicommiſſum univerſale. Hoc non agnitum ad heredem transferri alii aïunt: alii negant. Equidem incertus animi ſum, utra ſententia ſit verior. Nuper in foro fuit hâc de re acerrimè diſputatum. Nihil tamen fuit à doctiſſimis judicibus definitum. Quamvis duplici in cauſa, utrâque graviſſimâ, id veniſſet in controverſiam, tamen poſt longam diſputationem repentè factum emerſit, quod litem utramque diremit. Ego igitur more forenſi in utramque partem hâc de re diſputabo: ac poſtremò, quod judices omiſerunt, ex animi mei ſententiâ controverſiam definiam.

Quòd fideicommiſſum univerſale non tranſmittatur ad heredes, ſi ante mortem à defuncto non fuerit agnitum, probatur,

I. Fideicommiſſum univerſale hereditas eſt. *rubr. de fideicomm. hered. petit. & rubr. inſtit. de fideicomm. hereditatibus &* §. *reſtituta inſt. eod. l. ſi filiusfam.* §. 1. *ff. quod* 1.

eum eo l. recuſare 6. §. *Titius in fin. ff. ad SC. Trebell.* Fideicommiſſarius enim heredis loco habetur *l. poſtulante* 44. §. 1. *verſ. nam & quodammodo ff. eod.* quoniam idem præſtat fideicommiſſario reſtitutio fideicommiſſi, quòd hereditatis aditio præſtat heredi *l.* 1. *& 2. ff. de fideicommiſ. hered. petit.*

2 Confirmatur, quia id ipſum evenit in ſubſtitutione *l. ſi ex pluribus 9. ff. de ſuis & legit. hered.* Sed fideicommiſſum univerſale eſt quædam ſubſtitutio *l. cùm proponas C. de pact. l. heredes mei* 5. §. 1. *&* 2. *ff. ad SC. Trebell.*

3 Reſpond. quòd heres, ſive inſtitutus, ſive ſubſtitutus nullum jus habet in hereditate: neque enim quemquam habet obligatum ad dandam ipſi hereditatem. Teſtator enim, qui ei reliquit hereditatem, obligatus eſſe non poteſt, cùm jam mortuus ſit: lex quoque, quæ ipſi defert hereditatem obligata eſſe non poteſt. Transfert quidem in eum dominium omnium rerum hereditariarum, ſed non niſi eo adeunte *l. heres quandòq.* 54. *ff. de acquir. vel om. hered.* Antequàm adeat, habet ſolùm jus adeundæ, & per aditionem acquirendæ hereditatis: ſiquidem ei delata fuerit *l. delata ff. de V. S.* Hoc autem jus habet ſolus heres vel à teſtatore, vel à lege vocatus, non autem ejus heredes, quibus non defertur hereditas, ut lu-
4 culenter expoſui in ſuperioribus. Contrà fideicommiſſarius habet obligatum heredem ad reſtituendam ſibi hereditatem, quam obligationem induxit Auguſtus mandando Conſulibus, ut auctoritatem ſuam interponerent, ſi ab herede non reſtitueretur hereditas, quod poſteà converſum eſt in perpetuam juriſdictionem, adeò ut Claudius Imperator duos Prætores creaverit, qui de fideicommiſſis cognoſcerent, qui ad unum à Titio redacti fuerunt, qui Prætor fideicommiſſarius appellatus eſt §. 1. *& ult. inſtit. tit. de fideicom. hered. l.* 2. §. *capta deindè* 23. *ff. de orig. jur. Ulpian. in fragment. tit.* 32. §. *fideicom.* 12 *l. quæſitum* 78. §. *penult. ff. de leg.* 3. *& paſſim.* Illud etiam ſingulare eſt in univerſali fideicommiſſo, quòd poteſt fideicommiſſarius heredem cogere ad hereditatem adeundam, ſibique reſtituendam, quod ei datum eſt SC. Pegaſiano §. *ergo inſtit. tit. eod. Ulpian. in fragm. d. tit.* 25. *de fideicom.* §. 16. Hæc igitur obligatio, quâ heres obſtringitur fideicommiſſario, tranſit in ejus heredes: ſicut in ſuperiore diximus de obligatione legati. In hoc enim ſimile eſt legatis: ſicut enim legata de manu heredis accipienda ſunt, *l.* 1. §. *& continet* 2. *ff. quod legator.* ſic etiam fideicommiſſum de manu heredis illud reſtituentis accipi debet. Nec ante reſtitutam hereditatem fit dominus rerum, aut heredis loco habetur §. *reſtituta inſtit. tit. de fideicomm. hered.* tunc enim in fideicommiſſarium transferuntur actiones *l.* 1. §. 2. *ff. ad S.C.Trebell.* In eo etiam ſimile eſt fideicommiſſum legatis, quòd in hoc ſicut in illis dies cedit & quidem, ſi purum eſt, à morte teſtatoris, & quòd, fideicommiſſario decedente, poſtquàm dies ejus ceſſit, fideicommiſſum tranſmittitur *l. ſi in perſonam C. de fideicomm. l.* 3. §. *idem dicendum ff. de alim. legat.* ubi fideicommiſſum univerſale in hoc omninò legatis comparatur *l. quidam ita* 25. *in princ. ff. ad SC. Trebell.* Sic igitur concludi licet. Propriâ ſui naturâ fideicommiſſum univerſale ſimile eſt hereditati, quo ad acquiſitionem autem ſimile eſt legatis: adeòque etiam quo ad tranſmiſſionem.

II. Sed acriùs urgeri poteſt exemplo bono- 5
rum poſſeſſionis. Hæc non agnita non tranſmittitur *l.* 3. §. *acquirere ff. de bon. poſſ. l. emancipata C. qui admitti.* Et tamen tam ſuâ naturâ, & conditione, quàm acquirendi modo ſimilis omninò eſt hereditati fideicommiſſariæ. Naturâ, & conditione, quia hereditatis appellatione etiam bonorum poſſeſſio continetur *l. hereditatis* 138. *ff. de V. S. l. non eſt ambigendum* 12. *ff. de bon. poſſeſſ.* & bonorum poſſeſſor in omnibus loco heredis habetur, vicem heredis ſuſtinet *l. Prætor bonorum* 117. *ff. de R. J. l.* 2. *ff. de bon. poſſeſſion. l. cum emancipatis* 13. *in princ. ff. de bon. poſſeſſ. contr. tab.* quæ omnia etiam fideicom. univerſali convenire modò probavimus modo acquirendi. Nam & bonorum poſſeſſio tota pendet à juriſdictione Prætoris §.

Digitized by Google

quos autem inſtit. tit. de bon. poſſeſſ. l. 1. in fine C. de ſecund. nupt. l. ſi ſine 9. §. illud quæritur ff. de interrog. action. & fideicommiſſum itidem §. 1. *inſtit. tit. de fideicomm. hered.* Item ſicut bonorum poſſeſſio per alium nobis acquiri poteſt *l. 3. acquirere ff. de bon. poſſeſſ.* ita & fideicommiſſum *l. apud Julianum 11. §. utrum. l. qui ita 66. §. 1. ff. ad SC. Trebell.* Bonorum poſſeſſio non acquiritur niſi petatur, & coram judice agnoſcatur *l. ult. C. qui admitti.* haud aliter fideicommiſſum *l. quia poterat 4. & l. recuſare 6. & paſſim. ff. ad SC. Trebell.* Effectus quoque idem eſt utriuſque. Nam & agnitâ bonorum poſſeſſione commoda omnia & incommoda tranſeunt in bonorum poſſeſſionem *l. 1. & 3. ff. de bon. poſſeſſ.* ita tranſeunt in fideicommiſſarium reſtitutâ ipſi hereditate *l. 1. §. 1. l. quia poterat 4. ff. ad SC. Trebell.* & in utrumque dominium de jure transfertur omnium rerum: olim quidem non dominium Quiritium, quod à ſolâ lege, & modis à lege præſcriptis acquirebatur, de quibus *Ulpian. in fragment. tit. 19. §. 2. de domin. & acquiſ.* ſed dominium naturale, & bonitarium. Prætor enim cùm heredem facere non poſſet *§. quos autem inſt. tit. de bon. poſſeſſ.* nec dominum legitimum & Quiritarium efficere poterat, cujuſmodi heres eſt. *Ulpian. ibid. Juſtinian. in §. ult. inſtit. tit. de hered. qual. & differ.* Feſtus *Heres apud antiquos pro domino ponebatur.* Varr. *de re ruſt. lib. 2.* ait *Legitimum perfici dominium ſi quis hereditatem juſtam adiit.* Transfert igitur Prætor in bonorum poſſeſſorem dominium bonitarium: hoc eſt, efficit, ut res ſint in ejus bonis, quod indicat Ulpianus in *l. 1. ff. de bon. poſſ.* illis verbis. *Dominium rerum quæ in his bonis ſunt.* Idem de fideicommiſſario traditum in *l. facta 63. in princ. ff. ad SC. Trebell.* Atque ita eſt interpretanda Lex difficilis *3. ff. ſi uſufr. pet.* Sed hæc dominiorum differentia ſublata eſt à Juſtiniano in *l. unic. C. de nudo jure Quirit. tollend.*

Reſpondetur veriſſimum eſſe, quod ferè
6 in omnibus hereditas fideicommiſſaria ſimilis eſt, & propè æqualis bonorum poſſeſſioni. In hoc tamen differunt, quòd bonorum poſſeſſio datur à Prætore, & ab eo petitur, & coram eo, ſeu alio judice debet agnoſci *l. ult. C. qui admitti.* Quocirca, antequàm agnoſcatur, ſucceſſor nullum jus in ea habet, tota enim pendet à juriſdictione Prætoris. Solummodò habet jus petendæ agnoſcendæque. Hoc autem jus perſonale eſt, quia cohæret perſonæ, quam Prætor ad ſucceſſionem vocat, cuique bonorum poſſeſſionem pollicetur: atque adeò ad heredes ejus non tranſit *l. privilegia 196. in fin ff. de R. J.* Fideicommiſſarius verò non recipit hereditatem à Prætore, ſed ab herede, qui eam ipſi reſtituit, cùm teneatur tamquàm à defuncto obligatus. Cogit quidem Prætor heredem adire, & reſtituere hereditatem, ſed ipſe eam non dat: tantummodò exequitur voluntatem defuncti, qui hereditatem reſtitui mandavit, & heredem ſuum obligavit ad reſtituendum. Hanc obligationem tranſmittit ad heredes ſuos fideicommiſſarius, ſi ante mortem eam acquiſiverit. Acquiſivit autem ſtatim, ac dies fideicommiſſi ceſſit *l. cedere diem 213. ff. de V. S.* & ideò moriens poſt diem fideicommiſſi cedentem tranſmittit ad heredem *l. 5. ff. qu. di. leg. ced.*

III. Fundatur hæc ſententia Ulpiani auc- 7
toritate *l. apud. Julianum 11. §. utrum ff. ad SC. Trebell.* Ibi: *utrum autem præſenti an etiam abſenti reſtitui poſſit, procuratore adeunte Prætorem, videndum eſt. Ego puto abſenti quoque fideicommiſſario cogi poſſe heredem inſtitutum adire & reſtituere: nec vereri heredem oportere, ne in damno moretur; poteſt enim ei per Prætorem ſuccurri, ſive cautum ei fiat, ſive non, & ante deceſſerit fideicommiſſarius, quàm ei reſtituatur hereditas.* Hæc ultima verba perſpicuè demonſtrant fideicommiſſarium non tranſmittere fideicommiſſum in heredes, ſi decedat, antequàm ei reſtituatur hereditas: neque enim in damno poſſet eſſe heres, cujus nihil intereſt, utrum in fideicommiſſarium, an in ejus heredes transferantur actiones. Et ſanè videbatur contrà ſtatuendum, & heredem non indigere Prætoris auxilio, cjuſque ſub-

Digitized by Google

dam ff. ad SC. Trebell. Quòd ſi verbis illis etiam hæredes comprehendi concedamus, ſupponere oportet fideicommiſſarios ſaltèm verbo tenùs agnoviſſe fideicommiſſum ante mortem: hoc ipſum enim ſupponit Mæcianus, ut indicat illis verbis: *ſivè ipſi quoque deſiderent ſibi reſtitui, ſivè alius &c.* Cum enim ab eo tractetur illa quæſtio: an qui ab uno tantùm ex fideicommiſſariis coactus fuit adire, amittat Falcidiam etiam in portione eorum, qui non coëgerunt, neceſſe eſt, ut ſupponat eos quoque fideicommiſſum agnoviſſe: aliàs id nihil haberet dubitationis. Maximè quia decidit, in eorum portione locum habere Falcidiam. Falſò, ſi non agnoverunt. Tota enim hæreditas pervenit ad eum, qui coëgit, & in eâ locus Falcidiæ non eſt. Ibi: *& cùm hodiè hoc jure utimur, ut totum tranſeat ad eum, qui coegit, conſequens eſt, dicere quartæ retentionem amiſiſſe.*

8 IV. Probatur reſcripto Antonini Imperatoris in *l. 3. C. de fideicom.* Domina hæredes inſtitutos rogavit, ut puellam Chryſidem manumitterent, & manumiſſæ reſtituerent hæreditatem. Puella poſt manumiſſionem inteſtata deceſſit, antequàm ei reſtitueretur hæreditas. Succedunt ipſi manumiſſores *inſtit. de ſucceſ. libert.* Reſcripſit Imperator, eos aditâ Chryſidis hæreditate fideicommiſſo liberatos fuiſſe per aditionem confuſis actionibus: quemadmodùm evenire ſolet, cùm debitor creditori ſuccedit *l. ſicut 75. & l. Stichum 95. §. aditio ff. de ſolut.* quia nemo ſui ipſius debitor & creditor eſſe poteſt *l. cum filiofam. 11. verſ. ipſi verò ff. de legat. 1.* Si confuſis actionibus liberati ſunt fideicommiſſo, Chryſis in eos tamquàm legitimos hæredes fideicommiſſum tranſmiſit; neque enim confundi poſſent actiones, ſi in eos morte Chryſidis tranſlatæ non fuiſſent jure hæreditario. Neque hoc intelligi poteſt de actionibus hæreditariis, quibus tenebatur teſtator, qui fideicommiſſum reliquit: tùm quia non tranſeunt in fideicommiſſarium niſi per reſtitutionem *l. 1. §. cujus verba 2. ff. ad SC. Trebell.* quæ hîc facta non fuerat: tùm quia illæ non confunduntur per aditionem, ſed hæres, qui adit hæreditatem fideicommiſſarii, etiam poſt reſtitutam hæreditatem, ſolummodò exceptionem amittit, quam ante aditionem habebat *l. Stichum 95 § aditio. ff. de ſolut.* quia etiam reſtitutâ hæreditate hæres manet *§. reſtituta inſtit. tit. de fideicomm. hæred.* Itaque tamque hæres poteſt conveniri, ſed exceptione reſtitutæ hæreditatis defenditur *l. 1 §. quamquàm 4. l. ità tamen 27. §. qui ex Trebelliano 7. ff. ad SC. Trebell.* quam amiſit adeundo hæreditatem fideicommiſſarii: eâque amiſsâ poteſt à creditoribus hæreditariis cum effectu convenire. Agitur igitur in laudatâ *l. 3.* de actione, quam Chryſis habebat ad petendum fideicommiſſum; quâque poterat hæredes convenire, quæ in eos tranſlata per aditionem confunditur.

Reſp. in laudatâ *l. 3.* proponi puellam Chryſidem mortuam fuiſſe ante reſtitutionem, non ante agnitionem fideicommiſſi. Quocircà eâ lege probatur quidem, quòd fideicommiſſarius moriens ante reſtitutionem tranſmittat in hæredes fideicommiſſum nondùm ſibi reſtitutum: non tamen probat, quòd etiam non agnitum tranſmittat. Probabile autem eſt, ibi Chryſidem acceptâ libertate fideicommiſſum agnoviſſe, & petiiſſe ab hæredibus, ut haberet, undè ſe aleret: differentibus autem hæredibus reſtituere, ac procraſtinantibus Chryſidem deceſſiſſe. Agnitio enim fieri poteſt ſtatim à fideicommiſſario, cùm tota pendeat ab ejus voluntate, reſtitutio autem cùm pendeat à facto hæredum, nonnullas moras habet interdùm culpa ipſorum hæredum, quo caſu tenentur etiam fructus poſt moram perceptos reſtituere *l. poſtulante 44. in fine ff. ad SC. Trebell.* interdùm etiam ſine ullâ eorum culpâ, cujus moræ exemplum proponitur in *d. l poſtulante in princ.* 9

V. Afferunt text. in *l. ſi ejus 64. ſi quis rogatus verſ. vel cùm ei ff ad S. C. Trebell. vel cùm ei, cui reſtitui debuit, plures hæredes extiterint, ut cui reſtituta erit, is pro eâ parte ex hoc ſenatuſconſulto habebit actiones.* Ergò hæreditas fideicommiſſa reſtituenda eſt hæredibus fideicommiſſarii, ſi deceſſerit ante reſtitutionem. 10

Eadem reſponſio. Non tractatur hîc quæſ-

Digitized by Google

tio, an hæreditas reſtituenda ſit hæredibus fideicommiſſarii: ſed pro quâ parte tranſeant actiones, hæreditatis parte reſtitutâ. Quamobrem ſupponendum eſt cuncta intervenisse, quæ requiruntur, ut fieri debeat reſtitutio: & ſi ad faciendam reſtitutionem hæredibus, neceſſaria eſt præcedens agnitio defuncti fideicommiſſarii, ſupponere debemus eum, antequàm moreretur, agnoviſſe. Atque id apertè indicant illa verba: *cui reſtitui debuit*. Si defuncto reſtitui debuit, utique illud agnovit. Neque enim reſtitui debet, antequàm agnoſcatur, cùm poſſit etiam repudiari *l. is poteſt* 18. *ff. de acquir. hæred.*

21 VI. Vehementiùs urget *l.* 3. §. *idem dicendum ff. de adim. legat.* Puero fideicommiſſum datum fuerat, eique ſubſtituta mater, ſi ante reſtitutam hæreditatem deceſſiſſet, ſicut verè deceſſit. Reſpondet JC. quòd ſi deceſſit ante diem legati cedentem, mater admittitur: Si poſteà, hæres pueri defuncti. Ergò fideicommiſſum ad hæredes tranſmittitur, quotieſcumque fideicommiſſarius moritur poſt diem legati cedentem etiam excluſo ſubſtituto.

Hoc argumentum nimis probat. Subſtituta erat puero mater, ſi ante reſtitutam hæreditatem deceſſiſſet: extitit conditio ſubſtitutionis puero ante reſtitutam hæreditatem decedente: nihilominùs mater excluditur, eique pueri hæredes præferuntur. Quid hoc rei eſt? Nodum ſolvit ipſe JC. in poſtremis illis verbis: *utpotè re ipſâ mora ſubſecuta*. Sciendum eſt, quòd ſi poſt diem legati cedentem hæres moram facit in hæreditate reſtituendâ, perindè eſt ac ſi hæreditas fuiſſet reſtituta; & ideò fructus non ad hæredem, ſed ad fideicommiſſarium pertinent *l. poſtulante* 64. *in fin. ff. ad SC. Trebell.* Moram facit hæres, ſi à fideicommiſſario interpellatus reſtitutionem differat *l. mora* 32. *ff. de uſur. l. nemo* 81. §. 1. *ff. de V. O.* Illud ſingulare eſt in pupillo, ut etiam nullâ interveniente interpellatione re ipſâ mora fiat, ſi debitor differat ſolutionem. *l. cùm verò* §. 1. *verſ. certè minoribus ff. de fideicom. libert l.* 3. *C. in quib. cauſ. in int. reſt. neceſ.* hâc noſtrâ *l.* 3. §. *idem dicendum*. Ibi: *re ipſâ mora ſubſecuta*. Modò ad rem. Si fideicommiſſarius ante moram hæredis deceſſerit, ſubſtitutus admittitur excluſis hæredibus fideicommiſſarii; ſi quidem ante diem legati cedentem deceſſerit: Si poſteà, hæredes admittuntur excluſo ſubſtituto: niſi appareat contraria voluntas teſtatoris, ut in *l. quidam in princ. ff. ad SC. Trebell.* in quâ non potuit moram feciſſe hæres, cùm puer deceſſerit ante aditam hæreditatem. Quòd ſi mora facta fuerit fideicommiſſario, & deceſſerit, antequàm ei reſtitueretur hæreditas hærede procraſtinante, ad hæredes tranſmittitur fideicommiſſum excluſo ſubſtituto: quòd ſi nulla mora interceſſerit, admittitur ſubſtitutus excluſis hæredibus, quemadmodùm etiam admittitur, ſi ante diem legati cedentem fideicommiſſarius deceſſerit *l.* 3. §. *ſi quis Titio ff. de adim. legat.* Idem dicendum eſt in pupillo, niſi quòd pupillo mora fit re ipsâ ſine interpellatione *d. l.* 3. §. *idem dicendum*. quod ætatis favore eſt conſtitutum *l. curabit* 5. *C. de act. empti*. Atque hac eâ ratione nituntur quòd ſi fideicommiſſarius ante diem legati cedentem decedat, non poteſt fideicommiſſum ad hæredem tranſmittere, cùm in eo nihil juris habeat *l.* 4. *ff. qu. di. leg. ced. l. ſi uſusfructus* 14. *in princ. ff. eod.* Si verò decedat non ſolùm poſt diem legati cedentem, ſed etiam poſt moram, legatum tranſmittit, quia interpellando hæredem fideicommiſſum agnoſcit, & non dubitatur agnitum tranſmitti, etiamſi nondùm ejus reſtitutio intervenerit. Et quia mora id efficit, ut pro reſtitutâ habeatur hæreditas, quæ culpâ hæredis non fuit reſtituta, idcircò ſubſtitutus excluditur quaſi deficiente conditione ſubſtitutionis.

Poſſet etiam probari per text. in *l.* 3. *ff. de fideic. hæred. petit.* Sed nihil valet: ibi enim agitur de hæreditate jam reſtitutâ, ut conſtat ex *l.* 1. cum quâ connexæ ſunt *l.* 2. & 3.

CAPUT

CAPUT VIII.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Fideicommiſſario decedente poſt diei ceſſionem, fideicommiſſum univerſale etiam non agnitum ad hæredes tranſmittitur.*
2 *Cedere diem, & tranſmitti legatum, ſunt omninò conjuncta.*
3 *In fideicommiſſis univerſalibus dies cedit ſicut in particularibus.*
4 *Si purè ſint relicta, dies cedit à morte teſtatoris, ſi ſub conditione, eâ adveniente.*
5 *Fideicommiſſarius decedens poſt mortem teſtatoris, vel poſt impletam conditionem tranſmittit fideicommiſſum. & nn. ſeqq.*
6 *Expenditur L. 3. §. idem dicendum ff. de adim. leg.*
7 *Examinatur L. quidam 25. ff. ad SC. Trebell.*
8 *Exponitur L. 3. C. de fideic.*
9 *Expenditur L. un. C. de cad. toll.*
10 *In hâc L. comprehenduntur fideicommiſſa univerſalia.*
11 *Fideicommiſſi univerſalis nomine non continetur hæreditas.*
12 *Fideicommiſſa relicta poſt mortem hæredis ſunt conditionalia.*

1 HIs accuratè ac diligenter examinatis, ampliùs in eodem luto non hæſito, & pro certo auſim affirmare: etiam fideicommiſſum univerſale non agnitum ad hæredes tranſmitti, dum fideicommiſſarius poſt diei ceſſionem fato fungatur. Hoc autem ut affatim demonſtrem, tria præmittam, quæ in diſceptationem cadere non poſſunt.

2 Primum, quòd cedere diem, & tranſmitti legatum aut fideicommiſſum adeò ſunt conjuncta atque connexa, ut admiſſâ ceſſione diei, neceſſariò ſubſequatur tranſlatio; & contrà excluſâ tranſlatione ceſſet etiam diei ceſſio: ut conſtat ex *toto tit. ff. qu. di. leg. ced.* & maximè ex *l. 2. & 3.* Ibi: *neque eorum dies ante aditam hæreditatem cedit, neque petitio ad hæredem tranſit: nam cùm ad hæredem non transferatur, fruſtrà eſt ſi antè quis diem ejus cedere dixerit l. ſi poſt diem 5. in princ. & in §. 1. verſic. niſi fortè.* Ibi: *niſi fortè id fuit legatum quod ad hæredem non tranſit: nam hujus dies non antè cedit.* ex *l. ſi uſusfructus 14. § 1.* Ibi: *poſſe dici legatum tranſtuliſſe, quia mortuo legatario dies legati cedit.* ex *l. cùm ſine 18. §. 1. in fine l. cùm illud 25. in fine.* Ibi: *hæres legatarii petitionem habet: namque dies legati cedit l. ult.* Ibi: *quæſitum eſt, an dies fideicommiſſi, cùm moritur, ceſſiſſe videatur: ideòque hæredibus ejus debeatur. ff eod.* Sunt hæc omninò conſequentia: ceſſit dies fideicommiſſi: ergò tranſit ad hæredes: non tranſit ad hæredes, ergò dies non ceſſit.

Secundò, quòd in fideicommiſſo univerſali dies cedere dicitur, ſicut in legatis & fideicommiſſis rerum ſingularum *l. 3. §. idem dicendum ff. de adim. leg.* Ibi: *idem dicendum, & ſi fideicommiſſa hæreditate puero data &c. Si puer ante diem legati cedentem deceſſiſſet, matri debeatur: ſi poſtea, ad pupilli hæredes fideicommiſſum tranſmittatur.* Comparat hîc fideicommiſſam hæreditatem legato. Suprà de legato egerat: ſubdit deinceps: *idem dicendum &c.* Imò pro eodem accipit utrumque. Nam fideicommiſſam hæreditatem poſtmodùm nominat legatum: nam quoad ceſſionem & tranſlationem idem omninò jus eſt de legato & de fideicommiſſo univerſali. Julianus in *l. quidam 25. in princ. ff ad SC. Trebell. Si puer antequàm dies fideicommiſſi cedat, deceſſiſſet, fideicommiſſum tranſlatum ad matrem: poſteà autem quàm dies fideicommiſſi cedit, ſi deceſſerit, ad hæredem pueri fideicommiſſum pertinere.* Semper ſpectatur diei ceſſio, ex quâ pendet omninò tranſlatio. Hanc pariter ſpectandam innuunt Imperatores in *l. ſi in perſonam 21. C. de fideicom. Si in perſonam patris tui, cui te ſucceſſiſſe proponis, fideicommiſſi dies utiliter ceſſit &c.* Illud etiam non leve argumentum eſt, ea quæ de ceſſione diei tradita ſunt *in tit. qu. dies leg. vel fideicom. cedat*, etiam ad fideicommiſſa univerſalia pertinere, quòd hic titulus non ſubſequitur luculentiſſimum tractatum de legatis & fideicommiſſis ſingularibus, ſed ſubjicitur ſtatim poſt tractatum fideicommiſſorum univerſalium, qui habetur *in tit. ff. ad SC. Trebell.*

Tertiò quòd in fideicommiſſis univerſali- 4

Digitized by Google

bus, ſi purè fuerint relicta, dies cedit à morte teſtatoris: ſi ſub conditione, ab eventu conditionis, quemadmodùm in ſuperiore diximus evenire in legatis & fideicommiſſis particularibus. Probat id mihi Julianus in *l. quidam 25. in princ. ff. ad SC. Trebell.* quæ it ibi, an fideicommiſſum univerſale relictum puero, ut primo quoque die ipſi reſtitueretur, ejus hæredibus debeatur, an verò matri, ſi puer ante aditam hæreditatem deceſſerit. Reſpondet, quòd ſi deceſſerit poſt diem legati cedentem, tranſit ad hæredes. Ergò dies fideicommiſſi cedit ante aditam hæreditatem; ideòque à morte teſtatoris. Confirmatur auctoritate Imperatoris noſtri in *l. un. §. in noviſſimo cum ſeq. C. de caduc. toll.* Ibi: *& dies legatorum & fideicommiſſorum à morte defuncti cedere.* Non poteſt autem dubitari, nomine fideicommiſſorum hîc comprehendi etiam fideicommiſſa univerſalia, cùm Imperator abroget legem Papiam, quæ tàm hæreditatem, quàm legatum & fideicommiſſa, tàm univerſalia, quàm particularia complectebatur. Ideò excipit hæreditatem, quæ non adita non tranſmittitur. Nomine autem hereditatis non continetur hæreditas fideicommiſſa, quia hæc non aditur, & numquàm adiri dicitur, ſed agnoſci & reſtitui. Excipit etiam libertates, quarum diem ab aditâ hæreditate cedere ſtatuit, ſicut etiam à veteribus jam olim fuerat conſtitutum. Ergò fideicommiſſa univerſalia, quæ non excipit, comprehendit. Subjicit in *§. ſin autem*: quòd horum omnium dies cedit ab exiſtente conditione; ſi qualiſcumque conditio fuerit adjecta.

5 His probatis, conſequens eſt, fideicommiſſum univerſale etiam nondùm agnitum ad hæredes tranſire, ſi fideicommiſſarius decedat poſt diem legati cedentem: hoc eſt, poſt mortem teſtatoris, ſi purum ſit; poſt exiſtentem conditionem, ſi fuerit conditionale. Sic enim paucis concludi poteſt argumentum. Fideicommiſſum, in quo dies cedit, ad hæredes tranſit moriente fideicommiſſario poſt diei ceſſionem, ut probatum eſt: ſed fideicommiſſi univerſalis dies cedit à morte teſtatoris, ſi purum ſit: ab exiſtente conditione, ſi fuerit conditionale, ut pariter probatum eſt. Ergò ſi fideicommiſſarius moriatur poſt mortem teſtatoris, aut poſt exiſtentem conditionem, tranſmittit ad hæredes fideicommiſſum. Hoc argumentum meo judicio eſt demonſtrativum. Sed ut id evidentiùs eluceat, diligentiùs expendamus leges, quas paulò antè allegavimus.

In *l. 3. §. idem dicendum ff. de adim. leg.* 6
puero data erat fideicommiſſa hæreditas: & ſi ante reſtitutam deceſſiſſet, matri ejus relicta. Si puer ante diem legati cedentem decedat; hoc eſt, ante mortem teſtatoris, matri debetur hæreditas: fuit enim pupillo ſubſtituta in caſum, quo ipſe moreretur ante reſtitutam hæreditatem. Mortuus eſt non ſolùm ante reſtitutam ſibi hæreditatem, ſed etiam ante diei ceſſionem. Exiſtente igitur conditione fieri locum ſubſtitutioni nulla prorsùs eſt dubitatio. Illud tantummodò poteſt habere diſceptationem, an, ſi pupillus moriatur poſt diem legati cedentem, tranſeat ad hæredes pupilli: an matri pueri debeatur. Primò quia mater ſubſtituta eſt filio pupillo ſub conditione, ſi deceſſerit ante reſtitutam ſibi hæreditatem: ac propterea etiamſi deceſſerit poſt diei ceſſionem, tamen, ſi deceſſerit ante reſtitutionem, videtur extitiſſe conditio ſubſtitutionis. Secundò quia hîc non agitur de legato, quod ad hæredes tranſire, legatario poſt diei ceſſionem defuncto, indubitatum eſt: ſed agitur de hæreditate fideicommiſſâ. His tamen dubitationibus minimè obſtantibus reſpondit Ulpianus, puerum ad hæredem ſuum fideicommiſſam hæreditatem tranſmittere. Secundam dubitationem tollit reſpondendo, idem dicendum de hæreditate fideicommiſſâ, quod de legato: videlicèt utrumque poſt diei ceſſionem ad hæredes tranſire. Primam tollit illis verbis: *utpotè re ipſâ mora ſubſecuta.* Mora fit re ipſâ in pupillis, & hæreditas habetur pro jam reſtitutâ, ut ſuprà expoſuimus, & conditio pro defectâ. Quoad rem noſtram attinet, qui de hoc non diſputamus: perſpicuum eſt fideicommiſſam hæreditatem ad hæredes tranſmitti poſt diei ceſſionem; & hæreditatis fideicommiſſæ tranſmiſſionem

nihilominùs heres manet. Neque enim heres eſſe umquam deſinit, qui ſemel heres fuit *l. ei qui ſolvendo* 88. *ff. de hered. inſtit. l. ait Prætor* 7. §. *ſed quod Papinianus* 10. *ff. de minor.* §. *reſtituta inſtit. tit. de fideicom. hered.* neque actiones transferri poſſunt in fideicommiſſarium, cùm ei hereditas non fuerit reſtituta. Quoniam autem hoc eſſet iniquum, idcircò Ulpianus ait ipſi ſuccurrendum eſſe à prætore, nempè per reſtitutionem in integrùm, ut hereditas ejus juſſu adita pro non aditâ habeatur: & bona vendantur à creditoribus nomine teſtatoris, non autem heredis, exemplo ejus, quod reſcripſit Divus Pius.

10 IV. Probatur ex reſcripto ejuſdem Divi Pii in *d. l. apud Julianum in fine*, qui in ſpecie hujuſmodi reſcripſit. Antiſtia Titium heredem inſtituit, & Albinæ ancillæ ſuæ directam libertatem reliquit: eique filiam per fideicommiſſum reliquit, rogavitque, ut eam manumitteret. Rogavit & Titium, ut ipſi, à matre manumiſſæ, reſtitueret hereditatem, cùm nubilem ætatem compleſſet. Titius ſuſpectam dicebat hereditatem eamque adire recuſabat. Reſcripſit D. Pius eum compellendum adire: à filia ſcilicèt Albinæ, cui reſtituenda erit hereditas. Quamvis ſervus ipſius heredis non poſſit dominum compellere ad hereditatem adeundam *l. cogi* 16. §. *ſed ſi ſervo* 13. *ff. ad SC. Trebell.* tamen ſervus teſtatoris Prætorem adire, & cogere poteſt heredem: propter ſpem libertatis, & hereditatis habet aditum ad Prætorem *l. muliere* 22. §. *non eſt dubitatum* 1. *ff. eod.* Poteſt igitur Albinæ filia, quæ erat ancilla teſtatoris, compellere heredem ad aditionem. Aditâ à Titio hereditate ſtatim competit Albinæ libertas; eique tradenda eſt filia, ut ab ea manumittatur. Manumiſſæ dandus tutor, quo auctore pupillæ ſtatim à Titio reſtituatur hereditas: licèt enim ſub conditione nubilis ætatis ei relicta fuerit, tamen ſtatim reſtituenda eſt ab eo, qui coactus adit *l. ille a quo* 13. *in princ. l. ſi cui purè* 31. *in princ. ff. eod.* Quia tamen poteſt evenire, ut filia Albinæ decedat, antequàm manumittatur, aut ei reſtituatur hereditas: utroque caſu Imperator ſubvenit heredi, propoſito remedio, ut bona vendantur à creditoribus Antiſtiæ nomine, non autem heredis. Quid ita? ſi filia poſt manumiſſionem deceſſit, cur bona non venduntur nomine Albinæ matris, quæ fuit heres filiæ §. *ſunt autem inſtit. tit. de bon. poſſeſ.* aut fiſci ad quem bona vacantia deferuntur? Nempè quia non tranſmiſit fideicommiſſum ad heredem.

V. Probatur per text. in *l. cum filiofam.* 11
11. *in fin. ff. de leg.* 1. inſtitutus fuit heres filiusfam. & rogatus pater ejus, ut ipſi poſt mortem ſuam reſtitueret hereditatem. Filius moritur ante patrem. Pater retinet hereditatem: non autem à filio tranſmittitur ad heredem.

VI In *l. à teſtatore* 109. *ff. de cond. & dem.* 12
Teſtator rogavit heredem, ut acceptis à Titia centum nummis ipſi hereditatem reſtitueret. Titia deceſſit, antequàm daret heredi centum. Intercidit fideicommiſſum, nec tranſit ad heredem Titiæ, etiamſi paratus ſit dare centum.

In his argumentis nihil eſt omninò momenti. In omnibus enim proferuntur exempla fideicommiſſorum ſub conditione relictorum, in quibus dies non cedit, niſi exiſtente conditione *l.* 5. §. *Sed ſi ſub conditione ff. qu. di. leg. ced.* Itaque mortuo fideicommiſſario ante eventum conditionis, ut in illis proponitur, intercidit fideicommiſſum. *l. intercidit* 59. *in princ. ff. de cond. & demon.* adeòque non poteſt ad heredes tranſire. Hæc generatim: jam ſingula ſeparatim expendamus.

In *l. apud Julianum in fine* relictum erat 13
fideicommiſſum filiæ Albinæ, cùm nubilem ætatem compleſſet. Hoc fideicommiſſum conditionale eſt, eâque decedente ante nubilem ætatem ad heredes non tranſit *l. ſi Titio* 22. *in princ. ff qu. di. leg ced.* Quamvis enim cogatur heres adire ſtatim, & reſtituere, ne, ſi moriatur ante aditam hereditatem, fideicommiſſum extinguatur *l. in fin. ff de injuſt. rupt. l. eam, quam C. de fideic.* tamen ante conditionis eventum non transferuntur actiones *l. ſed etſi* 9. *& ſeq. ff. ad S. C. Trebell.* & deficiente conditione fidei-

commiſſum intercidit *l. ſi cui purè in princ. ff. eod. & d. l. intercidit* 59.

14 In *l. cum filiofam.* 11. *in fin.* pater rogatus erat reſtituere filio poſt mortem ſuam. Hoc fideicommiſſum conditionale eſt *l. heres meus* 79. §. 1. *ff. de cond. & demonſtr.* adeòque dies non cedit ante mortem patris *l.* 5. §. *ſed ſi ſub conditione l. ſi dies* 21. *in princ. ff. qu. di. leg. ced.* & filio præmoriente, patri legatum & fideicommiſſum extinguitur *d. l. intercidit* 59. Obſervanda autem ſunt illa verba: *omnimodo patrem id retenturum.* Pater enim tùm temporis non ſuccedebat filio, ſed bona ejus retinebat jure peculii, non jure hereditario ad eum perveniebant. Atque etiam bona caſtrenſia, licèt de his filius teſtari poſſet, tamen, ſi inteſtatus moreretur, non acquirebantur patri, ſed ipſi non adimebantur, eaque retinebat jure proprio, jure patris, non jure heredis *l.* 1. *&* 2. *l. proponebatur* 9 §. *ſed cùm nihil l. pen.* §. *pater ff. de caſtr. pec. l.* 1. §. *ſi iî qui bona* 22. *ff. de collat.* Ibi: *non enim nunc acquiritur, ſed non adimitur. l. ult. ff. ad SC. Tertyll. l. in eo* 33. *ff. de acquir. rer. dom.* Quoad hoc enim retinebat naturam cujuſvis alterius peculii. Illud etiam animadvertendum, quòd de hoc nulla eſt controverſia, neque hujuſmodi quæſtio in eâ lege à Papiniano pertractatur: an filius moriens ante patrem, poſſit fideicommiſſum ad heredem tranſmittere. Abſurdiſſimum enim eſſet hâc de re dubitare. Id tantùm controverſum eſſe poterat: utrùm apud patrem remanere deberet, an ad fiſcum deferri ex lege Papiâ, cùm in causâ caduci eſſe videretur. *l. un.* §. *& cum triplici verſ. vel ipſum C. de caduc. tollen.* Ad hoc reſpondet J C. fideicommiſſum patrem retenturum, quia vires capit ex perſonâ patris, qui non jure hereditario, ſed jure patrio illud obtinet; ac propterea non ſubjicitur legis Papiæ diſpoſitioni.

15 In *l. à teſtatore* 109. verba illa: *acceptis centum nummis* conditionem faciunt ex *d. l.* Ibi: *conditione parere non poſſe l. nec ullam* 13. §. *ſed etſi verſ. planè ff. de petit. hered. l. ſi ſtatu libera* 6. §. *ult. l. Sticho* 40. *ff. de ſtatu lib. l. qui libertatis* 69. §. *ſervus ff. de evictlon. l. ab emptione* 58. *ff. de pact.* Et licèt in fine *d. l.* ſubjiciat Claudius Scævolam de jure aperto reſpondiſſe, cùm dubitari poſſet, an in propoſito conditio eſſet: tamen meo judicio Scævolam de jure aperto cavillatur: nam cùm verba illa contineant factum à fideicommiſſario implendum, antequàm fideicommiſſum conſequatur, dubitari non poteſt, conditionem facere ſecundùm leges modò laudatas. Utcùmque ſit, non dubitat Scævola, ea conditionem facere; ideòque fideicommiſſarium decedentem non impletâ conditione excidiſſe fideicommiſſo *d. l. intercidit* 59. neque enim vivo eo dies fideicommiſſi ceſſit, etiamſi conditio ſit poteſtativa *l.* 5. §. *ſed ſi ſub conditione ff. qu di. leg. ced.* In hâc lege igitur non dubitatur, an Titia tranſmiſiſſet ad heredes fideicommiſſum: hoc enim eſſet de jure aperto dubitare: ſed an heres fideicommiſſarii poſſet dare centum, atque ità impletâ conditione conſequi fideicommiſſum, cùm nihil intereſſe videatur, an Titia ipſa per ſe centum daret, an verò per alium nempè per heredem ſuum *l. nulla* 5. *l. manifeſti* 17. *C. de ſolut. princ. tit. inſt. quib. mod. toll. oblig.* Maximè quia licèt conditio, quæ conſiſtit in facto, non poſſit ab alio impleri, poteſt tamen ea, quæ conſiſtit in dando *l. ult. ff. de cond. inſtit.* Portò ſi hæres vivente Titiâ, vel extremo vitæ momento centum ejus nomine ſolviſſet, rectè fuiſſet impleta conditio *d. l. ult.* Sed eâ mortuâ ampliùs impleri non poteſt extincto jam fideicommiſſo. Idcircò rectè reſpondit Scævola: hæredem conditionem implere non poſſe.

His diligenter examinatis, addamus & 16
textum petitum ex *l. quidam ità* 25. *in princ. verſ. Marcellus ff. ad S C. Trebell.* ubi fideicommiſſarius decedens, antequàm ſibi reſtituatur hæreditas, ipſam non tranſmittit ad hæredes, etiamſi poſt diem legati cedentem deceſſerit.

Nihil valet: nam ibi pupillo ſubſtituta erat mater ejus, ſi ille deceſſiſſet ante reſtitutam hæreditatem: deceſſit; matri igitur reſtituenda eſt hæreditas ex voluntate teſtatoris, ut rectè ibi notat Marcellus contra

Julianum : nam qui ſubſtituit alicui pupillo, præfert ſubſtitutum hæredibus pupilli. *l.* 2. *§. ult. ff. ad SC. Trebell. interdùm cum ſeqq. ff. de vulg. & pub.*

Idem reſpondendum etiam in *d. l. hæredib.* 77. *§. ult. ff. ad SC. Trebell.*

CAPUT VII.

Ad Eamdem L.

Summarium.

1 *Hæres compellitur adire hæreditatem & reſtituere, ex nobili officio Judicis, hoc eſt, Prætoris.*
2 *Officium judicis nobile aliud eſt, quàm officium jus dicentis.*
3 *Bonorum poſſeſſio non agnita ad hæredes non tranſit : neque jus eam petendi, aut petitionem ratam habendi.*
4 *Exponitur L. poſtulante* 44. *ff. ad SC. Trebell.*
5 *Fideicommiſſum agnoſcit, qui cogit hæredem adire & reſtituere.*
6 *Exponitur L. cogi* 16. *§. idem Macianus* 9. *ff. ad SC. Trebell. & n.* 7.
7 *Pluribus modis in locum alterius ſuccedi poteſt.*
8 *Explicatur L.* 3. *C. de fideicomm. & n.* 9.
9 *Aliud eſt fideicommiſſum non eſſe agnitum, aliud non eſſe reſtitutum. & n.* 10.
11 *Moram faciente hærede in hæreditate reſtituendâ, perindè eſt ac ſi reſtituta fuiſſet.*

1 Sequitur, ut in alteram partem de propoſitâ controverſiâ diſputemus. Quòd fideicommiſſum etiam non agnitum tranſmittatur, probari poteſt, quia ad compellendum hæredem competit officium judicis nobile, videlicèt Prætoris cogentis hæredem adire & reſtituere *l. quia poterat* 4. *& paſſim. ff. ad SC. Trebell.* ſed officium judicis nobile tranſit ad hæredes *l. Pannonius Avitus* 86. *de acquir. hæred.*

2 Firmiſſimum eſſe hoc argumentum veteres arbitrantur, quod herclè leviſſimum eſt, ne dicam ineptiſſimum. Officium Judicis nobile tranſit ad hæredes, ad quos hæredes? Nempè ad hæredes ipſius judicis. Officium enim judicis nobile aliud eſt, quàm officium jus dicentis *l.* 1. *ff. de juriſdict.* Ipſe jus dicens eſt, qui habet hanc pleniorem juriſdictionem dandi bonorum poſſeſſionem, tutores, & alia gerendi, de quibus in *d. l.* 1. *& §. ff. de juriſdiction.* Hoc eſt officium Prætoris, officium jus dicentis. Si tranſit ad hæredes: utique ad hæredes ipſius Prætoris tranſibit, cujus eſt proprium. Ergò hæredes Prætoris habent eamdem juriſdictionem, quam ipſe Prætor habebat. Monſtra loquor. Igitur ſic adſtringere oportet argumentum. Jus implorandi officium jus dicentis in hæredem tranſit: ſed hoc jus habet fideicommiſſarius, ergò &c. Sed in hoc argumento falſum eſt, quod primo aſſumitur. Nam & bonorum poſſeſſionem dare pertinet ad officium jus dicentis *d. l.* 1. *ff. de juriſd.* & ab eo petenda eſt, & coram judice agnoſcenda *l. ult. C. qui admitti. inſtit. tit. de bonor. poſſeſ. in princ. & in §.* 1. *& per tot.* & tamen 3
bonorum poſſeſſio non agnita ad hæredes non tranſit, imò nec jus ejus petendæ, aut ratam habendi petitionem factam à procuratore nomine hæredis defuncti. *l. emancipata C. eod. l.* 3. *§. acquirere ff. de bonor. poſſeſ.* Atqui in *l. Pannonius Avitus* reſtitutio datur hæredi. Nihil ad rem. Ibi: *ex perſonâ defuncti reſtitutionem in integrum implorabant, quæ ſtricto jure non competit, quia intra diem aditionis Avitus obiiſſet.* Contrarium ergò eâ lege probatur. Humanitatis tamen causâ conceditur ibi reſtitutio tùm propter abſentiam Reip. causâ: tùm propter legitimam juſtamque ignorantiam abſentis causâ Reip. Eſt igitur illud jus ſingulare, quod deficientibus duabus hiſce cauſis ſimul junctis ad conſequentias producendum non eſt. *l. quod verò* 14. *cum duab. ſeqq ff. de legib.* Et ſanè reſcripto Divi Pii opus fuit ad illud ſingulare jus introducendum. Neque verò is ſum, qui negem, reſtitutionem in integrum ad hæredes tranſire *l. non ſolùm* 6. *ff. de reſtit. in integ. l.* 1. *C. de reſtit. milit.* ſed ideò tranſit ad hæredes, quia actio eſt *l.* 1. *ff. ex quib. cauſ. major.* Ibi: *actionem dabo. l. etiamſi* 19. *ult. ff. de minor.* Ibi: *ad agendum evocato. l. non ſolùm §. eſt & caſus ff. de procurat.* Actiones autem in hæredes tranſeunt *l. in honorariis* 35. *ff. de oblig. & act. l. toties* 44. & *l. hoc jure* 152. *§. ult. ff de R. J.* Ideò autem in *l. Pannonius* hæredes Aviti non habebant reſtitutionem, quia nec

miſſionem non differre à tranſmiſſione legati. Id enim apertè in hâc lege ſtatuit Ulpianus.

7 Idipſum dilucidè planèque ſtatuerat antè Julianus in *l. quidem 25. in princ. ff. ad SC. Trebell.* à quo idem factum proponitur, niſi quòd hæres rogatus erat reſtituere primâ quâque die, & ſi puer antè deceſſiſſet, matri ejus reddere. Verba illa *primâ quâque die* conditionem non faciunt, imò nec diem continent; neque enim ad ſuſpendendam obligationem, aut ad differendam ſolutionem ſunt adjecta, ſed ad eam accelerandam, *l. Titia 84. ff. de cond. & dem. l. liber homo 118. §. 1. ff. de V. O.* Itaque purum eſt fideicommiſſum, ejuſque dies cedit à morte teſtatoris. Quærit Julianus puero moriente, ad quem pertineat fideicommiſſum: Utrumne ad matrem, an verò ad hæredes pueri, atque ita diſtinguit. *Si puer, antequàm dies fideicommiſſi cedat, deceſſiſſet, fideicommiſſum tranſlatum ad matrem eſſe: poſteà autem quam dies fideicommiſſi cedit, ſi deceſſerit, ad hæredem pueri fideicommiſſum pertinere.* Ergò fideicommiſſum ad hæredes tranſmittitur à fideicommiſſario poſt diei ceſſionem moriente. Verùmtamen quia mater erat ſubſtituta in caſum mortis filii, dubitat Julianus, quæ fuerat voluntàs teſtatoris quoad ſubſtitutionem matris, an eam voluerit ſubſtitutam in quemcumque caſum mortis ante reſtitutam hæreditatem: & ait, Prætorem æſtimaturum ex perſonâ matris, & ex perſonâ hæredis pueri. Subdit tamen Marcellus, voluntati teſtatoris congruum eſſe, quandocumque puer deceſſerit ſive ante, ſive poſt ceſſionem, ad matrem transferri fideicommiſſum. Et rectè quidem; quia verba ſunt generalia utrumque caſum comprehendentia; ibi *aut ſi quid ei priùs acciderit.* Nempè priuſquàm ei reſtituas hæreditatem, itaque comprehendunt omne tempus ante reſtitutionem hæreditatis: adeòque etiam tempus ſubſequens diei ceſſionem, ſcilicèt quòd fluit à morte teſtatoris uſque ad reſtitutionem. Quamobrem rectè etiam ſubdit Marcellus: *ſi non jam puer hoc acceperit*: nam per ipſam reſtitutionem deficit conditio ſubſtitutionis. Sed hæc nihil nobis obſunt: neque enim ambigi poteſt, teſtatorem poſſe transferre in alium fideicommiſſum, non ſolùm poſt diei ceſſionem, ſed etiam poſt reſtitutionem, & quandòcumque, veluti cùm alteri illud relinquit poſt mortem fideicommiſſarii, ut ſæpè fit, vel ſub aliâ quâcumque conditione.

In *l. ſi in perſonam 21. C. de fideicom.* ut hæres fideicommiſſarii ſuccedat in fideicommiſſo, nihil aliud exigunt Imperatores, quàm ut dies fideicommiſſi utiliter ceſſerit in perſonam fideicommiſſarii: videlicèt ut extiterit conditio vivente fideicommiſſario, cui hæres rogatus erat reſtituere, ſi ſine liberis deceſſiſſet: nec quicquam ibi quæritur de agnitione fideicommiſſi; ergò ad tranſmittendum fideicommiſſum ſufficit diei ceſſio, nullâ agnitionis habitâ ratione.

Eòdem tendit Antonini reſcriptum in *l. 3. C. eod.* in quo & Imperator nihil aliud requirit, ut Chryſis ad patronos hæredes tranſmittat fideicommiſſum, quàm ut deceſſerit poſt aditam hæreditatem. Atque hoc eâ ratione, quia dies legati & fideicommiſſi ſervo relicti cedit ab aditâ hæreditate *l. hæreditatis aditio §. ult. & l. ſeq. ff. qu. di. leg. l. unic. §. libertatibus 6. de caduc. toll.* Igitur ut à fideicommiſſario tranſmittatur fideicommiſſum, id tantummodò requiritur, ut poſt diem legati cedentem moriatur. 8

Confirmari denique poteſt hæc ſententia auctoritate Juſtiniani in *l. un. C. de caduc. tollend.* lege Papiâ & Senatuſconſultis circa eam introducendis caduca fiebant hæreditas, legata, fideicommiſſa, morientium ante apertas teſtamenti tabulas: dies enim legatorum & fideicommiſſorum non à morte teſtatoris, ſed ab aperturâ tabularum cedebat. Juſtinianus hoc inhumanum exiſtimans ad fiſcum potiùs deferri legata & fideicommiſſa morientium ante apertas tabulas, quàm ad eorum hæredes, hanc legem ſuſtulit, ſanxitque tàm legatorum quàm fideicommiſſorum diem cedere à morte teſtatoris in *§. cum igitur & in §. in noviſſimo.* Neque poſſent ad hæredes tranſmitti, ſi eorum dies non ceſſiſſet. Sunt enim hæc conjuncta, atque 9

connexa adeò, ut ſic rectè concludatur: ceſſit dies legati, ergò tranſit in hæredem fideicommiſſum: & contrà; non tranſit fideicommiſſum, ergò non ceſſit dies, idque ſine ullâ exceptione. *l. 2. & 3. ff. quand. di. leg. ced.* Quamobrem lex Papia, ut hanc tranſmiſſionem impediret, vetuit ante apertas tabulas diem cedere. Contrà Juſtinianus, ut tranſmiſſionem antiquam reduceret, ſtatuit diem cedere à morte teſtatoris, non autem
10 poſt apertas tabulas. In hâc autem conſtitutione jus antiquum revocante & legem Papiam abolente comprehendi etiam fideicommiſſa univerſalia, non eſt ambigendum. Nam lex Papia omnia comprehendebat *d. l. §. & cum triplici.* Ibi: *& cum triplici modo ea, quæ in publicis elogiis relinquuntur.* Hæc verba comprehendunt etiam fideicommiſſa univerſalia: nam & ipſa in ultimis elogiis relinquuntur, §. 4. *Inſtit. tit. de fideicomm. hæred.* Ulpian. *tit.* 25. §. 4. Et iterùm, *is qui aliquid ex teſtamento habuit*, & infrà: *hoc quod relictum erat*, & perpetuò uſurpat verba generalia. Hoc ampliùs *in §. In noviſſimo*, ubi ſancit legatorum & fideicommiſſorum diem à morte teſtatoris cedere, ut ad hæredes poſſint tranſire excluſo fiſco, nominatim excipit hæreditatem. Ibi: *hæreditatem enim, niſi fuerit adita, tranſmitti, nec veteres concedebant, nec nos patimur.* Hæc exceptio perſpicuè demonſtrat nomine fideicommiſſorum antè comprehendi quoque fideicommiſſa univerſalia. *l. quæſitum* 12. §. 43. *verſ. denique. Neratius ff. de inſtr. vel inſtrum.* Aliàs etiam in §§. *ſeqq.* exceptiones proponit multò minoris momenti, numquàm tamen excipit fideicommiſſum univerſale quod
11 maximè erat neceſſarium. Neque aliquis putet, fideicommiſſum univerſale nomine hæreditatis contineri: nam regula illa etiam à veteribus tradita, quam hîc confirmat Imperator *hæreditas non adita non tranſmittitur*, non attinet ad hæreditatem fideicommiſſam. Etenim fideicommiſſum non dicitur adiri à fideicommiſſario: ſed ipſi ab hærede reſtitui. Adeundi verbum ſoli hæreditati convenit, deductum ex antiquâ formulâ cretionis, de quâ *Ulpianus in fragm. tit. 22. §. 28. Cernere eſt verba cretionis dicere ad hunc modum: cùm me Mævius heredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo cernoque.* Cretionem fieri mandabant plerùmque teſtatores, ut apparet ex laudato *Ulpiani titulo* 22. Plin. *lib.* 10. *epiſt.* 79. *ad Trajan. Julius Largus rogavit teſtamento ut hæreditatem ſuam adirem cernerem que.* Dierum quoque numerus præſcribebatur, quibus hæreditas cerneretur: veluti *Titius heres eſto, cernito in diebus proximis centum.* Vide reliqua apud *Ulpian.* loco laudato. Si intra præfinitos dies non crevíſſet, excludebatur hæreditate. Verùm intra dies cretionis, etſi conſtituiſſet nolle hæreditatem, poterat pœnitere & cernere. Si autem ei datus erat ſubſtitutus, & ipſe non cerneret & adiret, ſed pro hærede gereret, in partem dimidiam cum eo ſubſtitutus admittebatur. Hæc Ulpianus hoc loco. Quocircà cretio majorem vim habebat, quàm pro hærede geſtio. Celebrabatur enim ſolemniter præſentibus teſtibus civibus Romanis. *Cic. epiſt. 46. ad Attic. lib. 13. Ex eo cognovi cretionem Cluvii (ô Veſtorium negligentem) liberam teſtibus præſentibus ſexaginta duobus.* Docti emendant *diebus* ut indicet tempus cretioni præſcriptum. Idcircò ſolemnitas cretionis dicitur & ſcrupuloſa ſolemnitas in *Cod. Theodoſ. de matern. bon. & cretione ſubl.* & in *tit. de cretione & bon. poſſ.* Quamobrem aditio hæreditatis inter actus legitimos recenſetur in *l. actus legitimi* 77. *ff. de R. J.* Aditio autem dicebatur, quia in rem præſentem veniebant, ſicut in rei vindicatione: & ſolemnia verba proferebant: quocircà Lucianus in Gallo *παρελθεῖν εἰς τὴν οὐσίαν*, *accedere ad ſubſtantiam*, & Græci interpretes *προσελθεῖν εἰς κληρονομίαν*. Hæc fideicommiſſio quantùmvis univerſali minimè conveniunt.

Qui hæc omnia, quæ diximus, accuratè 12
attentèque conſideraverit, de veritate hujus ſententiæ, ut arbitror, non dubitabit. Illud poſtremò admonendum, quòd, cùm hodiè invaluerit conſuetudo relinquendi fideicommiſſa poſt mortem hæredis, ea ſunt conditionalia *l. heres meus* 76. §. 1. *ff. de cond. & dem.* adeòque eorum dies non cedit

niſi per mortem hæredis, & ſi fideicommiſſarius ante hæredem decedat, tranſmittere non poteſt *l. hujuſmodi* 13. *in fin. ff. qu. di. leg. ced.*

CAPUT IX.

Ad L. in obſcuris 114. *ff. de reg. jur.*

SUMMARIUM.

1 *In obſcuris inſpicitur, quod veriſimilius eſt, aut quod plerùmque fieri ſolet.*

2 *Ordo, qui ſervatur in principali obligatione, ſervatur etiam in acceſſoriâ ob veriſimilitudinem.*

3 *Legato pecuniæ purè relictæ, adjecto undè pecunia depromi poſſit, veriſimile non eſt legatum reſtringi, aut minui.*

4 *Demonſtratio ſi afficit ipſum legatum, illud minuit vel extinguit, ſi verò ſolutionem, non minuit, neque extinguit.*

5 *Alienatio rei legatæ non ſubvertit legatum, quandò non alienatur animo adimendi.*

6 *Stipulans decem ſibi & Titio, veriſimilius eſt decem tantùm ſtipulari, & ideò quinque ei debentur.*

IN obſcuris inſpici ſolere, quod veriſimi-
1 lius eſt, aut quod plerùmque fieri ſolet ait Paulus in *l. in obſcuris ff. de R. J.* Generalis eſt hæc regula, & patet latiſſimè: ſed lubrica eſt, eique inſiſtere ſine caſu, & prolapſione vix poſſumus. Quod enim uni veriſimile videtur, id alteri alienum à vero fortaſſè videbitur. Itaque ut de hoc rectè judicemus, adhibenda eſt norma rationis; naturæque actûs, qui geritur; & uſque quod fieri plerùmque ſolet, ut ait hîc Paulus. Conſideranda etiam ſunt verba, & conditiones & pacta adjecta. Hæc autem exemplis explicanda.

Primum exemplum nobis ſuppeditat idem
2 Paulus in *l. inſulam* 13. *ff. qui pot. in pign. hab.* Inſulam tibi vendidi, quam Titio antè locaveram: & convenit inter eos, ut prima penſio à Titio ſolvenda mihi accederet, ſequentium annorum tibi ejus inſulæ emptori: & jus pignorum à Titio datorum, utrumque ſequeretur. Cùm pignora utrique non ſufficerent; quæſitum fuit, an pignora primùm ad me pertinerent, an pro ratâ ad utrumque communiter. Paulus reſpondit facti quæſtionem eſſe: ſed veriſimile eſſe id actum, ut primam quamque penſionem pignorum cauſa ſequatur. Pactum illud, de primâ penſione ſolvendâ venditori, efficit, ut veriſimile ſit, egiſſe contrahentes, ut idem ordo, qui ſervatur in principali obligatione; ſervandus ſit etiam in pignore: videlicèt, quòd ſicut voluerunt venditorem priorem eſſe in percipiendâ penſione; ità priorem eſſe in eâ exigendâ jure pignoris. Pignus enim datur pro ſecuritate crediti, ut ex ejus venditione poſſit ſibi ipſe ſatisfacere creditor. Igitur ſi voluerunt eum percipere penſionem ante emptorem, conſequenter voluerunt, ipſum etiam ante emptorem uti jure pignoris ad eam exigendam ac percipiendam, ſi ab inquilino ipſi ſoluta non fuerit. Porrò caſus hic eſt ſingularis, videretur enim dicendum, utrique ſimul, vel in ſolidum, vel pro parte dimidiâ pignora eſſe obligata *l. ſi debitor* 10. *ff. de pignor.* nec alterum altero potiorem eſſe. Ut enim creditor ſit potior in pignore, neceſſe eſt, ut & priùs crediderit, & prius pignus acceperit *l. potior* 11. *in princ. ff. qui pot. in pign.*

Alterum exemplum proponit Julianus in
l. quidam teſtamento 96. *in princ. ff. de legat.* 3
1. Quidam ità legavit: aureos quadringentos dari volo Pamphilæ, ità ut infrà ſcriptum eſt: à Julio Actore aureos tot: & in caſtris, quos habeo tot; & in numerato, quos habeo tot. Teſtator, antequàm moreretur, has ſummas in alios uſus convertit. Quæſitum eſt an extinctum eſſet fideicommiſſum. Videri poteſt extinctum, & ademptum alienatione rei legatæ, & exactione pecuniæ *l. cùm ſervus* 15. *ff. de adim. leg. l. ſi ex toto* 8. *in princ. ff. de leg.* 1. *l. fideicommiſſa* 11. §. *ergo* 13. *ff. de leg.* 3. Sed contrà reſpondit JC. in noſtrâ lege. *Reſpondi. Veroſimilius eſt patremfamilias demonſtrare potius hæredibus voluiſſe, undè aureos quadringentos ſine incommodo rei familiaris contrahere poſſent, quam conditionem fideicommiſſo injeciſſe, quod initio purè datum eſſet.* Ità ſanè. Cùm enim fideicommiſſum purè reliquerit, adjiciendo poſteà, undè pe-

(F) ij

cunia depromi poſſit, credibile non eſt, eum adjicere voluiſſe conditionem, & reſtringere ac minuere legatum, aut ipſum adimere & ſubvertere. Hoc enim reſpicit ſolutionem & executionem legati, non ejus ſubſtantiam. Si ſubſtantiam legati reſpiceret & afficeret, utique legatum ipſum minueret aut extingueret: veluti ſi quis legaverit decem, quæ in arcâ habet, ſi enim quinque tantùm reperiantur, quinque tantùm debentur *l. ſi ſervus* 108. *§. qui quinque* 10. *ff. de leg.* 1. vel nihil, ſi nihil in arcâ fuerit inventum. Similia exempla in *l. ſi ità legatum* 65. *in princ.* in *l. ſi ſic legatum* 75. *§. quòd ſi addiderit ff. de leg.* 1. *l. legavi, verſ. quod ſi ſic, ff. de liberat. leg.*

4 In his legatis demonſtratio ſpectat & afficit ipſum legatum, & falſam conditionem continet, ut ait Ulpianus in *d. l. ſi ſic legatum* 75. *§. quòd ſi*: hoc eſt, demonſtrat rem, quæ non eſt in rerum naturâ; adeòque nihil eſt legatum. Cùm verò reſpicit ſolutionem, poteſt quidem variare modum ſolvendi; ità ut ſi nequeat fieri ſolutio eo modo, quo teſtator eam fieri deſtinaverat, alio modo fiat; non tamen poteſt mutare, aut evertere ipſum legatum, ad quod non refertur; manente firmâ voluntate legandi; tametſi deficiat forma ſolvendi & exequendi voluntatem à teſtatore præſcripta. Atque ità placuit Imperatori in *l. Paula Gallinico* 27. *§. Julianus ff. de leg.* 3. *l. Lucius Titius* 12. *ff. de alim. leg.* Haud aliter evenit in certâ ætate legatarii, adjectâ legatis. Si adjiciatur ipſi legato, ejuſque ſubſtantiam & obligationem reſpiciat, conditionem facit *l. ſi Titio* 22. *in princ. ff. qu. dies legat. ced.* Quòd ſi adjiciatur ſolutioni legati, conditionem non facit: veluti, do, lego Severinæ decem, quæ accipere debebit, cùm ad legitimum ſtatum pervenerit *l. ex his penult. C. eod.* Neque enim legitima ætas adjecta eſt obligationi legati, ut poſſit eam ſuſpendere in incertum eventum, ut in *l. ſi Titio*: ſed ſolutioni, adeòque ſolummodò habet vim prorogandi tempus ſolutionis, ut in *l. Sejus Saturninus* 46. *in fin. ff. ad SC. Trebell. l. Firmio Heliodoro* 26. *§.* 1. *ff. qu. di. leg. ced.* Ibi; *nam certam ætatem ſorti ſolvendæ præſtitam videri: non purè fideicommiſſo relicto conditionem inſertam.* Idem etiam de loco dicendum eſt; nam & hic ſorti ſolvendæ præſtitutus videtur: non fideicommiſſo purè relicto inſerta conditio.

5 Nec obſtat, quod dicebamus de alienatione rei legatæ, quæ ſolet legatum ſubvertere. Nam hoc evenit, cùm teſtator rem alienat animo adimendi legati *§. ſi rem ſuam* 12. *Inſtit. tit. de legat. l. ſcribit* 34. *§. item* 1. *ff. de aur. & arg. leg. l. fideicommiſſa* 11. *§. ſi rem* 12. *& §. ſeq. in fin. ff. de leg.* 3. qui animus præſumitur, ſi nullâ voluntate nullâque neceſſitate alienaverit *l. rem legatam* 18. *ff. de adim. legat.* Hic autem animus adimendi in legato pecuniæ non facilè præſumi debet, quia pro re familiari quotidiè pecunia indigemus. Sed ne hâc quæſtione implicemur inconſultè, animadvertendum eſt, quòd teſtator verè non alienaverit rem legatam: neque enim certum corpus pecuniæ aut aliam rem certam legavit, ſed pecuniam in genere videlicèt quadringenta. Genus autem nec alienari, nec perire poteſt. Quocircà licèt interitu rei debitæ debitor liberetur ab obligatione, & caſus fortuiti à nullo præſtentur *l. contractus* 23. *in fin. ff. de R. J. l. ſi ex legati* 23. *ff. de V. O.* tamen mutuatarius interitu rei numquàm liberatur *§. item is* 2. *inſt. tit. quib. mod. re contr. obl. l.* 1. *§. & ille quidem ff. de obl. & act. l. incendium* 11. *C. ſi cert. pet.* quia non perit res debita, cùm non ſit debitor rei, quam accepit, aut alicujus certæ ſpeciei, ſed generis *l.* 2. *in princ. ff. de reb. cred. princip. tit. inſtit. quib. mod. re contr. obl.* Non aliâ ratione ſi res æſtimatæ in dotem datæ fuerint, etiam illis peremptis maritus manet obligatus *l. plerùmque* 10. *ff. de jure dot.* quia pretii debitor eſt *l. quoties* 5. *C. eod.* pretium autem perire non poteſt. Hæc ratio, utpotè à naturâ prodita ad omnia pertinet: igitur & ad legata. Cajus in *l. in ratione* 30. *§ incerta* 5. *ff. ad. leg. Falcid. Si verò argenti pondus purè relictum eſſet, quamvis omne argentum teſtatoris deperiiſſet: admiſſâ lege Falcidiâ, portio ejus quantitatis ſumetur, quæ*

Digitized by Google

fuit in bonis eo tempore, quo teſtator deceſſit: nec ad imminuendam eam, quicquam damna poſteà accidentia proficient.

6 Tertium exemplum proponitur à Juliano in *l. eum qui* 56. *in princ. ff. de V. O. Eum, qui ità ſtipulatur: mihi, & Titio decem; veriſimilius eſt ſemper unà decem ſibi & Titio communiter ſtipulari.* Veriſimilius eſt: Tùm quia verba id ſignificant, nam qui decem dicit, una tantùm decem demonſtrat. *l. ſi quis teſtamento* 79. *ff. de leg.* 1. contrà ſi ſtipularetur; *mihi & Titio dena*, viginti ſtipulatus videretur *l. ubi fidejuſſor.* 24. *ff. de ſolut. l. cùm duo* 17. *ff. de in diem addict. d. l.* 79. hoc eſt, decem ſibi, alia decem Titio: & quia ſtipulatio pro Titio non valet *§. ſi quis alii inſt. tit. de inut. ſtip.* ipſi ſoli decem deberentur: cùm autem ſtipulatur *ſibi & Titio decem*, ſtipulatio valet ſolùm in quinque, quæ ſtipulanti debentur: quoniam in perſonâ Titii valere non poteſt: pro dimidiâ parte utilis eſt ſtipulatio, pro dimidiâ inutilis *d. §. ſi quis alii verſ. quòd ſi quis inſt. tit. de inut. ſtip. l. ſi mihi & Titio* 110. *in princ. ff. de V. O. l. per ſervum* 37. *§. quod unius ff. de acquir. rer. dom.* Tùm quia hoc etiam in legatis receptum eſt *d. l. eum qui verſ. ficut ff. de V. O. & d. l.* 79. *ff. de legat.* 1. In hoc autem differt legatum à ſtipulatione, quòd ſtipulatio, ut modò dixi, valet ſolùm in quinque: legatum autem valet in decem, & utrique quinque debentur, quia legatum in utriuſque perſonâ conſiſtit. *l. conjunctim* 80. *ff. de leg.* 3. *l.* 7. *C. eod.* Tùm denique quia veriſimile ſemper eſt, debitorem in id, quod minus eſt, voluiſſe ſe obligare. Eo fit, ut qui bis idem promittit, ſemel tantùm teneatur *l. qui bis* 18. *ff. de V. O.* & qui promittit decem aut quinque, debeat ſolummodò quinque: & ſi promittat calendis Januariis aut Februariis, perindè ſit ac ſi calendis Februariis promiſiſſet *l. ità ſi* 12. *ff. eod.*

Alia exempla non congero: ſuperfluunt enim hæc ad explicandum, quod propoſuimus.

CAPUT X.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Veriſimilius eſt actum eſſe juxta naturam actûs, & juxta ſolitum, quàm è contrà, etiamſi nihil dictum fuerit.*

2 *Quæ ſunt de naturâ actûs, veniunt in judiciis ſtricti juris; quæ verò plerùmque fieri ſolent, in ſolis judiciis bonæ fidei.*

3 *Hæc magis obtinent ſi verbis fuerint quodammodò indicata, vel obſcurè ſignificata. Lex ſupplet, quod eſt de naturâ actûs.*

4 *Etiam in legatis. Explicatur L. ſi fundum* 81. *§. qui fundum ff. de leg.* 1.

5 *Exponitur L.* 3. *ff. de ſervit. leg.*

6 *Explicatur L. ſi quis* 112. *ff. de leg.* 1.

7 *Servitus à pluribus heredibus legata debetur in ſolidum à ſingulis.*

8 *Expenditur L. Julianus* 15. *ff. de hæred. inſtit. & n.* 9.

10 *Exponitur L. ſi ex toto* 8. *§. ult. ff. de leg.* 1.

11 *Res legata, qualis eſt, debetur.*

12 *Quantitas rei legatæ determinatur ex naturâ legati & ex veriſimilitudine.*

AUctarium adjiciam regulæ ſuperiori. 1 Si in obſcuris inſpicere debemus, quod veriſimilius eſt ex *l. in obſcuris* 114. *ff. de R. J.* conſequens eſt, ut etiam ipſam naturam actûs, &, quod plerùmque fieri ſolet, inſpiciamus. Veriſimilius enim eſt ſecundùm naturam actûs & juxta ſolitum, quàm contrà, egiſſe teſtatorem, & contrahentes. Atque hoc adeò verum eſt, ut, etiamſi nihil dixerint, tamen id pro cauto ſit habendum. De naturâ mutui eſt, ut æquè bonum reddatur: & ideò etiamſi nihil hâc de re convenerit, pro cauto habendum eſt. *l. cùm quid* 3. *ff de reb. cred.* De naturâ emptionis eſt, ut venditor de evictione teneatur: adeòque etiamſi emptor de evictione non caverit ſibi, tamen venditor de evictione obligatur *l. ex empto* 11. *§.* 1. & 2. *ff. de act. empt.* De ſtipulatione duplæ Ulpianus in *l. quòd ſi nolit* 31. *§. quia aſſidua* 20. *ff. de edil. edict. Quia aſſidua eſt dupla ſtipulatio: idcircò placuit etiam ex empto agi poſſe, ſi duplam venditor mancipii non caveat: ea enim, quæ ſunt moris &*

conſuetudinis in bonæ fidei judiciis debent ve-
2 *nire.* Obſervandum eſt diſcrimen inter ea, quæ ſunt de naturâ actûs; & ea quæ à pleriſque fieri ſolent, quæ moris ſunt. Illa veniunt etiam in ſtrictis judiciis, ut conſtat ex *l. 3. ff. de reb. cred.* de quâ modò diximus. Hæc non veniunt niſi in judiciis bonæ fidei, ut conſtat ex hâc ipſâ lege: nam in ſtrictis, quod omiſſum eſt, pro omiſſo habetur. *l. quicquid adſtringendæ 99. in princ. ff. de V. O.* Verùmtamen etiam in his, ſi planè non fuerit omiſſum, ſed obſcurè dictum, verba obſcura ſunt interpretanda ſecundùm ea, quæ à pleriſque fieri ſolent: noſtrâ *l. in obſcuris* 114. Solitum in his eſt norma interpretandæ voluntatis: non ratio inducendæ obligationis.

3 Hæc, ſi planè omiſſa fuerint, quæ ſunt de naturâ actûs, aut ſolita fieri. Multò magis hæc obtinere debent, ſi verbis fuerint quodammodò indicata, vel obſcurè ſignificata: Supplet enim lex, ſi quid fortè deſit; aut detrahit, ſi quid abundet. In *l. 1. §. ſi autem 5. ff. de hæred. inſt. Si autem ſic ſcribat*: Lucius hæres: *licèt non adjecerit*: eſto: *credimus plus nuncupatum, minùs ſcriptum*; *& ſi ità*: Lucius eſto: *tantùmdem dicimus.* Vide reliqua, quæ ſubſequuntur; ſunt enim ſcitû digniſſima. Detrahit etiam, quæ ſuperfluunt, & pro ſupervacuis habet *l. quæ extrinſecùs 65. in princ. ff. de V. O.* Exemplum in inſtitutione hæredis proponitur in *d. l. 1. §. ſi ex fundo.* Si ex fundo fuiſſet aliquis ſolus inſtitutus, valet inſtitutio detractâ fundi mentione. Quòd ſi duo fuerint in fundo inſtituti, alter ex parte tertiâ, alter ex beſſe ejuſdem fundi: detractâ fundi mentione, quaſi ſine partibus inſtituti, ex æquis partibus hæredes erunt *l. quoties 9. §. ſi duo 13. ff. eod. l. ſi alterius 10. ff. eod.* In contractibus habemus exemplum in *d. l. quæ extrinſecùs 65. Arma, virumque cano*; *ſpondeo*: detrahitur illud Virgilii hemiſtychum, & ſtipulatio valet.

4 In legatis quoque lex ſupplet id, quod eſt de naturâ actûs. Exemplum affert Julianus in *l. ſi fundum 81. §. qui fundum ff. de leg. 1.* Teſtator legavit fundum excepto ædificio: ædificium remanet penès hæredem. Sed quia hæc exceptio hæredi eſſet inutilis, ſi non haberet iter & actum ad ædificium: idcircò & iter & actum ei legatarius concedere debet. Diverſo tamen jure: nam ſi nomine ædificii villam teſtator intellexerit, ipſo jure habebit hæres iter & actum ad villam, cujus ipſo jure dominus erit. Si verò ſolam ſuperficiem ſine ſolo, villæ dominus erit legatarius, qui ſoli dominus eſt, *§ cùm in ſuo 29. inſt. tit. de rer. diviſ. l. qui domum 50. ff. ad leg. Aquil. l. qui res ſuas 98. in fin. verſ. non eſt his ſimilis ff. de ſolut.* Subvenit tamen hæredi Prætor utilibus actionibus, & ipſi conſtituit ſervitutem itineris & actûs *l. 1. in fin. ff. de ſuperfic.* Quòd ſi legatarius fundum totum vindicaverit, dabit hæredi exceptionem, & coget legatarium hæredi cedere ſuperficiem, & iter & actum ad villam, hâc *l. ſi fundum verſ. ſi de ſoli.* In fine hujus §. aliud ponit exemplum Julianus. Ædificii nomen ambiguum eſt: poteſt ſignificare ædificium cum ſolo: poteſt etiam ſignificare ſolam ſuperficiem. Quærit Julianus an excepto ædificio, ſuperficies, an villa excepta intelligatur? Reſpondet, inclinandum eſt teſtatorem etiam de ſolo cogitaſſe, ſine quo ædificium ſtare non poteſt. En veriſimile ductum à naturâ ædificii.

Sed obſtat difficillimus text. in *l. 3. ff. de* 5
ſervit. leg. in quâ quatuor diverſæ ſpecies proponuntur, in quibus non ſolùm à lege non ſuppletur ſervitus viæ ad fundum legatum, ſed etiamſi à teſtatore legata fuerit via, legatum eſt inutile.

Reſp. hoc ipſo ſervitutem non deberi, quia fuit legata, & quidem inutiliter propter naturam ſervitutis individuam *l. ſtipulationes non dividuntur 72. ff. de V. O.* Teſtator, qui duos fundos proximos habebat, Sejanum & Titianum, legavit Mævio fundum Sejanum cum viâ per fundum Titianum: eumdem fundum legavit Titio, ſed ſine viâ; utrique per vindicationem. Si uterque vindicet fundum, neutri via debetur: non Titio, quia ei legata non eſt: non Mævio, quia, cùm propter Titii concurſum dimidiam tantùm partem fundi Sejani conſequatur *l. ſi pluribus 33. ff. de legat. 1. §. ſi eadem*

8. *inſt. eod.* non poteſt viam conſequi: non ſolidam, quia ſolùm pro parte fundi dominus eſt *l. pro parte* 11. *ff. de ſervit. l. ſi unus* 19. *ff. de ſervitut. ruſt. præd.* non pro parte; quia cùm ſit individua, pro parte acquiri non poteſt. *l. via* 17. *ff. de ſervit. & dd. ll. & noſtra l. ſi fundum* 3. Quòd ſi deliberante Titio Mævius fundum vindicaverit, & Titius poſteà repudiaverit, Mævius ſervitutem ſolidam conſequitur, cùm totum fundum obtinuerit etiam ab initio: licèt enim dominium partis in ſuſpenſo ſit, quamdiu deliberat Titius, tamen eo repudiante apparet Mævium totius fundi dominum retrò fuiſſe *l. Titio & Sejo* 34. *cum l. ſeq. ff. ad leg. Aquil.* Igitur perindè eſt ac ſi ſoli Mævio & fundus & via fuiſſet legata. Altera ſpecies eſt. Teſtator Mævio fundum Sejanum ſub conditione legavit: viam autem per Titianum purè. Hæres pendente conditione legati adivit hæreditatem; ſtatim cedit dies legati viæ, quod purum eſt *l. 1. & 3. ff. quando di. leg. ced.* legati autem fundi dies non cedit ante impletam conditionem *l. 5. §. ſed ſi ſub conditione ff. eod.* Non poteſt igitur Mævius acquirere ſervitutem viæ: non ante exiſtentem conditionem, quia nondùm habet fundum, cui debeatur *l. 1. ff. comm. præd.* nec poſt eventum conditionis, cùm fundum habere incipit, quia actus defunctorum, quibus non eſt appoſita conditio, ſuſpendi non poſſunt *l. ult. in fin. ff. eod.* neque enim ſuſpendere debemus actum, quem teſtator non ſuſpendit vivens, nec poteſt ſuſpendere poſt mortem, quo tempore non poteſt mutare voluntatem, aut aliquid velle, cùm nullam habeat ampliùs voluntatem. Tertia eſt: fundum Sejanum pro parte legavit Mævio ſub conditione; pro reliquâ parte purè, ſimùlque viam purè legavit. Hæres adivit hæreditatem pendente conditione. Ceſſit dies partis purè legatæ; nec non viæ; ſed viæ inutiliter: quia fundus pro parte tantùm factus eſt Mævii *l. pro parte* 11. *ff. de ſervit. l. ſi unus* 19. *ff. de ſervit. ruſt. præd.* Quarta: Titius & Sejus fundum communem habebant, ut putà Sejanum. Teſtator qui dominus erat fundi Titiani legavit ſervitutem viæ, vel itineris per fundum Titianum utrique tàm Titio, quàm Sejo: ſed Titio purè, Sejo verò ſub conditione. Si pendente conditione dies legati puri ceſſit, interit viæ legatum: eâdem ratione, quâ ſuprà. Summa igitur hùc pertinet, ut teneamus eum, qui pro indiviſo partis dumtaxat eſt dominus, acquirere non poſſe ſervitutem. Nam qui pro indiviſo dominus eſt, in quâcumque parte fundi, imò in quâlibet glebâ dominium habet: non quidem ex toto, ſed ex parte, putà dimidiâ, tertiâ, quartâ: ex reliquâ dominus eſt ejus ſocius. Nullam igitur certam ac circumſcriptam fundi habet aut ædium particulam, quæ tota ſit ejus propria, non communis utriuſque; ſcilicèt partim propria, partim aliena: alienæ autem rei, nec imponi, nec acquiri ſervitus poteſt *l. 1. in fin. l. ſi cùm duas* 8. *ff. comm. præd.* idcircò per unum ſocium communi ſolo ſervitus acquiri non poteſt, licèt poſſit retineri *l. ut pomum* 8 *in fin. ff. de ſervit. l. proprium* 5. *ff. comm. præd. l. pluribus* 140. *§. ult. ff. de V. O.*

Sed rurſùs obſtat text. in *l. ſi quis inquili-* 6
nos 112. *in princ. ff. de legat.* 1. *Si quis inquilinos ſine prædiis, quibus adhærent, legaverit; inutile eſt legatum, ſed an æſtimatio debeatur, ex voluntate defuncti ſtatuendum eſſe Divi Marcus, & Commodus reſcripſerunt.*

Reſp. imò ſecundùm naturam rei faciendam interpretationem, legatum valere non poſſe. Cùm enim inquilini ſeu coloni, ſeu adſcriptitii prædiis adhæreant ità, ut ab iis nec à domino quidem avelli, & ſine ipſis prædiis alienari non poſſint *l. 2. l. quemadmodum* 7. *l. cùm ſatis* 23. *C. de agric. & cenſ.* conſequens eſt, ut nec legari poſſint repugnante eorum naturâ; cùm nec cuiquam poſſunt acquiri *d. l.* 23. Eâdem ratione legari non poſſunt, ea quæ ædibus juncta ſunt *l. cætera* 41. *§.* 1. *ff. de leg.* 1. nec convaleſcit legatum, ſi quando fuerint ſeparata, putà collabente, ac diruto ædificio. *§. ſeq.* Multò minùs igitur poteſt valere legatum inquilinorum, qui numquàm à fundo ſeparari poſſunt nec ipſi, nec ſoboles eorum *dd. ll.* Nec dici poteſt legatum inquilino-

Digitized by Google

rum trahere ad ſe ipſum fundum, cui ſunt adſcripti, & à quo ſeparari non poſſunt argumento *l. nam quod liquidæ 4. in princ. ff. de pen. leg.* Etenim poteſt quidem principale ea, quæ acceſſionis locum obtinent ad ſe rapere. *l. 2. ff. de pecul. l. cùm principalis 178. ff. de R. J. L. Labeo 17. ff. quem. ſervit. am.* non autem contrà acceſſorium poteſt ad ſe trahere principale, cùm ipſum ſequatur. Extincto & perempto principali perimitur acceſſorium *d. l. 2. ff. de pecul. leg. d. l. Labeo.* perempto autem, ac deficiente acceſſorio non perimitur nec deficit principale. *l. poſtquàm 3. ff. de pact.*

7 Reliqua modò perſequamur. Occurrit exemplum à Paulo propoſitum in *l. ult. ff. de ſervit. leg.* Si plures ſint hæredes, non tenentur ſinguli in ſolidum, ſed ex lege XII. tab. dividitur inter eos hereditas, & pro portionibus hæreditariis etiam actiones hæreditariæ *l. 1. C. fam. erciſ.* item & legata, quæ ſunt onera hæreditaria *l. 2. C. de hæredit. act.* & hæreditariarum actionum locum obtinent *l. hæreditariarum 40. ff. de oblig. & act.* Tamen cùm via legata fuit pluribus hæredibus, ſinguli in ſolidum tenentur; & conveniuntur *d. l. ult.* Hoc enim exigit natura ſervitutis, quæ individua eſt, & partem non recipit *d. l & l. via 17. ff. de ſervit. l. 2. §. ex his ff. de V. O.*

8 In *l. Julianus 15. ff. de hered. inſt.* Ulpianus ex Juliano elegantiſſimum proponit exemplum. Teſtator ita ſcripſit: *Titius ex parte dimidiâ hæres eſto: Sejus ex parte dimidiâ: ex quâ parte Sejum hæredem inſtitui, ex eâdem parte Sempronius hæres eſto.* Dubitari poſſe ait, utrum in tres ſemiſſes dividere voluerit hæreditatem, an verò in unum ſemiſſem Sejum, & Sempronium conjungere: ita ut Titius ſemiſſem habeat: alterum ſemiſſem Sejus & Sempronius; nempè quadrantem ſinguli. Et hoc verius eſſe ait. Paulus autem in *l. triplici 142. in fin. ff. de V. S.* hanc Juliani ſententiam referens, veriſimili nititur: ibi: *veriſimilius eſſe.* Quid ità? An non veriſimilius eſt in tres ſemiſſes diviſiſſe hæreditatem? An non poteſt teſtator in quotcumque partes voluerit, hæreditatem dividere? Sanè poteſt §. *hereditas cum ſeqq. inſt. tit. de hered. inſtit. item quod Sabinus 17. per tot. ff. eod. & d. l. Julianus 15. §. 1.* in quo ſibi videtur adverſari Julianus, nam ibi tertius non habet minorem partem quàm inſtitutus: imò majorem. Quid? Cur non dicimus Sempronium hæredem eſſe non poſſe, tamquàm ex nullâ parte inſtitutum, cùm expleto jam aſſe inſtituatur in parte ipſius aſſis. quæ jam nulla eſt *d. l. item quod Sabinus §. ſed ſi aſſe.* Ibi: *ſi ita ſcripſiſſet expleto aſſe: ex reliquâ parte heres eſto: quoniam cùm nihil reliquum eſt, ex nullâ parte heres inſtitutus eſt.* Quamobrem ita concludi poteſt: aut expleto aſſe in alium aſſem venire debet Sempronius *d. §. ſed ſi aſſe in princ.* ſeu potiùs in alium ſemiſſem, qui ei fuit relictus à teſtatore *l. ſi ità 47. §. 1. ff. de hered. inſtit.* aut ſi in reliquam partem aſſis vocatus eſt, in nullâ parte inſtitutus eſt, cùm nulla reliqua pars aſſis ſuperſit, eo in duas dimidias diſtributo, atque diviſo inter Titium & Sejum. Addo, quòd ſi Sempronio damus tantummodò quadrantem, non erit heres ex eâ parte, ex quâ Sejus fuit inſtitutus: cùm Sejus fuerit inſtitutus ex parte dimidiâ, ſcilicèt ex ſemiſſe, non ex quadrante.

Nihilominùs cùm hanc ſententiam maximi 9
Juriſconſulti Julianus, Ulpianus, Paulus approbarint, non eſt ambigendum, eam eſſe veriſſimam & optimâ niti ratione. Cùm dubitatur de voluntate teſtatoris, quod veriſimilius eſt, ſequi debemus. Veriſimilius autem eſt, teſtatorem voluiſſe conjungere Sempronium Sejo in dimidiâ, quam Sejo reliquerat. Ut ait Paulus in *l. triplici in fin. ff. de V. S.* Undè hoc? Nempè quia plerique in duodecim uncias dividunt hæreditatem, quæ Aſſis appellatur §. *hereditas 6. inſt. de hered. inſt.* Aſſis autem duos tantummodò ſemiſſes continet, non tres. Omne totum, quicquid eſt, duas tantùm dimidias partes habet: ergò & hæreditas. Ipſa igitur hæreditatis natura, quæ communis eſt omnibus rebus, id exigit, ut expleta ſit atque exhauſta tota hæreditas, quotieſcumque duæ dimidiæ partes fuerint diſtributæ. Eò fit, ut cùm teſtator Sempronium inſtituit ex eâ

parte

Digitized by Google

parte, ex quâ Sejum inſtituerat, intelligi debeat eum inſtituere in ea ipſa parte, in ea dimidia, in quâ Sejus eſt inſtitutus. Verba illa: *ex qua parte Sejum inſtitui*, poſſunt vel indicare, & connotare rem ipſam; ſcilicèt eamdem dimidiam portionem hæreditatis, in quâ Sejus eſt inſtitutus: & tunc Sempronius Sejo conjungitur, quia eadem dimidia utrique relinquitur. Vel poſſunt indicare quantitatem portionis Sempronio relictæ, videlicèt quòd teſtator tantumdem relinquat Sempronio, quantùm Sejo: quo admiſſo ad tertiam dimidiam veniendum eſſet. Hoc autem repugnat tùm naturæ hæreditatis, ut dividatur in tres dimidias partes, tùm communi conſuetudini. *l. ſervum* 50. §. *ult. ff. de hered. inſt.* §. *hereditas inſt. eod.* His ita explicatis conciduut ipſa per ſe, quæ huic legi adverſari videbantur.

10 Adjiciam alia exempla. In *l. ſi ex toto* 8. §. *ult. ff. de leg.* 1. teſtator ita legavit: lecticarios octo, aut pro his in homines ſingulos centum, utrum legatarius volet. Quæſitum fuit, utrum poſſet legatarius partem ſervorum vindicare, & pro alia parte pecuniam petere. Reſponſum, non poſſe. Teſtator fecit poteſtatem eligendi de duobus, utrum vellet, ſervos, an pecuniam. Alterutrum igitur eligere debet, non utrumque. Abhorret id à natura electionis à teſtatore conceſſæ. Quid? Quòd haberet octo inter ſe diverſas electiones, diſcrepantes ab electione datâ à teſtatore? Poſſet enim eligere unum ſervum, & reliquorum pretium: item duos ſervos, & ſex aliorum æſtimationem: item tres, & ita de cæteris. Electio igitur non caderet inter ſervos, & pecuniam, quemadmodùm voluit teſtator: ſed inter ipſos ſervos, ex quibus eligere poſſet, quemcumque vellet.

11 Rurſus de naturâ legati eſt, ut re certâ legatâ hæres talem præſtare debeat, qualis eſt *l. ſi, à ſubſtituto* 45. §. *ult. ff. de leg.* 1. Nam teſtator, qui rem certam legat, veluti fundum Cornelianum, hominem Stichum, qualiſcumque ſit, ad legatarium transferri vult, ejuſque rei dominium ad legatarium tranſire, quâle ipſe habuit. Itaque ſi legatus ſit fundus, qui ſervitutem impoſitam debet, non liberum hæres præſtare debet, ſed qualis eſt, niſi teſtator hoc præceperit: veluti ſi dixerit: fundum, uti optimus maximuſque eſt *l. ſervo legato* 69. §. *ſi fundus ff. de leg.* 1. *l. ſi ſervus* 70. §. *nam & ſi fundus ff. eod.* Item non debet præſtare noxis ſolutum eſſe ſervum, furem, aut fugitivum non eſſe *d. l. ſi ſervus* 70. & *l. ſi legati* 56. *ff. eod.* Addit Pomponius in *d. l.* 56. quòd etſi legatarius ſtipuletur, fugitivum eum non eſſe præſtari: *nihil veniet in hanc ſtipulationem, quia qualis ſit, talis ex teſtamento præſtari debet.* Stipulatio enim adjecta legato ejus naturam ſequitur. *l.* 1. §. *ſi quis ſub conditione* 14. *ff. ut legat. nom. cav.* maximè cùm eadem ſit etiam natura ſtipulationis. *l. quæ de legato* 46. *ff. de legat.* 1. Aliud exemplum in *l. cùm pater* 77. §. *evictis* 8. *ff. de leg.* 2.

Non ſolùm in eo, quod attinet ad qualitatem rei legatæ, ſpectanda eſt ejus natura, & veriſimilitudo, de quâ modò dicebamus: ſed etiam quoad quantitatem legati ejuſque partitionem. Exemplis id explico. Qui triginta ſola reliquerat, legavit triginta Titio, viginti Mævio, decem Sejo. Non debet ad legatum admitti ſolus Titius, qui totum patrimonium abſorbet, excluſis Mævio & Sejo, quibus nihil reliquum eſt, quod dari poſſit. Nam teſtator, qui eos vocavit ad legatum, utique repelli noluit. Propterea ſervari debet proportio, quam teſtator ipſe ſervavit: & Titio quindecim, Mævio decem, Sejo quinque danda: ità enim quilibet habet dimidium ejus, quod teſtator legavit; & omnes ſimul conficiunt ſummam triginta *l. is qui* 80. *ff. de leg.* 1. Item ſi fundus duobus, uni uſusfructus legatus ſit: ſemiſſem uſusfructus unus habet, alterum ſemiſſem illi duo. *l. Sempronius* 26. *in fin. ff. de uſufr. legato.* Quid ità? quia illi duo conjuncti pro unâ perſonâ habentur. *l. planè* 34. *in princ. ff. de leg.* 1. *l. un.* §. *hoc ità C. de caduc. toll.* & legato fundi etiam uſusfructus continetur. *l. ſi alii* 19. *ff. de uſufr. legat.* Tertium exemplum in *l. legatum* 116. §. 1. *ff. de leg.* 1. Teſtator inſtituit hæredes Titium & Sejum: Titio, & duobus extraneis fundum legavit. 12

Titius à ſe legatum capere non poteſt, à cohærede poteſt. *l. & quidem* 18. *& d. l.* 116. Sejus igitur ex ſuo ſemiſſe legatum præſtabit, tùm Titio, tùm extraneis: videlicèt tertiam partem Titio, duas tertias extraneis. Tertia autem pars ſemiſſis eſt ſextans. Itaque ſextantem habebit Titius: dextantem extranei; videlicèt trientem à Sejo, ſemiſſem à Titio jure accreſcendi.

CAPUT XI.

Ad L. quoties §. ſi duo ff. de hæredibus inſtit. & l. cùm quæſtio 23. C. de leg.

SUMMARIUM.

1 *Si voluntas diſponentis diſcrepet à naturâ actûs, & ſit manifeſta, illa potior eſſe debet.*
2 *Expenditur L. quoties § ſi duo ff. de hered. inſt.*
3 *Inſtitutio in re certâ valet detractâ rei certæ mentione.*
4 *Inſtitutis duobus, altero in re certa, altero ex parte vel ſine parte, ille conſideratur tamquam legatarius, hic eſt hæres in totum. & n. 8.*
5 *Verbum inſtituendi licèt plerumque ad hæredes referatur, tamen complecti poteſt legata & alias res.*
6 *Inſtitutus in re certâ eſt hæres in totum.*
7 *Duobus inſtitutis in rebus certis uterque eſt hæres pro ſemiſſe.*
8 *Duobus inſtitutis altero in re certâ, altero in hæreditate ex parte vel ſine parte, hic hæres eſt in totum alter pro legatario habetur.*
9 *In diviſione cujuſque rei juſta proportio inter partes ſervatur. Exempla in hæreditate & legatis.*
10 *Expenditur l. cùm quæſtio 23. Cod. de legat. & n. 11. & ſeqq.*
11. *Diſtribuere hæreditatem & calculos ſubducere facile eſt, & neceſſarium, ut juſtitia ſervetur. & n. 12.*
13 *Et maximè conſentaneum eſt voluntati teſtatoris.*
14 *Qui priùs reliquit cuidam duodecim uncias, alii autem poſteà ſex, non videtur adimere voluiſſe ſex uncias priori.*
15 *Qui eamdem rem pluribus legat, eos in eâ ipſâ re conjungit, neque adimit primo, quod ſecundo dat.*
16 *L. cùm quæſtio 23. C. de leg. eſt lex ſpecialis, & in eo caſu, de quo ibi agitur dumtaxat obſervanda. & n. 17.*
17 *Voluntas mutata] præſumi poteſt ex intervallo, in continenti non poteſt.*

UT vim, naturamque ſuperioris regulæ 1
diſtinctiùs explicemus, pauca ſunt ſubjicienda. Ac primùm diſcutiendum; ſi voluntas & ſententia teſtatoris ab eâ videatur diſſidere: utra ſit præferenda. Si voluntas manifeſta ſit, utique potior eſſe debet. Nam, quæ ſunt de formâ, voluntate contrahentium mutari non poſſunt, quia mutatâ formâ interit ſubſtantia rei. *l. Julianus* 9. §. *ſed ſi quis ff. ad exhib. l. cum precario* 12. *ff. de precar. l. inſulam.* 6. *ff. de præſcr. verb.* At verò, quæ ſunt de naturâ actûs, voluntate noſtrâ mutari poſſunt. *l. naturalis* 5. §. *ſed ſi facio* 4. *ff. eod.* pacta enim, quæ contractui adjiciuntur, obtinent perindè ac ſi naturalia eſſent contractûs §. *adeò* 3. *in fin. inſt. tit. de locat. & cond.* In legatis autem, licèt cùm pluribus eadem res legata fuit, omnes concurrant, eaque inter eos qui concurrunt dividatur, tamen ſi manifeſtè appareat teſtatorem voluiſſe, quod primo legaverat, in ſecundum transferre, is ſolus legatum habebit. *l. ſi pluribus* 33. *ff. de leg.* 1. Contrà ſi appareat, eum voluiſſe ſingulis ſolidum deberi, omnes ad ſolidum legatum venient, non verò pro virili portione *d. l.* 33. Ibi: *niſi ipſe teſtator ex ſcripturâ manifeſtiſſimus eſt, utrumque eorum ſolidum accipere voluiſſe. l. planè* 34. §. *ſed ſi non corpus ff. eod.* Ibi: *ſi evidentiſſimis probationibus teſtatorem multiplicare legatum voluiſſe. l. un.* §. *ſi autem* 12. *verſ. hoc autem C. de cad. toll.* Ibi: *niſi teſtator apertiſſimè & expreſſim diſpoſuerit.* Liquet igitur hâc in re, ut recedatur à naturâ contractûs, & à ſolito, requiri evidentiſſimas probationes. Hoc intereſt inter legatum rei, corporiſque, & legatum quantitatis; quòd in hoc ſufficiunt evidentiſſimæ probationes, ſcilicèt evidentes conjecturæ. *d.* §. *ſed ſi non corpus*: in illo requiritur voluntas expreſſa teſtatoris *d. l.* 33. *& d. l. unic.* Et hujus differentiæ ratio eſt; *quod eadem res ſæpius præſtari non poteſt; eadem ſumma volente teſtatore multiplicari poteſt. d.* §. *ſed ſi non corpus.*

In hæreditate quoque exemplum ponitur in *l. quoties* 9. §. *ſi duo* 13. *ff. de hæred. inſtit.* 2
Hæreditas à teſtatore dividi debet: ſi non

dividatur, omnes æqualiter hæredes ſunt. *d. l. quoties §. hæredes.* 12. Quidam inſtituit hæredes Cajum ex parte tertiâ fundi Corneliani : Sejum ex beſſe ejuſdem fundi. Reſponſum eſt, ex æquis partibus hæredes eſſe : ſi modò voluntas patris fam. manifeſtiſſimè non refragatur *d. §. ſi duo* 13. Eſt hoc planè ſingulare. Licèt enim hæredes ſine partibus inſtituti ex æquis partibus hæredes ſint *d. §. hæredes* 12. & *§. ſi plures* 6. *inſt. eod.* tamen hîc partes aſſignatæ fuerunt Cajo tertia pars, Sejo bes, quod nomen propriè uſurpatur in dividendâ inter plures hæredes hæreditate §. *hæreditas* 5. *inſt. eod.* Videtur igitur teſtator ſatis apertè declaraſſe voluntatem ſuam inſtituendi Cajum in triente, Sejum in beſſe. Nec ſimile eſt, quod proponitur in *l. ſi alterius* 10. *& in l. ſeq. ff. eod.* Nam ibi cùm pretia fundorum, & inſularum ſint admodùm incerta, ex partibus incertis hæredes videntur inſtituti; quocirca perindè eſt, ac ſi ſine partibus fuiſſent inſtituti *l. ſi quis ità* 36. *ff. eod.* ſequitur igitur, ut ex æquis partibus inſtituti cenſeantur *§. ſi plures* 6. *inſt. tit. de hæred. inſt.* & *d. §. hæredes.* Sed in hâc ſpecie cùm ejuſdem fundi uni triens; alteri bes fuerit aſſignatus, certa eſt partium diſtributio : certæ portiones hæreditatis utrique aſſignatæ, detractâ fundi mentione. Sicut enim ſi unus dumtaxat in fundo Corneliano fuiſſet inſtitutus, detractâ fundi mentione, in tota hæreditate hæres eſſet; ità cùm duo ex partibus certis inſtituti fuerunt in eo fundo; detractâ fundi mentione, ex iiſdem partibus hæredes eſſe debent, perindè ac ſi teſtator dixiſſet: Cajus ex parte tertiâ, Sejus ex beſſe hæres eſto. Placuit tamen Sabino, Celſo & Ulpiano hæredes eſſe ex æquis partibus : eâ, ut puto, ratione, quia teſtator partitus eſt fundum, non hæreditatem : ac propterea, cùm nulla ſit mentio fundi, & à lege detrahatur, neceſſe eſt nullam quoque eſſe adſcriptionem partium; & detractâ mentione fundi, detrahi etiam mentionem partium quæ fundo cohæret, eique eſt infixa. *l. cùm principalis* 178. *ff. de R. J. l.* 2. *ff. de pecul. leg.* totum enim trahit ad ſe partem, & id quod ſine re aliquâ eſſe non poteſt, rei illi cedit, eamque ſequitur. *l. in rem actio* 23. *§. ſi quis rei cùm ſeqq. ff. de rei vind.* Cùm igitur hæc legis auctoritate nitantur, obſervanda ſunt, niſi voluntas teſtatoris manifeſtiſſimè refragetur *d. §. ſi duo.*

Ad dilucidam hujus legis explicationem 3
alia duo oportet animadvertere. Primum quòd hîc non quæritur, an valeat inſtitutio. Etenim explorati juris eſt, inſtitutionem in re certâ valere detractâ rei certæ mentione, ut traditur in *l.* 1. *§. ſi ex fundo ff. eod.* & ſupponitur in hâc lege. Ibi : *ut detractâ fundi mentione, quaſi ſine partibus ſcripti hæredes hæreditate potirentur* : ſicut valet inſtitutio, cui adjectus eſt dies, aut impoſſibilis conditio : detracto die, & conditione *§. hæres* 9. *cum ſeq. inſt. eod. l. hæreditas* 34. *ff. eod.* ſolùm dubitabatur, an ſcripti hæredes ſuccedere deberent in partes adſcriptas fundo Corneliano; an verò in partes æquales, quaſi ſine partibus ſcripti hæredes; & hanc fuiſſe Sabini, & Celſi ſententiam refert : *ſi modò voluntas patriſfamilias manifeſtiſſimè non refragatur.* Hæc verba manifeſtiſſimè referuntur ad diviſionem hæreditatis inter duos hæredes, non ad validitatem inſtitutionis; ut probant etiam duæ leges ſequentes. Qui aliter ſentiunt, caligant in luce clariſſimâ.

Alterum eſt, quòd ſi duo hæredes inſti- 4
tuti ſunt, alter ex re certâ, alter ex parte vel ſine parte; qui eſt inſtitutus ex re certâ legatarii loco habetur : alter eſt hæres in tota hæreditate, & actiones hæreditarias ſolus poteſt exercere, ſolus iiſdem conveniri ex Juſtiniani conſtitutione in *l. quoties C. de hæred. inſt.* Quæ conſtitutio veteri juri nequaquàm adverſatur : & maximè congruit naturæ legati & hæreditatis. Non adverſatur veteri Juriſprudentiæ : quoniam Papinianus in *l. cohæredi* 41. *in fine ff. de vulg. & pupil.* ut inſtitutus in re certâ ſit hæres, requirit non fuiſſe ei datum cohæredem. Ulpianus pariter in *l.* 1. *§. ſi ex fundo ff. de hæred. inſt.* proponit eum ſolum inſtitutum fuiſſe : quaſi aliud juris futurum ſit, ſi ei cohæres datus eſſet. Et perſpicuè idem Ulpianus in *l. ex facto*

35. *in princ. verſ. ità igitur. & in §. 1. ff. eod.* ait, quòd ſi unus ex fundo Corneliano, alter ex Liviano hæredes inſtituti ſint, erunt quidem hæredes ex æquis partibus, licèt fundi ſint inæquales; ſed officio judicis unicuique fundus, qui ei relictus eſt, adjudicabitur, quos fundos vice præceptionis accipient, ſcilicèt jure prælegati. Conſentanea eſt etiam naturæ tum legati: tum hæreditatis. Legati, quia teſtator ex omnibus bonis ſuis, ex tota hæreditate fundum aliamve quamlibet certam rem delibat ex ſuâ hæreditate: legatum autem nihil aliud eſt, quàm delibatio hæreditatis, quâ teſtator ex eo, quod univerſum hæredis foret, alicui quid collatum velit *l. legatum* 116. *in princ. ff. de leg.* 1. Hæreditatis, quia qui inſtituitur ex parte, vel ſine parte, hæres eſt in tota hæreditate. *l.* 1. *& l. interdum* 13. *ff. de hæred. inſt.* ne teſtator partim teſtatus partim inteſtatus decedat, contra *l. jus noſtrum* 7. *ff. de R. J. §. hæreditas* 5. *inſt. eod.*

5 Verumtamen verba repugnare videntur: nam ſi hæres eſt inſtitutus in re certâ, tum verbum inſtituendi convenit hæredi, non legatario: tum nomen hæredis non poteſt legatarium ſignificare. Veriſſima quidem hæc eſſe fateor, tamen cùm concurrunt ſimul, & natura rei, & voluntas, his verba cedant neceſſe eſt, ut infrà dicemus. Maximè verò cùm verba in generali ſignificatione poſſunt quodammodo eò trahi, ducique. Verbum inſtituendi tametſi ad hæredes plerumque in jure noſtro referatur, multò latius patet, & multò plura complectitur: ac ne à teſtamentis recedamus, etiam tutores inſtitui dicuntur. Liv. *lib.* 1. *Tutor liberis regis teſtamento inſtitueretur.* Cic. *pro P. Sextio. Te ſororis filius poſthumus adoleſcens gravis, ſenili judicio notavit, cùm in magno numero tutorem liberis non inſtituit. Id.* ep. fam. lib. 13. epiſt. 61. *Quod quidem ille teſtamento declaravit, qui me tum tutorem, tum etiam ſecundum hæredem inſtituerit.* Hæredis quoque nomen etiam legatarium aliquandò comprehendit. *l. in conventionibus* 219. *ff. de V. S.* Ibi: *jus hæredum ad legatarium quoque transferri potuit. l. in tempore* 14. *§. ult. ff. de uſucap.* Ibi: *legatarius quodammodo quaſi hæres eſt.* In *l.* duodecim tabul. *uti legaverit rei ſuæ, ità jus eſto*: legandi verbum & hæreditates, & legata, & libertates, & tutelas comprehendit *l. verbis legis* 120. *ff. de V. S.* Affines igitur ſunt hæredibus legatarii; & in re ipſâ nullum aliud eſt diſcrimen, quàm quòd hæres eſt ſucceſſor juris univerſi, legatarius rei particularis. Imò legatarius aliquando ſucceſſor eſt juris univerſi; poteſt enim legari etiam pars hæreditatis, licèt non in omnibus loco hæredis ſit *l. mulier* 22. *in fin. ff. ad SC. Trebell. l. cùm ex filio* 39. *in princ. ff. de vulg. & pupil.*

Summa rerum hæc eſt. Aut inſtituitur unus 6
tantùm hæres, iſque in re certâ, veluti in fundo, aut duo, ſinguli pariter in rebus certis: aut duo, alter in certa, alter in hæreditate. Primo caſu certum eſt, eum hæredem eſſe in tota hæreditate *l.* 1. *§. ſi in fundo ff. de hered. inſt. l. cohæred.* 41. *in fin. ff. de vulg.* Idque etiam ſi teſtator juſſiſſet ipſum eâ re contentum eſſe, ut in *l. quoties C. de hæred. inſt.* Nemo enim facere poteſt, & cavere, ne leges in teſtamento ſuo locum habeant *l. nemò poteſt* 55. *ff. de leg.* 1. adeòque ut decedat partim teſtatus partim inteſtatus contra *l. jus noſtrum* 7. *ff. de R. J. §. hæreditas inſt. de hæred. inſt.* Optimus text. in *l. pen. §. filiusfam. ff. de caſtr. pecul.* Ibi: *quod jus non habuerit, non magis quàm ſine obſervatione legum facere teſtamentum: neceſſariò ergò caſtrenſis peculii hæres ſcriptus univerſa bona habebit.* Ergò etiam miles, qui non eſt in expeditione, quàmvis teſtari poſſit de caſtrenſi peculio, tametſi fuerit filius fam. *princ. tit. inſt. de milit. teſtam.* tamen ſi teſtatus fuerit ſolùm de caſtrenſibus bonis, non de paternis, in quibus ſucceſſit ignorans, hæres *neceſſariò* habebit univerſa bona *Neceſſariò*: ſcilicèt quocumque modo, ſive velit, ſive nolit, adeò, ut aliter fieri non poſſit §. 1. *inſt. tit. de hered. qualitate, & differentia, l. impenſa* 79. *l. munus* 214. *ff. de verb. ſign.* Cajus *inſt. lib.* 2. *tit.* 3. §. 6. Cic. *lib.* 1. *de invent. Neceſſario demonſtrantur ea, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt.* Clariùs. Teſtator non magis efficere poteſt, ut pro

Digitized by Google

parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedat, *quàm ſine obſervatione legum facere teſtamentum.* Atqui certum eſt, eum ſine obſervatione legum facere non poſſe teſtamentum. *l. teſtandi* 13. *C. de teſtam. l. nemo poteſt* 55. *ff. de leg.* 1. nihil hoc evidentius. Poteſt ne quis cavere, ut, quem inſtituit in teſtamento, ſit hæres ad diem vel ex die? Profectò non poteſt. Detrahitur à lege diei, vel temporis vitium, quo ſublato remanet pura inſtitutio *l. hereditas* 34. *ff. de hæred. inſt.* Detrahitur pariter mentio rei certæ *l.* 1. *§. ſi ex fundo l. quoties §. ſi duo ff. eod.* Utrumque autem, tàm certum tempus, quàm certa res, eâdem omninò de cauſâ detrahitur: quia repugnat naturæ hæreditatis: qui decederet pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, pro aliquo tempore teſtatus, pro reliquo inteſtatus: in re certâ teſtatus, in reliquis inteſtatus. Idem igitur utrobique jus eſſe debet.

7 Secundo caſu tribus modis inſtitui poteſt. Cajus ex parte tertiâ fundi Tuſculani, Sejus ex beſſe hæredes ſunto, ut in *l. quoties §. ſi duo ff. de hæred. inſt.* vel in diverſis rebus, ut: Cajus ex fundo Tuſculano: Sejus ex Liviano hæredes ſunto: vel; Sejus ex illâ inſulâ: ut in *l. ſi alterius* 10. *cum ſeq. ff. eod.* vel in pluribus rebus ſimul junctis; veluti: Cajus rerum provincialium hæres eſto, Sejus rerum Italicarum, ut in *l. ex facto* 35. *ff. eod.* Quocumque modo facta fuerit inſtitutio, uterque erit hæres pro ſemiſſe, cùm uterque ſine parte ſcriptus ſit, laudatis *ll.* ſcilicèt non ex parte quotâ, veluti tertiâ, dimidiâ, & ſimili; ſed ex certis ac definitis rebus, quæ nullam certam partem hæreditatis, hoc eſt, juris univerſi portionem conſtituunt *d. l.* 10. Cæterùm ad officium judicis pertinet cuique rem ipſi relictam attribuere, quam prælegati loco obtinebit, ejuſque Falcidiam ſolvere cogetur. Quantùm autem ad æs alienum, uterque pro ſemiſſe, ex quo hæres eſt, tenebitur. Hæc perſpicuè atque diſtinctè in laudatâ. *l. ex facto* 35.

8 Tertio caſu, cùm uni res certa; alteri hæreditas, vel ex parte, vel ſine parte relicta eſt: hic verè hæres eſt, & tenetur æs alienum perſolvere: primus legatarii loco habetur, ut in ſuperiore caſu diximus. *l. quoties C. de hæred. inſtit.* & titulò tenùs hæres eſt; hactenùs ut à querelâ inofficioſi teſtamenti removeatur; ſi quidem jure noviſſimo ad eam excludendam titulus inſtitutionis eſt neceſſarius *Novell.* 115. *c.* 3. quo titulo jure veteri opus non erat *§. igitur inſt. tit. de inoff. teſtam. l. Papinianus* 8. *§. ſi quis mortis ff. eod. l. omnimodò* 30. *l. ſi quis* 33. *l. ſi quando* 35. *§. & generaliter authent. noviſſima C. eod.* Hos caſus ſummatim ac breviter diſtinximus, quia nonnulli hos confundentes in multas ſalebras inciderunt.

9 Aliud exemplum explicato multò difficilius nobis exhibet Juſtinianus in *l. cùm quæſtio* 23. *C. de legat.* Naturalis ratio dividendæ cujuſque rei eſt, ut in diviſione ſervetur inter partes juſta proportio. Propterea hæc omninò ſervatur à lege in diviſione hæreditatis, legati, fideicommiſſi. Finge: pater filiam jam natam hæredem inſtituit: & poſthumum, ſi naſceretur, ex parte dimidiâ, & quartâ, hoc eſt, ex novem unciis. Dividenda eſt hæreditas in ſeptem partes nato poſthumo: quatuor filiæ, tres poſthumo tribuendæ. *Filia enim totus as, poſthumo dodrans datus eſt: ut quartâ portione amplius filia quàm poſthumus ferre debeat.* Ità Africanus in *l. ſi ità ſcriptum* 47. *§.* 1. *ff. de hæred. inſt.* Eadem eſt proportio aſſis ad dodrantem: hoc 12. ad 9. quæ 4. ad 3. Rurſùs finge: qui ſola triginta reliquerat, Titio triginta legavit: Sejo viginti: Mævio decem. Reſpondit J C. quòd Titio quindecim, Sejo decem, Mævio quinque debentur. Sunt enim proportionales hi tres numeri 30. 20. 10. his tribus 15. 10. 5. & ſinguli habent dimidium ejus, quod ipſis fuit legatum. Julianus in *l. ſi ità ſcriptum* 13. *in princ. ff. de lib. & poſt. Si ità ſcriptum ſit, ſi filius mihi natus fuerit, ex beſſe hæres eſto: ex reliquâ parte uxor mea hæres eſto. Si verò filia mihi nata fuerit, ex triente hæres eſto: ex reliquâ parte uxor hæres eſto: & filius, & filia nati eſſent: dicendum eſt, aſſem diſtribuendum in ſeptem partes, ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat. Ità enim ſecundùm voluntatem teſtatoris filius altero tan-*

Digitized by Google

to ampliùs habebit, quàm uxor: item uxor altero tanto ampliùs, quàm filia. Scitè profectò rem expeditivit Julianus ſecundùm voluntatem teſtatoris, qui proportionem duplam ſervari voluit tam inter filium & uxorem, quàm inter uxorem & filiam. Finge rurſus: Primum ex ſemiſſe, ſecundum ex ſemiſſe quis heredes inſtituit: &, ſi primus hæres non erit, tertium ex dodrante ſubſtituit. Si primus hæres non ſit, quindecim partes faciendæ, quarum novem habebit tertius: ſex alias ſecundus: ac tertius quidem ſex ex ſubſtitutione primi, tres ex inſtitutione; eſt enim ſimul & ſubſtitutus, & inſtitutus. *l. Julianus* 15. §. *ult. cum l. ſeq. ff. hered. inſt.* Poſſet etiam hæreditas dividi in quinque partes, ut duas ferat ſecundus, tres tertius; ſcilicèt duas tamquàm ſubſtitutus: reliquam ut inſtitutus: vel in decem, ut cuique libuerit, eâdem ſemper ſervatâ proportione. Sed Julianus voluit conſervare portiones aſſignatas à teſtatore. Nam aliter Papinianus in *l. qui non militabat* 78. §. 1. *ff. de leg.* 1. Teſtator inſtituit Titium ex duabus partibus, & Mævium ex quadrante. Si diviſioni aſſis adſtringeremur; Titio dodrans, Mævio quadrans dari deberet. Sed quia teſtator pro arbitrio dividere poteſt hæreditatem, JC. aſſem redigit ad dodrantem: licèt enim teſtator duas partes Titii non definiverit, tamen ſatis definitas intelligit ex quadrante relicto Mævio, quo indicatur etiam partes Titio relictas eſſe quadrantes: itàque duo quadrantes, hoc eſt, ſemis ad Titium, quadrans ad Mævium defertur. Ulpianus quoque in *l. item quod Sabinus* 17. §. *ult. ff. de hered. inſt. Quòd ſi quis dupondium diſtribuit, & tertium ſine parte inſtituit, hic non in alium aſſem, ſed in trientem venit.* Treſſem revocat ad aſſem, & quia tertius ſine parte inſtitutus diviſâ in tres aſſes hæreditate ad tertium aſſem vocatus erat, hoc eſt, ad tertiam partem hæreditatis, venit in trientem aſſis primi; non in alium aſſem, nempè in ſecundum, ut in §. *anteced.* quo caſu ſemiſſem haberet. Habet igitur trientem, qui eſt tertia pars aſſis, ſicut tertius aſſis eſt tertia pars treſſis. Sic igitur ſervatur juſta proportio præſcripta tacitè à teſtatore. Hermogenianus in *l. ex unciis* 87. *ff. eod. Ex unciis ſex primo herede inſtituto: ſecundo ex octo: ſi tertius ex reſiduà parte, vel nullà partis mentione factà heres inſtituatur: quinque uncias hereditatis tertius habebit: in viginti quatuor etenim partes hereditate diſtributà, tertio ratio calculi, veluti ex decem partibus inſtituto, quinque uncias aſſignavit.* Ità ſanè; As eſt dimidium dupondii: ergò, qui habet decem uncias dupondii, habet quinque uncias aſſis: & qui octo dupondii, quatuor tantùm aſſis, & qui ſex dupondii, tres ſolùm aſſis. In ſuperiore igitur inſtitutione, primo quadrans, ſecundo triens, tertio dandus quincunx, quæ ſimul aſſem conficiunt: ſunt enim in eâdem proportione 3. 4. 5. & 6. 8. 10. Has igitur partes aſſignavit ratio calculi, quam ſequitur etiam Juſtinianus in §. *videamus* 7. *inſt. tit. de hered. inſt.* in quo explicando caligat Hotomannus, & nodum in Scirpo quærit. Peſſimè interpretatur *d.* §. peſſimè abſurdèque emendat *l.* 17. *in fin. ff. eod.* Veriſſimum eſt, quòd expleto dupondio fit tranſitus ad tripondium: ſeu, ut rectiùs dicam, ad treſſem. Veriſſimum, quòd expleto dupondio ſine parte inſtitutus aufert trientem hæreditatis, quia As eſt tertia pars trium aſſium, in quos teſtator diviſit hæreditatem. Poteſt eam teſtator in quotcumque voluerit uncias dividere §. *hereditas* 5. *in fin. inſt. eod.* diviſit in uncias 36. diſtribuit tantùm 24. reliquæ ſunt 12. dandæ inſtituto ſine parte. 12. ſunt tertia pars 36. in quas diviſa eſt tota hæreditas, ergò inſtitutus ſine parte debet habere tertiam partem hæreditatis, hoc eſt, trientem unius aſſis, hæreditate ad aſſem revocatâ. Non intelligit vir ſummus, cur is, qui expleto aſſe inſtituitur ſine parte, veniat in ſemiſſem; hic autem in trientem. Qui hoc non intelligit, nec arithmeticam, nec geometricam rationem intelligit; nec id, quod omnes intelligunt. Ille habet 12. uncias ex 24. hoc eſt, dimidium dupondii, ſeu hæreditatis, quæ conſtat dupondio. Hic habet 12. uncias ex 36. quibus conſtat tota hæreditas, adeòque tertiam partem hæreditatis, ſeu

trientem aſſis. Uncia aſſis, æquat duas uncias dupondii: tres autem, tripondii: ac propterea duodecim unciæ dupondii, efficiunt ſemiſſem: duodecim unciæ tripondii, efficiunt trientem, ſi ad aſſem revocentur. Sunt hæc clariſſima, ſed quandòque bonus dormitat Homerus. Hæc notare oportebat, ne tanti viri auctoritas inſcientibus imponat. Non erravit igitur Hermogenianus, nec Juſtinianus, nec ullâ opus eſt emendatione. Revertamur modò ad Ulpianum: hîc in *l. interdùm* 13. *§. ſed ſi exceſſerit ff. eod. Sed ſi exceſſerit in diviſione duodecim uncias, æquè pro ratâ decreſcet: ut putà, me ex duodecim unciis, hæredem te ex ſex ſcripſit: ego hæreditatis habeo beſſem: tu trientem.* Nimirùm eadem eſt proportio 8. ad 4. quæ 12. ad 6. Ulpianum ſequitur Juſtinianus in *§. videamus* 7. *inſt. eod. ſi plures hæredes ſcripti in portionibus ſint, tacitè ſingulis decreſcere: ut ſi* (verbi gratiâ) *quatuor ex tertiis partibus hæredes ſcripti ſint: perindè habeatur, ut ſi unuſquiſque ex quartâ parte hæres ſcriptus fuiſſet.* Hæc igitur ratio computandæ, diſtribuendæque hæreditatis omnium juriſconſultorum conſenſu, necnon ipſius Juſtiniani approbatione fuit confirmata. Nec alia poteſt inveniri, niſi prava atque perverſa, & contraria naturali rationi ac geometricis demonſtrationibus.

10 Hanc tamen certiſſimam rationem perturbavit Juſtinianus *l. cùm quæſtio* 23. *C. de legat.* ubi ſtatuit, quòd ſi quis alicui reliquerit totam hæreditatem, & alteri poſteà ejus dimidiam, uterque habet ſemiſſem hæreditatis: & ſi quis uni totam, alteri tertiam partem reliquerit, ille ferat octo uncias: hic quatuor. Sanè videtur iniquum, eum, cui duplum relictum eſt, nihilò plus conſequi, quàm is, cui relictum eſt ſimplum, & ſit totum æquale dimidio. Et hoc ſtatuit tàm in hæreditatibus, quàm in legatis & fideicommiſſis. Tria autem affert, quæ ipſum impulerunt ad adeundam hujuſmodi conſtitutionem. Primum ut ſopiret veterum dubitationem quæſtionemque. Alterum ut tolleret multas computationes ſuperfluas, quæ introducebantur multis ratiocinationibus dignas & contrarias menti teſtatoris. Tertium ut voluntatem teſtatoris impleret, cujus veſtigia non aliter niſi per hujuſmodi viam ſunt æſtimanda. Quod attinet ad primum, ſatis copioſè hactenùs demonſtravimus omnes veteres juriſconſultos in computandis partibus hæreditatis, eaſque ad aſſem revocandis conveniſſe: Ariſtonem, Caſcellium, Trebatium, Labeonem, Sabinum, Papinianum, Paulum, Vitellium, Ulpianum, Hermogenianum & ipſum Juſtinianum in *§. ſi plures*, & in *§. ſeq. inſt. tit. de hæred. inſtit.* ubi non recedit à ſententiâ & computatione veterum, nec ullam, ut ſolet, inter eos autumat fuiſſe controverſiam.

Quod attinet ad ſecundum, hæreditatem 11
diſtribuere, & calculos ſubducere tàm in proclivi, quàm imber eſt, quando pluit. Nam aut diſtributio partium aſſem committitur, & facillimè ad aſſem revocatur: aut nulla eſt menſura communis; cujus modi ſunt quantitates, quas geometræ incommenſurabiles appellant, & tunc dividitur hæreditas in partes & uncias, quas teſtator adſcripſit: & hoc nullam ratiocinationem, nullam omninò computationem requirit. Exemplis hæc explico. Teſtator primo reliquit totum aſſem, ſeu duodecim uncias: ſecundo ſemiſſem, ſeu ſex uncias, ut in hâc lege proponit Impetator. Facillimè hæc diſtributio ad aſſem revocatur, quemadmodùm fecit Ulpianus in laudatâ *l. interdùm §. ſed ſi exceſſerit*: primus habet hæreditatis beſſem, ſecundus trientem: ut modò expoſuimus. Pone rurſùs diſtributiones, quas proponit idem Juſtinianus in *d. §. videamus*. Quidam tres inſtituit ex quartis partibus; hæ non conficiunt aſſem: vacat quarta pars, vacant tres unciæ: adjicitur unicuique una, & perindè habetur, ac ſi ex tertiis partibus fuiſſent inſtituti: quadrans convertitur in trientem, ut compleatur integer aſſis. Rurſùs quidam quatuor hæredes inſtituit ex tertiis partibus: ex triente: ex quatuor unciis. Superſunt hîc quatuor unciæ: detrahe unam ſingulis, remanebit quadrans, & perindè erit, ac ſi unuſquiſque fuiſſet ex quadrante inſtitutus, & erit expletus aſſis: quatuor enim quadrantes aſſem conficiunt. Non fuit, opinor,

Digitized by Google

Juſtiniano difficilis hæc computatio, quæ nec pueros quidem latet. Secundum exemplum in hâc lege propoſitum eſt, cùm teſtator uni totam relinquit hæreditatem: alteri tertiam partem: vel quod idem eſt, uni duodecim, alteri quatuor uncias. Hanc diſtributionem ad aſſem redigere tàm facilè eſt, quàm quod maximè.

12 Si verò nulla ſit menſura communis, ità ut ad aſſem revocari non poſſit, dividitur in tot partes, in quot eam diviſit teſtator. In *l. ſi ità ſcriptum* 47. §. 1. *ff. de hered. inſtit.* duodecim uncias filiæ, novem poſthumo, ſi naſceretur, pater reliquerat. Duodecim partes filiæ, novem poſthumo tribuuntur; ſeu, quod eòdem recidit, ut facilior ſit diviſio, in ſeptem partes dividitur hæreditas, quatuor filiæ, tres poſthumo tribuuntur; utraque enim quantitas eſt ſub triplâ quantitatis à teſtatore deſignatæ, ut ſuprà fuſiùs expoſuimus. Eâdem ratione ſi uni duodecim, alteri tres uncias reliquerit: quindecim partes erunt faciendæ; illi duodecim, huic tres tribuendæ; vel quod eſt expeditiſſimum, quinque partes fieri poterunt, & uni quatuor, alteri una dari: ſunt enim hi minimi numeri in eâdem proportione *l. ſi ità ſcriptum* 13. *ff. de lib. & poſt.* & alias ejuſcemodi leges ſuprà explanavimus, in quibus explicandis mehercle arithmeticæ, aut geometriæ medullam non exſudavimus. Quæ ſunt iſtæ, tàm multæ computationes multis ratiocinationibus dignæ, ſuperfluæ & menti teſtatoris contrariæ? Superfluæ profectò non ſunt: imò verò neceſſariæ. Nam cùm nemo poſſit decedere pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus *l. jus noſtrum* 7. *ff. de reg. jur.* ſi teſtator non diſponat de totâ hæreditate, pars vacans non poteſt deferri hæredibus ab inteſtato: neceſſe eſt igitur, ut accreſcat hæredibus inſtitutis. Contrà ſi excedat aſſem hæreditarium, neceſſe eſt pars ſuperfluens pro ratâ detrahatur ab hæredibus inſtitutis, & ſingulis tacitè decreſcat. Atque hanc neceſſitatem fatetur ipſe Juſtinianus in §. *hereditas & in* §. *videamus Inſt. tit. de hered. inſtit.* Hæc autem adjectio atque detractio, ſine computatione & ratiocinatione fieri non poteſt. Eſt igitur hæc omninò neceſſaria.

Multò minùs dici poteſt contraria voluntati teſtatoris, cui eſt maximè conſentanea. 13
Ità ſe rem habere pro certo affirmat Julianus in *l. ſi ità ſcriptum* 13. *in principio ff. de liber. & poſt.* Ibi: *ità enim ſecundùm voluntatem teſtatoris, filius altero tanto ampliùs habebit &c.* Et contrariam eſſe non poſſe evidentiſſimum eſt. Nam Juriſconſulti eas partes ſingulis tribuunt, quas ipſis ratio calculi aſſignat, ut ait Hermogenianus in *l. ex unciis* 87. *in fin. ff. de hered. inſtit.* Ratione autem calculi nihil evidentius. Nititur enim firmiſſimis atque evidentiſſimis arithmeticæ & geometriæ demonſtrationibus, quæ nos in errorem inducere, & falsâ aliquâ opinione animos imbuere, verique ſpecie decipere non poſſunt. Rectè Cic. *Acad. Quæſt.* 4. *Geometræ provideant, qui ſe profitentur non perſuadere, ſed cogere. lib.* 5. *de fin. bon.* Cogunt certè, & *ſi prima dederis, danda ſunt omnia*: ut alibi idem ait. Noſtri Juriſconſulti tales fuerunt, ut in univerſum de Romanis Cicero teſtatur initio *lib.* 1. *Tuſcul. quæſt. In ſummo apud illos honore* (Græcos ſcilicèt) *geometria fuit: itaque nihil mathematicis illuſtrius. At nos metiendi, ratiocinandique utilitate hujus artis terminavimus modum.* Enimverò quæ de dividendâ hæreditate legatiſve tradiderunt, omnia probari poſſunt mathematicis demonſtrationibus, quæ non perſuadent, ſed cogunt. Aut igitur dicendum, eos in voluntate teſtantium interpretandâ turpiter erraſſe: aut ſecundùm voluntatem teſtatorum reſpondiſſe. Sed ineptum eſt, de re tàm apertâ pluribus diſputare.

Supereſt tertium, quod nititur voluntate 14
teſtatoris. *Cùm enim manifeſtum eſt, eum, qui ab initio duodecim uncias rei cuidam reliquit, alii autem poſteà ſex, receſſiſſe quidem à priore voluntate, voluiſſe autem minui eam ſex unciis, quas alii obtulit.* Si hoc manifeſtum eſt, totum jus accreſcendi, & diſcrimen inter conjunctos & disjunctos evertitur: falſum etiam erit, quòd inter eos concurſu partes fiant. Miror, veteres hoc non vidiſſe, ſi manifeſtum eſt. Certè hoc ignoravit Ulpianus, qui in *l. interdùm* §. *ſed ſi exceſſerit ff. de hered. inſtit.* in exemplo allato ait: *ego hereditatis*

hæreditatis habeo beſſem, tu trientem: ignorarunt & alii omnes, de quibus ſuprà. Quid ſi reliquerit primo duodecim uncias: alteri pariter duodecim uncias: Erit adempta hæreditas primo, & in alterum tranſlata: nam ſi relictis alteri ſex unciis, minuitur in ſex unciis portio primi; hoc caſu minuetur in totis duodecim, & tota hæreditas à primo auferetur. Tollitur igitur regula de tranſitu ad dupondium tradita in *l. item 17. ff. de hæred. inſt.* & ab ipſo Juſtiniano §. *ſi plures* 8. *eod.* Tollitur Regula à Paulo tradita libro tertio regularum, relata in *l. ſi pluribus 33. ff. de leg. 1. Quòd ſi ſeparatim, ſiquidem apparuerit evidentiſſimè ademptione à priore legatario factà ad ſecundum &c.* Non transfertur ad ſecundum, niſi evidentiſſimè appareat priori ademptum fuiſſe. Tollitur regula, quòd hæreditas non facilè adimi poteſt, tradita in *l. 1. §. ſed 3. ff. de his, quæ in teſt. del.* Tollitur regula, quòd mutatio voluntatis non præſumitur *l. Lucius Titius 22. in fin. ff. de legat. 2. l. ſi quis 22. in princ. verſ. ſed hoc ità ff. de leg. 3. l. Paula 27. eod. l. legatorum 33. ff. de legat. 2.* Tollitur denique ratio naturalis, quæ dictat, ſervandam eſſe proportionem inter vocatos ad eamdem rem, de quâ ſuprà admodùm copiosè.

15 At enim teſtator minuit hæreditatem vel legatum in tot unciis, quot alteri tribuit: quod enim illis dat, huic adimit: Falſum. Qui rem eamdem pluribus legat, eos conjungit in eâdem re legatâ; quæ, ſi omnes concurrant, inter eos ſcinditur pro ratâ portione §. *ſi eadem 8. inſt. tit. de legat. l. ſi pluribus 33. ff. de leg. 1. l. interdùm 13. §. 1. & ſeqq. ff. de hæred. inſt.* Alioqui ſi adimeret primo, quod ſecundo dat: ſecundo deficiente, primus non poſſet conſequi, quod ei ademptum eſt, & in ſecundum tranſlatum: & ceſſaret, & tolleretur in legatis jus accreſcendi. *l. planè 34. in princ. ff. de leg. 1. l. quòd ſi 7. cum ſeq. ff de adim. leg.* Hoc autem, quòd voluerit teſtator à primo legatum, aut partem legati adimere, & in ſecundum transferre, evidentiſſimè probari debet *d. l. ſi pluribus 33.* etiamſi verba conveniant, ut de hæreditate reſpondit JC. in *l. Julianus 15. in princ. ff. de hær. inſt.* quam ſuprà latè expoſuimus.

Hæc non eò dixi, ut legiſlatorem repre- 16
henderem, ſed ut oſtenderem, hanc ſtrictiſſimè eſſe intelligendam, ne decipiamur in ejus interpretatione, & omnes juris regulas ſubvertamus. Eſt igitur lex ſpecialis, & obſervanda dumtaxat in eo caſu, de quo agit Juſtinianus. Primum; cùm teſtator primum hæredem inſtituit in totâ hæreditate, alterum verò in aliquâ portione hæreditatis: vel uni legat totum fundum, alteri ejuſdem fundi portionem. Hæc enim eſt quæſtio, quæ in eâ lege proponitur atque deciditur. Si primo partem, ſecundo totum relinquat; ad hunc caſum deciſio non pertinet: ſolummodò enim ſtatuit Imp. cùm teſtator *ab initio duodecim uncias rei cuidam reliquit; alii autem poſteà ſex.* Nec poteſt illum tacitè comprehendere, aut ad eum extendi: repugnant enim illa verba: *manifeſtum eſt, voluiſſe eam minui ſex unciis, cùm alii eas obtulit.* Hæc ratio, quæ movit Imperatorem, deficit hoc caſu: quia ſex detracta minuunt duodecim, at verò duodecim non poſſunt à ſex detrahi. In toto enim pars continetur, non totum in parte *l. in toto 113. ff. de R. J.* ſiquidem totum eſt majus ſuâ parte, ut natura ipſa nos docet. Item ſi primo non relinquat totum, ſed in plures diſtribuat, & poſt expletum aſſem alteri partem relinquat, non erit obſervanda hæc conſtitutio: tùm quia hunc caſum non comprehendit: tùm quia nec poterit res expediri, niſi recurramus ad proportionem, quam veteres obſervarunt. Finge: primo dodrans, ſecundo quadrans relictus eſt: poſteà relinquit alteri ſemiſſem: ſi ab utroque æquè detrahimus tres uncias, ſecundo nihil reliquum ſupererit, & omninò excludetur, quod eſt abſurdum, cùm ipſe quoque ſit vocatus ad partem. Dividenda igitur res erit in ſex partes: & dandæ tres primo, una ſecundo, duæ tertio; vel in duodecim, retento aſſe, dando ſex uncias primo, duas ſecundo, quatuor tertio ſecundùm veteres.

Præterea & illud requiritur, ut primo aſ- 17
ſem relinquat, & ex intervallo ſemiſſem alteri: quod indicat Imperator illis verbis *ab*

initio duodecim uncias: *poſteà* ſex. illa verba: *ab initio*, *& poſteà* demonſtrant teſtatorem non uno contextu & continuatione ſermonis id utrique reliquiſſe. Confirmat id ratio ab eo addita: *manifeſtum eſt receſſiſſe à priore voluntate*. Quid abſurdius, ſi continuò poſt primum, ſecundo reliquit? Teſtator ità ſcripſit: Cajo duodecim uncias, Sejo ſex uncias. Manifeſtumne eſt, eum receſſiſſe à priore voluntate? Ne id quidem præſumere ſani hominis eſt; cùm ſit unica voluntas unicâ oratione expreſſa. Ex intervallo quidem præſumi poteſt mutata voluntas, in continenti non poteſt. *l. non ad ea* 88. *verſ. quòd ſi purè ff. de cond. & dem. l. Lucius* 22. *in fin. ff. de leg.* 2. ibi: *niſi hæres ab hoc deceſſiſſe teſtatorem oſtenderit*, niſi hoc ſpecialiter dixerit *l. ſi quis* 22. *ff. de leg.* 3. aut ſe in continenti correxit, ut in *l. ſi ità ſcriptum* 47. *in princ. ff. de hered. inſt.* & in *l. ſicut adimi* 5. *ff. de adim. leg.* Illud etiam obſervandum, quòd nec ex intervallo facilè præſumitur mutata voluntas, ut in laudatis *ll.* & aliis ſuprà adductis.

CAPUT XII.

Ad L. cum precario 12. *ff. de precar. & alias.*

SUMMARIUM.

1 *Proponitur quæſtio.*
2 *In contractibus tria conſiderari poſſunt, ſubſtantia, natura, accidentia.*
3 *Natura rerum differt à ſubſtantiâ & n.* 4.
5 *Quæ ex juris diſpoſitione propria ſunt cujuſque actûs, ea ſunt naturalia: quæ adjiciuntur arbitrio agentium, accidentalia.*
6 *Si quid actum fuerit contra ſubſtantiam, aut non valet, aut in alium contractum convertitur.*
7 *Si abſoluta fuerit ſubſtantia alterius contractûs, quàm ejus, qui iniri voluerat, in illum transformatur.*
8 *Explicatur textus noſter. & n.* 9. 10. 11.
9 *Precarium elapſo tempore eidem adjecto finitur.*
10 *Precarium à domino repeti poteſt etiam nondùm elapſo tempore, ad quod conceſſum fuit, quia poteſt mutare voluntatem.*
11 *Precarium non poteſt converti in commodatum, à quo differt toto genere.*
12 *id quod actum eſt, prævalet, cùm actum fuit de aliquâ proprietate, quam lex vel conſuetudo tribuit actui ratione tantùm vel æquitate ſuadente. & n.* 13. 14.
15 *Natura actûs prævalet, cùm actum omninò eſt inutile, vel cùm in alium transformatur. Primum accidit in ultimis voluntatibus.*
16 *Etiam in contractibus. & n.* 17. 18. 19. 20. 21.
17 *Venditor etſi conveniat evictionem non præſtare, pretium tamen re amiſſâ ſemper reſtituere debet. & n.* 18.
22 *Diſpoſitio, quandò convertatur in aliam, ſi quid actum fuerit contra ejus naturam. Exemplum in emptione, quæ in locationem convertitur.*
23 *Alterum exemplum in ſocietate quam valere jure donationis nonnulli putant, ſed rejiciuntur, & n.* 25.
24 *Expenditur L. cùm hic ſtatus* 32. §. *ſi inter* 24. *ff. de donat. int. vir & ux.*
26 *Emptio & locatio in donationem transformantur, non item ſocietas, & quare.*
27 *Quod actui adjicitur, illum vitiat, ſi ejus fini & cauſa adverſetur.*
28 *Quod actum eſt contra accidentia contractûs, ſemper prævalet.*
29 *Natura actûs prævalet proprietati verborum.*
30 *Item alteri regula: verba generalia generaliter ſunt intelligenda.*
31 *Item alteri: obſcura verba contra proferentem interpretanda.*

ID quod actum fuit ſequi debemus. Ex 1
naturâ cujuſque actus voluntatem agentium debemus interpretari. Hæ duæ regulæ concurrunt ſæpenumerò, & confligunt & colliduntur. Utra ſit potentior, & alteram vincat, accuratè à nobis eſt diſputandum: hanc enim quæſtionem vix leviter atque diſperſim interpretes attigerunt. Primum autem explicandum eſt, quid naturæ nomine intelligamus. Doctiſſimus Cujacius, & cum eo eruditiores ferè omnes interpretes, naturam cujuſlibet actûs ſubſtantiam & eſſentiam ejus interpretantur: & cùm Papiniano in *l. pacta conventa* 72. *ff. de contr. empt.* ſtatuunt contractus conſtare ſubſtantiâ & adminiculis. Subſtantiam autem & naturam non eſſe 2
diverſa. Reprehendit etiam veteres, quòd in contractibus tria conſiderent; ſubſtantialia, naturalia, accidentalia. Ego contrà non auſim illos reprehendere: imò hanc diſtinctionem ad docendum & ad exponendas contractuum proprietates utiliſſimam eſſe arbitror, & à vero non alienam. Quid enim impedit diſciplinæ cauſa, quæ Papinianus

Digitized by Google

vocat *adminicula*, in naturalia & accidentalia diſtinctiùs dividere, & alia ab aliis ſeparare? Porrò in omnibus ferè naturalibus rebus præter ſubſtantiam rei natura quoque conſideratur, quæ nihil aliud eſt, quàm proprietas, ſeu qualitas ingenita & inſita à naturâ. Quocircà ſæpiſſimè occurrit apud Ciceronem aliosque probatiſſimos auctores natura cœli, terræ, loci, provinciæ, populi, ſtirpium, herbarum: natura etiam virtutum, & vitiorum & ſcientiæ cujuſcumque. Cic. *de Clar. Orat. Naturam habuit admirabilem ad dicendum.* Et in *Orat. lib.* 1. *Naturam atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam.* Scilicèt proprietas illa animi apta & ſagax ad benè dicendum. Virgilius de apibus

Nunc age naturas, apibus quas Jupiter ipſe addidit,
Expediam.

4 In homine ipſo quis non diſtinguit naturam à ſubſtantiâ & accidentibus? Subſtantia eſt, eſſe animal rationale. Natura eſt omne id, quod ei à naturâ eſt inſitum & innatum, quo ab aliis diſtinguitur. Rectè Cicero *de Invent. Præterea commoda & incommoda conſiderantur à naturà data animo, aut corpori hoc modo: valens, an imbecillus: longus, an brevis: formoſus, an deformis: velox, an tardus ſit: acutus, an hebetior: memor: an obliviosus: comis, officioſus, prudens, patiens, an contrà. Et omninò, quæ à naturâ data animo, & corpori conſiderabuntur, in naturâ conſideranda ſunt.* Quod verò vel à naturâ obvenit, caſuque accidit, vel propriâ cujuſque induſtriâ comparatur, accidens eſt: ſcilicèt dives, an pauper ſit: nobilis, an ignobilis: liber, an ſervus: rudis, an eruditus. Quid eſt igitur, quamobrem in actibus hominum ad jus pertinentibus, in contractibus, in ultimis voluntatibus eadem hæc conſideranda non ſint. Enimverò M. Tullius etiam in numeroſâ oratione naturam conſiderat, &, cujuſmodi ea ſit, latiſſimè explicat.

5 Non ignoro, veteres Juriſconſultos etiam ſubſtantiam naturam appellaſſe. Plerùmque tamen naturæ nomine indicant qualitatem & proprietatem, quàm habet actus inſitam, & quaſi innatam, & infixam vel à lege, vel conſuetudine uſuque communi; vel ex ſe & ratione ſui. Quemadmodùm in rebus naturalibus natura cujuſque conſtat proprietatibus ingenitis & inſitis ab ipſâ rerum naturâ: ità & in actibus legitimis: quæ ex juris diſpoſitione propria ſunt, & præcipua & peculiaria cujuſque actûs, ea ſunt naturalia: quæ verò aliundè aſſumuntur & adjiciuntur arbitrio agentium, accidentalia dici poſſunt. Porrò Paulus in *l. ſi unus* 27. §. *pactus verſ. quod & in ſpecie in fin. ff. de pact.* ait tempus reſtituendæ doti datum, à lege tribui naturæ dotis: *quoties enim ad jus, quod lex naturæ ejus tribuit, de dote actio rediit &c.* Id. in *l. cùm uſusfructus* 13. *ff. de uſufr. leg. via enim ſervitus una eſt, quia naturâ ſui habet intermiſſionem.* Id. in *l. naturalis* 5. §. *pen. ff. de præſcr. verb. & poteſt mandatum ex pacto etiam naturam ſuam excedere.* Id. in *l. Lucius Titius* 24. *in fin. ff. depoſit. Sed contra bonam fidem, & depoſiti naturam eſt, uſuras ab eo deſiderari temporis ante mortem, qui beneficium in ſuſcipiendâ pecuniâ dedit.* Papin. in *l. eamdem* 9. §. 1. *de duob. reis. quia poſterior conventio ſtatum & naturam obligationis, quæ duos initio reos fecit, mutare non poteſt.* Ulpian. in *l.* 5. *in fin. ff. de fidejus. quia natura obligationum duarum, quas haberet, ea eſſet, ut cum alterâ earum in judicium deduceretur, altera conſumeretur.* Pomponius in *l. quoties* 15. §. *ult. ff. de ſervitut. Servitutem non ea natura eſt, ut aliquid faciat quis, ſed ut aliquid patiatur, aut non faciat.* natura, non ſubſtantia: nam aliquandò & pati, & facere debet, ut in ſervitute oneris ferendi *l. etſi fortè* 6. §. *etiam & l. ſicut* 8. §. *diſtant. ff. ſi ſervit. vindic. l. eum debere* 33. *ff. de ſervit. urban. præd.* Nimirùm hæc eſt natura hujus ſervitutis: illa aliarum ſervitutum: quoniam illis hoc tribuit lex; huic verò contrà. Itidem natura negotii in *l. ob carmen* 21. §. *ult. ff. de teſtib.* natura actionis funerariæ in *l. & ſi* 14. §. idem 13. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* natura actionis, quòd metûs cauſa in *l. ſed & partus* 12. *in fin. ff. quod met. cauſ. Venditio, cujus indiviſa natura l. cùm ex cau-*

ſâ 139. *ff. de V. O.* In his, & aliis in legibus naturæ nomen non pro ſubſtantiâ, ſed pro qualitate propriâ, ac peculiari rei vel actûs inditâ à lege, uſurpatur.

6 His expoſitis, ac probè conſtitutis, apparet propoſitam quæſtionem in tres partes eſſe dividendam. Primùm docendum, quid juris ſit, ſi quid actum fuerit contra ſubſtantiam. Promptum id, & in expedito poſitum. Subſtantia utique prævalet ac præponderat: non poteſt enim ea agentium arbitrio & auctoritate mutari, atque perverti: nam mutata forma propè interimit ſubſtantiam *l. Julianus* 9. §. *ſed ſi quis* 3. *ff. ad exhib.* Itaque non valet id, quod actum eſt. Verumtamen diſtinguendum eſt. Aliquando enim non valet contractus, aliquando in alium contractum convertitur & commutatur. Non valet contractus, ſi non fuerit ſervata forma à lege præſcripta. Putà: id actum fuit inter contrahentes, ut contraheretur ſtipulatio, ſed promiſſor interroganti non reſpondit, ſed annuit; vel reſponſio non fuit congrua interrogationi, vel ſecuta eſt ex intervallo: nihil valet, quod actum eſt, adeò ut nec naturalem pariat obligationem *l.* 1. §. 1. *&* 2. *&* §. *ult. l. inter* 83. §. *ſi ſtipulante l. continuus* 137. *in princ. ff. de V. O.* §. *præterà* 5. *inſt. de inut. ſtipul.* Vel ſi pupillus aut minor prædium ſine decreto alienaverit *l.* 1. *ff. de reb. eor. l. minorum* 6. *l. ſi minor.* 15. *C. de præd. & al. reb. min.*

7 Si verò non fuerit quidem abſoluta ſubſtantia contractûs, quem deſtinaverant inire contrahentes, ſed ſubſtantia alterius contractûs; non eſt omninò inutile, quod actum eſt, ſed in hunc contractum transformatur. Exempla paſſim occurrunt. Si mutuum accipiens convenerit de eâdem ſpecie reddendâ; non mutuum contrahet, ſed depoſitum aut commodatum: vel de reddendo alio genere, erit contractus innominatus. *l.* 2. *in princ. ff. de reb. cred. l. ult. ff. de præſcr. verb.* ſcilicèt permutatio *l.* 1. §. 1. *ff. de contr. empt. ſi convenerit ut togam darem, ut pro eâ tunicam acciperes, non erit emptio: ſed permutatio d. l.* 1. §. 1. Si commodatum contrahere volentes certam mercedem pro uſu rei commodatæ ſtatuerint, transformabitur in locationem §. *item is in fin. inſt. tit. quib. mod. re contr. oblig.* vel aliud quiddam loco mercedis, in contractum innominatum *l. ſi ut certo* 5. §. *rem tibi* 12. *ff. commod. l. ſi gratuitam* 17. §. *ſi cùm unum ff. de præſcr. verb.* Alia exempla in *l.* 1. *in fin. ff. mand.* in *l. empti* 9. *C. de contr. empt. l ſi quis* 46. *ff. locat. l. ſi quis ante* 10. *in princ.* & in §. *ult. ff. de acq. vel amit. poſſeſ.*

In precario tamen contrà ſenſit Celſus in 8
l. cum precario 12. *in princ. ff. de precar.* Cùm precario aliquid datur, & convenit, ut in Kalendas Julias precario poſſideat, ait *nullam vim eſſe hujus conventionis, ut rem alienam domino invito poſſidere liceat.* Videbatur dicendum, hoc pacto precarium transformari in commodatum: ſimile eſt enim precarium commodato *l.* 1. § *ult. ff. eod.* In hoc differt, quòd in commodato, utendi modus finiſque præſcribitur *l. ſi ut certo* 5. §. *quinimò & l. in commodato* 17. §. *ſicut ff. commod.* in precario non item *l.* 1. *in princ. l.* 2. §. *& naturalem ff. de precar.* In noſtro autem caſu, cùm dies utendi fuerit præſcriptus, videtur omninò precarium induere naturam commodati. Nodus admodùm implexus, qui non facilè poteſt expediri. Tentandum tamen eſt.

Primùm autem vereor, ne non ſit contra 9
ſubſtantiam precarii pactum hujuſmodi. Non obſcurè hoc indicant Pomponius & Ulpianus. Hic in *l. in rebus* 4. §. *ult. ff. de precar.* ait quòd, *qui precario ad tempus rogavit, etiam finito tempore videtur precario poſſidere:* quia dominus, cùm patitur finito tempore poſſidere, intelligitur de novo concedere. Subdit Pomponius in *l. ſeq.* quòd ſi manente adhuc precario tu in ulterius tempus rogaſti, non renovatur precarium, ſed in longius tempus profertur: *ſi verò præteritâ die rogas, propius eſt, ut ſoluta cauſa precarii non redintegretur, ſed nova conſtituatur.* Iterùm Ulpian. in *l. certè* 6. *in princ.* ſubjicit, quòd *ſi interim dominus furere cœperit, vel deceſſerit, precarium non redintegratur.* Ex his colligitur, quòd ſi rogaverit precario ad tempus, & ſubſiſtit precarium ipſum, & ſubſiſtit

Digitized by Google

etiam pactum adjecti temporis. Etenim finito tempore finitur precarium: & ſi dominus patiatur precario rogantem ultrà poſſidere, de novo precarium concedere intelligitur: primum ergò precarium elapſo tempore expiravit. Item ſi manente adhuc precario in ulterius tempus rogaverit, in illud tempus precarium prorogatur. Ergò rata habetur tàm adjectio temporis initio facta, quàm ſubſequens prorogatio. Denique ſi non redintegratur precarium decedente aut in furorem incidente domino, quia non habet ampliùs voluntatem; ergò elapſo tempore adjecto precarium extinguitur ſecundùm voluntatem & conventionem initam. Subſiſtit igitur precarium: ſubſiſtit & pactum certi temporis ipſi adjectum. Atqui ſi eſſet contra ſubſtantiam, aut ipſum eſſet inutile, aut precarium, quod per pactum converteretur in alium contractum: ut ſuprà demonſtravimus. Enimverò quò magis nodum conor expedire, eò arctiùs adſtringo. Adverſantur enim hæc noſtræ legi, in quâ Celſus hoc pactum, hanc conventionem nullam eſſe declarat: ibi: *ſed nulla vis eſt hujus conventionis.* Ac ſi vim haberet hæc conventio; cur precarium non transformaret in commodatum precario ſimillimum? *l.* 1. §. *ult. ff. de precario.* Nam etiam pacta contra naturam transformant contractum, cui adjiciuntur, in alium contractum, cujus naturæ congruunt, aptèque conveniunt; ut infrà exponemus.

10 Non inſcitè reſponderi poſſe arbitror, Celſum non ſimpliciter affirmare, nullam eſſe hujuſmodi conventionem: ſed nullam vim habere, ut liceat rem alienam invito domino poſſidere. Precarium enim genus eſt liberalitatis, quod ex jure gentium deſcendit *l.* 1. §. 1. *ff. eod.* Ex hâc æquitate naſcitur interdictum, quod domino dat Prætor ad repetendam rem precario conceſſam: *& hoc naturalem habet in ſe æquitatem: namque precarium revocare volenti competit: eſt enim naturâ æquum tàm diu te liberalitate meâ uti, quàm diu ego velim, ut poſſim revocare, cùm mutavero voluntatem. l.* 2. §. 2. *ff. eod.* Igitur qui precarium ad Kalendas Julias conceſſit, ante Kalendas illud repetit hoc interdicto. Rectè repetit, quia naturâ æquum eſt, te liberalitate meâ tàmdiu uti, quàmdiu ego velim: non vult autem te ampliùs uti liberalitate ſuâ. At enim convenit, ut liberalitate ſuâ utereris uſque ad Kalendas Julias, ergò ſaltèm adjuvandus eſt, exceptione pacti conventi. §. *temporales* 10. *inſt de except. l.* 3. §. *ult. ff. eod.* Profectò non poteſt adjuvari hâc exceptione, quæ abhorret à naturali æquitate *l. Marcellus* 66. *ff. de R. J.* Nam ſi naturali æquitate nititur interdictum *d. l.* 2. §. 2. *ff. de precar.* à naturali æquitate abhorret exceptio, quæ opponitur interdicto, & ipſum repellit & excludit *l.* 2. *ff. de except.* Neque conventio æquam reddit exceptionem: quia dominùs agendo interdicto demonſtrat ſe mutaſſe voluntatem; quam mutare poteſt ſecundùm ipſius precarii naturam *d. l.* 2. §. 2. Ibi: *quàm diu ego velim: & ut poſſim revocare, cùm mutavero voluntatem.* Et hoc ſignificat Celſus in noſtrâ *l.* 12. illis verbis: *nulla vis eſt hujus conventionis, ut rem alienam invito domino poſſidere liceat.* Quomodò poſſidet domino invito, ſi dominus convenit, ut poſſideret? Convenit quidem, cùm rem precario conceſſit: nunc autem, cùm agit interdicto, eſt omninò invitus, mutatâ priori voluntate, quam jure potuit mutare, & naturali ratione ab eâ recedere. Neque hoc eſt ſine exemplo. De legatis Hermogenianus in *l. ſi quis in principio* 22. *ff. de legat.* 3. *Nemo enim eam ſibi poteſt legem dicere, ut à priore ei recedere non liceat voluntate.* Idem conſtitutum in donatione cauſâ mortis *l. ubi ita donatur* 27. *ff. de don. cauſ. mort.* Huic autem ſimile eſt precarium, nam ipſum eſt quædam ſpecies donationis: *diſtat tamen à donatione* (inter vivos) *eò quòd qui donat, ſic dat, ne recipiat: qui precario concedit, ſic dat quaſi tunc recepturus, cùm ſibi libuerit precarium ſolvere.* in hoc autem convenit cum donatione cauſâ mortis. Igitur ſumma rerum hæc eſt. Conventio certi temporis adjecti precario valet & ſuſtinetur, quamdiù dominus manſerit in eâdem voluntate: ſi verò mutaverit voluntatem, & repetat rem precario conceſſam, expirat conventio, & precarium finitur: ſi non mutaverit voluntatem, durat

Digitized by Google

uſque ad tempus conventum, & elapſo tempore finitur juxta conventionem; quia jam ab initio fuit revocatum in hoc articulo temporis, adjecto illo pacto.

11 Non convertitur autem in commodatum, tùm quia magis accedit ad donationem & beneficii cauſam, quàm ad negotii contracti *l. interdictum* 14. *ff. de precar. l. eum qui* 14. §. *is qui* 10. *ff. de furt.* & cùm utrique ſimilis ſit, in neutrum transformatur, in utrumque enim transformari nón poteſt: ſequitur igitur, ut maneat actus interjectus & intermedius, & vicinus amborum, participans utriuſque naturam, tùm quia ſimile quídem eſt commodato, quod rem non facit accipientis *l.* 1. *in fin. ff. de precar.* & quod gratuitum eſt, ſicut commodatum §. *item is cui in fin. inſt. tit. quib. mod. re contr. oblig. l. ſi ut certo* 5. §. *ſi rem tibi* 12. *ff. commod.* tamen quod ad cætera differt; nam commodatum eſt contractus, & quidem nominatus, ex quo duplex actio oritur commodati directa & contraria *d.* §. *item is in princ. l. in commodato* 17. §. 1. *& l. ſeq.* §. *ult. commod.* precarium non eſt propriè contractus *l. interdictum* 14. *ff. de precar.* nam nec nominatus eſt; nec innominatus, ut apparebit, ſi quatuor contractuum innominatorum genera diligenter excutiantur: & nulla civilis actió datur nomine precarii *d. l.* 14. *& l. eum qui* 14. §. *is quoque* 10. *ff. de furt.* interdictum autem Prætor dat propter naturalem æquitatem, & actio præſcriptis verbis ex bonâ fide oritur *l.* 2. §. 2. *ff. de precar.* Cùm igitur toto genere differat precarium à commodato, nulla ratio ſuadet, ut in commodatum transformetur: maximè per pactum, quod ſubſiſtit etiam precario illæſo: & viciſſim precarium ſuſtinetur etiam manente pacto. Hoc ampliùs precarium non tranſit ad hæredes *l. cum precario* §. *ult. ff. de precar. l. cùm hæres ff. de div. tempor. præſcr.* Paulus *lib.* 5. *rec. ſent. tit.* 6. §. 17. ubi eſt expreſſa ratio: commodatum in hæredem tranſit *l. penult. C. de commod. l. in commodato* 17. §. *ſi ex facto ff. eod.* In precario dolus tantùm præſtatur, quia totum eſt ex liberalitate *l. quæſitum* §. *eum quoque ff. de precar.* in commodato & dolus & culpa etiam leviſſima. *l.* 1. §. *& ille quidem ff. de oblig. & act. l. in rebus* 18. *in princ. ff. commod.* Singulare enim hoc eſt in precario & contra regulas juris, ut de dolo ſolùm teneatur is, qui ſolus utilitatem percipit ex contractu.

De ſubſtantia multò fuſiùs, quàm deſtinaveram, dixi. Sequitur modò quæſtio de naturâ actûs: ſcilicèt ſi quod actum fuit, repugnet naturæ actus, utrum naturam ſequi debeamus, an verò id, quod actum eſt. Aliquando hoc præponitur, non rarò & illud. Id, quod actum eſt, prævalet, cùm actum fuit de aliquâ proprietate, quam lex vel conſuetudo tribuit actui ratione vel æquitate ſuadente: non tamen prohibet contrà fieri, cùm id neque iniquum ſit, neque omninò repugnet actui. Exemplis id explico. De naturâ emptionis eſt, ut præſtetur cautio duplæ, & ex edicto Ædilium redhibitio animalium. Si autem inter emptorem & venditorem actum ſit, & conventum, ne cautio præſtetur, conventio prævalebit, & ſervanda erit, poſtpoſitâ naturâ actûs *l. pacta* 72. *ff. de contr. empt. l.* 6. §. 1. *ff. de act. empt. l. paciſci* 32. *ff. de pact. l. quæritur* 14. §. *pen. ff. de Ædilit. edict.* Licèt enim hæc ſint propria, ut dicuntur in *l. ſi hæres* 5. *in princ. ff. de act. empt.* tamen conventione tolli poſſunt, quia nec iniqui quicquam continent, nec à lege coguntur contrahentes ea obſervare, niſi dolus intervenerit; ſunt introducta favore contrahentium, & ideò ea contemnere licet *l. ſi judex ff. de minor. d. l. quæritur* 14. §. *pen.* & paciſci etiam contra Prætorem licet, quoties pactum non publicam, ſed tantummodò rei familiaris læſionem ſpectat *l.* 7. §. *ſi paciſcar.* 14. *ff. de pact.* 12

Aliud exemplum eſt in depoſito, de quo in 13
l. Lucius Titius 24. & *l. Publia* 26. §. 1. *ff. depoſ.* Si quis deponat pecuniam non in ſacculo vel arcâ clauſam, ſed numeratam, & id actum fuerit inter contrahentes, ut tantùmdem, non eadem pecunia ſolvatur: imò & ſolvantur uſuræ: excedit quidem hæc conventio depoſiti notiſſimos terminos & depoſitæ pecuniæ modum excedit; ſed tamen ſubſiſtit depoſitum, ſubſiſtit & conventio

uſurarum, quia in bonæ fidei judiciis etiam ex pacto uſuræ debentur. *l. cùm quidam* 17. *§. ex locato ff. de uſur. l. initio* 5. *C. de pact. int. empt. & vend. l. contractus l. qui negotia* 34. *ff. mand.* Prævalet igitur, quod actum eſt, naturæ depoſiti. Hæc enim pacta non ſunt contra ſubſtantiam depoſiti, ſed ſolùm contra naturam, ut perſpicuè demonſtrant illa verba Papiniani: *egreditur ea res depoſiti notiſſimos terminos*, & Pauli: *depoſitæ pecuniæ modum excedere.* Subdit, *& ideo ſecundùm conventionem uſuræ quoque actione depoſiti peti poſſunt.* Quid hoc rei eſt? Quòd excedat hæc conventio depoſitæ pecuniæ modum, indè non ſequitur, ut uſuræ peti poſſint ſecundùm conventionem actione depoſiti: imò ſequitur contrarium. Sed non eſt ineptum, aut falſum conſequens, quemadmodùm videtur. Nimirùm hoc ſenſit Paulus: cùm hæc conventio non ſit contra ſubſtantiam depoſiti, ſed dumtaxat excedat modum depoſitæ pecuniæ; ſcilicèt ejus naturam: non eſt irritus depoſiti contractus, nec in mutuum convertitur, & ideò ſecundùm conventionem debentur uſuræ, & peti poſſunt actione depoſiti. Sanè quidem; nam ſi depoſitum converteretur in mutuum, uſuræ ex conventione non deberentur. *l. 3. C. de uſur. l. Titius* 24. *verſ. reſpondit ff. de praſcr. verb.* Manet igitur depoſitum *l. die* 25. *ff. depoſ.* quia duo ſunt genera depoſiti: alterum, in quo traditur pecunia clauſa vel obſignata: *traditur*; & in hoc quia tamquàm certum corpus deponitur, eadem corpora nummorum clauſa vel obſignata ſunt reſtituenda. *§. prætereà inſt. tit. quib. mod. re contr. obl. l. 1. §. is quoque ff. de oblig. & action.* alterum, cùm quis pecuniam numeratam ità depoſuit, ut neque clauſam, neque obſignatam traderet, ſed adnumeraret: in quo nihil aliud debetur, niſi tantùmdem pecuniæ. *l. in navem* 31. *verſ. idem juris ff. locat.* Ratio eſt, quia cùm pecunia numeratur, in contractum deducitur tamquàm quantitas non tamquàm corpus: atque ideò qui illam accipit, debitor quantitatis conſtituitur: cui conſequens eſt, eamdem rem reſtituere, quoties reſtituit eamdem quantitatem. Neque contrarium eſt, quod ait Ulpianus in *l. certi condictio* 9. *in fin. cum l. ſeq. ff. de reb. cred.* datâ utendi facultate depoſitario, depoſitum in mutuum converti. Nam ibi depoſitarius rogaverat deponentem, ut ſibi liceret uti pecuniâ tamquàm mutuâ, non tamquàm depoſitâ. Ibi: *tranſit periculum ad eum, qui mutuam rogavit*; itaque concurrit utriuſque voluntas contrahendi mutuum. Contrà in caſu noſtro uterque vult depoſitum contrahere; & ideò in mutuum converti non poteſt: *nam niſi animus utriuſque conſentit, perduci ad effectum, in quod inchoatur, non poteſt. l. in omnibus rebus* 55. *ff. de obl. & act. l. 1. §. conventionis ff. de pact.* Verum tamen, quæ in depoſiti favorem ſunt conſtituta, propterea quòd pecunia manet penès depoſitarium, iſque nullam ex depoſito percipit utilitatem, ea ceſſant in hujuſmodi depoſito: veluti quòd ſolummodò de dolo teneatur *l. ſi ut certo* 5. *§. nunc videndum ff. commod.* ut deponens aliis præferatur *l. ſi ventri* 24. *§. in bonis ff. de bon. aut jud. poſſ. aliàs de privil. cred.* Quæ de depoſito diximus, eadem conſtituta ſunt in locatione & conductione in *l. in navem* 31. *ff. locat.*

14 Aliud exemplum. Si actum fuerit, ut, qui ex naturâ contractûs ſolùm de dolo teneretur, de culpâ etiam & cuſtodiâ teneatur: id, quod actum eſt, ſequimur. *l. 1. §. ſi convenit* 6. *& §. ſæpè* 35. *ff. depoſ. l. & Ariſtoni* 39. *ff. mand. l. ſi ut certo* 5. *§. 2. ff. commod. l. 7. §. ſed etſi* 15. *verſ. item ſi ff. de pact.* Item contrà ſi actum ſit, ut dolum tantùm vel dolum & culpam præſtet, qui ex naturâ contractûs etiam diligentiam præſtare tenebatur *l. ſi ut certo* 5. *§. interdùm* 15. *ff. commod.*

15 Nunc videndum, quando natura actûs prævaleat ei, quod actum eſt. Duobus modis id accidit, tùm, cùm omninò inutile eſt id, quod actum: tùm, cùm actus qui geritur, in alium actum transformatur. Primum accidit in ultimis voluntatibus, ut in legatis. Exemplum in *l. ſi quis in principio* 12. *ff. de leg.* 3. *ſi quis in principio teſtamenti adſcripſerit: ſi cui bis legavero, ſemel tantùm dari volo: poſteà eodem teſtamento vel codicillis ſciens ſæpè eidem legaverit: ſuprema vo-*

luntas potior habetur. Ratio, quia natura ultimæ voluntatis eſt, ut ſit ambulatoria uſque ad vitæ ſupremum exitum *l. quòd ſi iterùm 4. ff. de adim. leg. l. cùm hic ſtatus 32. §. pænitentiam ff. de donat. int. vir. & ux.* adeò ut nemo poſſit eam ſibi legem dicere, ut à priore ei recedere non liceat voluntate *d. l. ſi quis 22.* Alterum exemplum elegantiſſimum proponitur in *l. ſi peculium 6. ff. de pecul. leg. Si fuerit legatum peculium non deducto ære alieno, verendum, ne inutile legatum ſit, quia quod adjicitur, contra naturam legati ſit: ſed puto verum, hanc adjectionem non vitiare legatum, ſed nihil ei adjicere.* Contra naturam, non contra ſubſtantiam. Subdit enim: *Planè ſi proponas legatarium nullam poſſeſſionem rerum, exceptione doli adverſus heredem vindicantem uti poteſt: habet enim in ſolidis rebus voluntatem æris alieni non deducendi.* Si eſſet contra ſubſtantiam, voluntas teſtatoris nullius eſſet momenti, nec daret legatario exceptionem.

16 Præterea & in contractibus idem eſt conſtitutum. In dote conſtituendâ ſi pactum adjiciatur, quo deterior fiat conditio dotis, eſt illud inutile; veluti ut maritus ſolùm de dolo teneatur *l. Pomponius 6. ff. de pact. dotal.* Ut reſtituatur poſt longius tempus, quàm ſit naturæ dotis à lege datum *l. ſi unus 27. §. pactus 2. verſ. quod & in ſpecie ff. de pact.* Plura exempla peti poſſunt ex *l. 2. & 4. ex l. de die 14. & l. Atilicinus 17. ff. de pact. dot.*

17 In emptione & venditione. De naturâ emptionis eſt, ut venditor præſtet evictionem *l. non dubitatur 6. C. de evict.ion.* cùm enim de naturâ hujus contractûs ſit, ut venditor teneatur ſolummodò ad rem tradendam, non autem ad dominium rei transferendum in emptorem: & contrà emptor teneatur nummos facere venditoris; quæ lex conſtituit, ut facilitati commercii provideret; neceſſe fuit emptoris etiam ſecuritati conſulere obligando venditorem de evictione, ut emptori habere liceret rem emptam *l. ex empto 11. §. & in primis 2. ff. de act. empt.* Eſſet enim contra bonam fidem emptorem rem amittere, & venditorem pretium retinere *d. l. ex empto 11. §. ult. verſ. neque enim ff. eod.* imò etiam contra naturalem æquitatem *l. nam hoc naturâ 14. ff. de cond. indeb. l. jure naturæ 206. ff. de R. J.* Quocircà non valet conventio, ſi actum ſit inter emptorem & venditorem, ut venditor de evictione non teneatur *d. §. ult.* In hoc venditori proficit pactum, ut ſolum pretium reſtituere teneatur, non etiam id, quod intereſt, ſi ignoraverit rem ſuam non eſſe, & hoc tribuitur bonæ fidei venditoris *d. §. in fin.* Cæterùm ad pretium reſtituendum ſemper tenetur, etiam ſi apertè convenerit, ne teneatur. Ac miror pleroſque interpretes contrarium defendere. Tàm falſum id eſt, quàm ſolem non lucere. Id perſpicuè demonſtrant tùm verba, tùm ratio, quam affert Julianus. Verba ſunt: *idem eſſe dicendum, ſi apertè in venditione comprehendatur, & nihil evictionis nomine præſtitum iri.* Qui apertè cavet, ſe nihil evictionis nomine præſtare velle, utique apertè cavet, ſe nolle pretium reſtituere. Quid enim re evictâ præſtandum eſt à venditore? pretium & utilitas: pretium principaliter, ac ſemper: utilitas nec principaliter, nec ſemper: plerùmque enim recepto pretio nihil intereſt emptoris rem evictam fuiſſe. Verbum igitur *nihil* non poteſt non utrumque comprehendere: & ſi aliquid poſſet excludi, potiùs utilitas, quàm pretium excludi deberet. Sed cùm duo ſolùm continentur, abſurdiſſimum eſt dicere, eum, qui nihil vult præſtare, non excludere utrumque. Eſt hoc vim inferre verbo: imò pervertere omninò ejus ſignificationem. Præterquàm quòd, cùm Julianus ait, apertè venditorem comprehendiſſe nihil evictionis nomine præſtitum iri: manifeſtè comprehendit etiam eum caſum, quo venditor dixerit expreſſim, ſe nolle teneri nec ad pretium, nec ad id quod intereſt emptoris ultrà pretium: hîc enim verè dicitur apertè utrumque comprehendere *l. ſi ſcripſiſſet 46. in fin. ff. de legat. 2.*

Id ipſum ratio confirmat evidenter. Ait 18 Julianus. *Neque enim bonæ fidei contractus hanc patitur conventionem, ut emptor rem amitteret, & venditor pretium retineret.*

Numquid

Numquid minùs læditur emptor, ac lucratur venditor pretium non reſtituens, ſi expreſſim caverit de pretio non reſtituendo, quàm ſi convenerit nihil præſtitum iri? Numquid hoc magis contrarium bonæ fidei contractûs, & juri naturæ, quæ dictant neminem debere cum alterius jacturâ locupletari *d. l. jure naturæ, & l. nam hoc natura.* Hui! quàm ſunt iſthæc ridicula! Ampliùs dico: magis impugnat bonam fidem contractûs & jus naturæ, qui expreſſim declarat ſe nolle teneri ad reſtituendum pretium, quàm qui id non exprimit: & conſequenter illa conventio potiùs, quàm hæc inutilis eſſe debet: maximè quia nonnumquàm voluntas expreſſa vitiat, licèt non expreſſa non vitiet *l. nonnumquàm* 52. *ff. de cond. & dem.* Confer. *l. Senatus* 43. *§. penult. ff. de leg.* 1. *cum l. fideicommiſſa* 11. *§. ſic fideicommiſſum* 5. *& §. ſeq. ff. de leg.* 3. *& cum l. Thais* 41. *§. ſorore* 4. *ff. de fideic. libert.* ſed ne ab emptione diſcedamus: ſi venditor dixerit nolle dominium rei venditæ ad emptorem transferri, facit irritam emptionem *l. cum manu ſata* 80. *§. ult. ff. de contr. empt.* cùm tamen non teneatur venditor dominium transferre; & non minùs valeat emptio, ſi non transferat, quàm ſi transferat. *l. ex empto* 11. *§.* 2. *ff. de act. empt.* Atque hæc auctarii loco: nam cùm evidens ſit, non minùs opponi bonæ fidei contractûs pactum, in quo exprimitur, ne pretium reſtituatur, quàm pactum, in quo id non exprimitur: evidens quoque eſt, ad impediendam reſtitutionem pretii neutrum valere poſſe, utrumque enim à jure communi æquè remotum eſt, cùm idem omninò contineat, ac propterea valere non poteſt *l.* 7. *§. & generaliter* 16. *de pact.*

19 Ad alia procedamus. In ſocietate ſi actum ſit, ut cùm quis plus conferat, æqualem, aut minorem partem habeat, non valet, quod actum eſt; & prævalet natura ſocietatis, quæ partes æquas deſiderat *§.* 1. *inſt. tit. de ſociet. l. ſi non fuerint* 29. *ff. pro ſoc.* æquas ſcilicèt proportione ejus, quod quiſque contulit in ſocietatem *l. in propoſitâ* 78. *cum duab. ſeqq. ff. eod.* proportio enim geometrica ſervanda eſt inter ſocios, quæ ſit analoga rebus collatis in ſocietatem: ut, qui plus confert, plus accipiat, ut ait Ariſt. 3. *Polit.* 6. Itaque ſi placuerit, ut unus tres partes habeat, alius unam, qui non minus contulit, placitum non valet *l. ſi non fuerint* 29. *in princ. & §.* 1. *ff. eod.* Item ſi conveniat, ne omninò diviſio fiat, pactum non valet *l. in hoc judicium* 14. *§. ſi conveniat ff. commun. divid. l. nulla* 70. *ff. pro ſoc.* quia hæc eſt natura ſocietatis, ut nemo invitus in communione poſſit retineri *l. ult. C. comm. divid.* parere enim diſcordias ſolet materia communionis *l. cùm pater* 77. *§. dulciſſimis* 20. *ff. de leg.* 2. ſocietas autem jus quodammodò fraternitatis in ſe habet *l. verum* 63. *in princ. ff. pro ſoc.* Item ſi convenerit, ut alter ex ſociis damnum tantummodò, nullam verò partem lucri ferat. Hæc autem conventio non ipſa ſolùm eſt irrita, ſed vitiat ac tollit ipſam ſocietatem, quia iniquiſſima eſt *d. l. ſi non fuerint §. ult.*

In pignore. Si convenerit, ne pignus diſtrahatur à creditore, conventio abſolutè non valet, & prævalet natura pignoris, quod datur ad ſecuritatem creditoris *§. creditor* 4. *inſt. quib. mod. re contr. oblig.* quam non conſequeretur, ſi ei non liceret pignus vendere. Itaque de naturâ hujus contractûs eſt, ut pignus diſtrahere poſſit creditor, ſi ei pecunia non ſolvatur. *l. ſi ceſſante* 7. *l. quæ ſpecialiter* 9. *l. ſi in hoc* 14. *de diſtr. pign. l. ſi convenit* 4. *ff. de pignor. act.* Pactum igitur de non diſtrahendo repugnat naturæ pignoris: ſed hæc potior eſt: nam & non obſtante poteſt creditor pignus vendere *d. l. ſi convenit* 4. Requirit quidem Ulpianus præcedentem trinam denunciationem; ſed hæc eo tempore neceſſaria erat etiam pignore ſimpliciter contracto. Paul. *lib.* 2. *rec. ſent. tit.* 5. *§.* 1. *Creditor ſi ſimpliciter ſibi pignus depoſitum diſtrahere velit, ter antè denunciare debitori ſuo debet, ut pignus luat, ne à ſe diſtrahatur.* & *tit.* 13. *§.* 5. Pactum igitur de non diſtrahendo nihil adjicit contractui perindè ac ſi non fuiſſet adjectum. 20

In uſufructu. Si *quis uſumfructum loci leget ità, ne hæres cogatur viam præſtare, inutiliter hoc adjectum videtur. Item ſi uſufructu* 21

legato iter ademptum ſit, inutilis eſt ademtio, quia ſemper ſequitur uſumfructum l. 1. §. 1. *ff. ſi uſusfr. pet.* ſemper ſequitur &c. eſt ergò de naturâ uſusfructûs, quia licèt ſit quid extrinſecum, tamen ſine eo uti frui non poſſumus. Si autem quis legaverit uſumfructum deducto uſu, non eſt inutilis adjectio, ſed totum legatum *l. per ſervum* 14. §. 1. *verſ. denique ff. de uſu & habit.* Quid ità? Quia hoc eſt contra ſubſtantiam uſusfructûs, qui eſt jus utendi, fruendi *l.* 1. *ff. de uſufr. princ. tit. inſt. eod.* itaque detracto uſu, non eſt ampliùs uſusfructus, & collabente re legatâ, non poteſt legatum ſubſiſtere.

22 Jam ordo rerum propoſitarum poſtulat, ut videamus, quando corruat tota diſpoſitio, aut in aliam convertatur, ſi quid contra ejus naturam actum fuerit. Primum exemplum & quidem omninò ſingulare occurrit in emptione & venditione. Venditor non tenetur transferre dominium rei venditæ in emptorem, & non eo minùs valet emptio non tranſlato dominio *l. ex empto* 11. §. 2. *ff. de act. empt. l. ſi ità* 25. §. 1. *ff. de contr. empt.* & tamen ſi actum fuerit, ne dominium ad emptorem tranſeat, nulla eſt venditio, & in locationem, vel aliud genus contractus transformatur *l. cum manu ſata* 80. §. *ult. ff. eod.* Ratio eſt, quia cùm etiam res aliena vendi poſſit *l. rem alienam* 28. *ff. eod.* & traditione rei alienæ dominium non transferatur *l. traditio* 20. *in princ. ff. de acquir. rer. domin. l. ſi noxale* 27. *in fin. verſ. quia nullum ff. de noxal. act.* §. *per traditionem* 40. *inſt. de rer. diviſ.* quamobrem ſi rem alienam diſtrahat venditor, licèt valeat venditio, tamen dominium non transfert. Sed ſi rem ſuam vendat, cujus utique dominus eſt, omninò dominium transfert, nec poteſt impedire, ne dominium tranſeat in emptorem, cùm emptio & venditio ſit titulus idoneus ad dominium transferendum, quo poſito per traditionem jure naturali transfertur *d.* §. *per traditionem* 40. *l. numquàm nuda* 31. *ff. de acquir. rer. dom.* Eſt igitur contra naturam emptionis id agere, ut dominium non transferatur.

23 Alterum in ſocietate. Si convenerit inter ſocios, ut de lucro participet, qui nihil contulit in ſocietatem nec pecuniam, nec operam, non valet *l. ſi non fuerint* 29. *in princ. & in* §. 1. *ff. pro ſoc.* nam donationis causâ contracta ſocietas nulla eſt *l.* 5. *in fine ff. eod. l. in cauſa* 16. §. 1. *ff. de minor.* Eſt hoc commune emptioni *l. ſi quis donationis* 38. *ff. de contr. empt.* & locationi *l. ſicut emptio* 20. §. 1. *l. ſi quis conduxerit* 46. *ff. locat.* Sed in his mirum non eſt, irritum fieri. Nam ſine pretio nulla eſt emptio *l.* 2. §. 1. *ff. de contr. empt.* §. 1. *inſt. tit. eod.* & pretium pertinet ad ſubſtantiam emptionis *l. pacta convent a* 72. *ff. eod.* Item locatio nulla eſt mercede non conſtitutâ *princ. tit. inſtit. de locat. & cond. l. ſi vir uxori* 52. *in princ. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Haud aliter tamen ſocietas quoque nulla contrahi poteſt donationis causâ: nam donatio ex adverſo opponitur ſocietati. Societas negotiationis & lucri causâ coïtur: contrà donatio damno ſemper adjuncta eſt. Qui donat, perdit *l. filiusfam.* 7. *in princ. ff. de donat.* Perdere autem, & lucri facere ſunt omninò pugnantia; adeòque nec ſocietas nec donatio valere poteſt *l. ubi pugnantia* 188. *ff. de R. J.* Enimverò Doctores cum gloſſâ contractum jure donationis valere pro certo habent: ego tamen ſum incertus ſententiæ. Movet me Ulpianus, qui in *l. in cauſa* 16. §. *item relatum ff. de minor.* ait, quòd ſi minor circumſcriptus donationis causâ ſocietatem coïerit, ceſſant partes Prætoris, quia nulla eſt ſocietas, quemadmodùm nulla eſt inter majores, & minor ſatis ipſo jure munitus eſt. Sed ſi valeret jure donationis, non eſſet ipſo jure munitus, nec ceſſarent partes Prætoris, qui deberet ipſi auxilio reſtitutionis opitulari *l.* 2. *C. ſi adverſ. donat.* Idem Ulp. in *l.* 24 *cùm hic ſtatus* 32. §. *ſi inter* 24. *ff. de donat. int. vir. & uxor.* ait, quòd ſocietas donationis causâ inter virum & uxorem contracta nulla eſt, nec Senatusconſulto per mortem donatoris confirmatur, ut reliquæ donationes. Ibi: *nec poſt decretum Senatûs emolumentum ea liberalitas, ut actio pro ſocio conſtituatur, habere poterit.* Ante Senatuſc. factum & orationem habitam ab Antonino Au-

Digitized by Google

guſto in Senatû, poterat hæres eripere res donatas donatario: Prohibuit id Senatus, ſi donator in eâ voluntate perſeveraſſet uſque ad extremum vitæ ſpiritum *l. cùm hic ſtatus 32. in princ. & in §. ait oratio ff. eod.* Et hoc eſt emolumentum, quod liberalitas conjugum conſequi non poteſt. Non transformatur igitur ſocietas in donationem. Nec obſtant illa verba: *quæ tamen in commune tenuerunt præſtituto fine, revocanda non ſunt*: ea enim nihil aliud ſignificant, quàm ſi uterque contulerit partes inæquales, & finis præſtituatur: hoc eſt, præſtituatur modus inter partes, ut redigatur ad æqualitatem cum lucro & damno; præſtituto hujuſmodi modo, non ſunt revocanda, quæ in commune tenuerunt. Finis ſæpè modum ſignificat, quem excedere non debemus in definiendâ legitimâ ac debitâ quantitate: terminum, ultrà quem progrediendum non eſt, ut in *l. 1. §. pacto ff. de pignor. l. 4, §. 1. ff. de naut. fænor. l. Firmio 26. in princ. ff. quando dies leg. ced.* Qui plura volet exempla, ſunt apud Duarenum, qui *lib. 1. diſp. cap. 12.* omnia ferè collegit. Cic. *pro Quinctio. Certos mihi fines terminoſque conſtituam, extra quos egredi non poſſis.* & 1. *de Offic. Finem & modum tranſeunt appetitus.* & *ad Q. Fratr. ep. 1. Eos, quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipſa Reſp. dumtaxat finibus his præſtabis, quos antè præſcripſi.* & pro *M. Marcel. in princ. Tantùm in ſummâ poteſtate rerum omnium modum tacitus prætertre non poſſum.* Horat.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Quocircà præſtituere finem ſocietati, nihil aliud ſignificat, quàm præſcribere, definire modum, intra quem contineatur ſocietas, & extra quem non egrediatur, eamque redigere ad æqualitatem, quod arbitrio boni viri fieri ſolet. *l. ſi ſocietatem 6. l. ſocietatem 76. cum 4. ſeqq. ff. pro ſoc.* Igitur præſtituto fine & conſtitutis æquis partibus non ſunt revocanda, quæ in commune tenuerunt. Licèt enim ab initio ſocietas non valeret, tamen ad legitimum modum redacta, redintegratur novo conſenſu, perindè ac ſi ab initio legitimè contracta fuiſſet; retrotrahitur enim confirmatio ad tempus celebratæ donationis *l. donationes quæ 25. C. de donat. int. vir. & uxor.* Illud etiam me movet, 25
quòd ſi pactum haberet vim convertendi ſocietatem in donationem, poſſet obtentu donationis ſuſtineri etiam ſocietas, in quâ alter lucrum, alter damnum tantummodò ſentit, quam iniquiſſimam dicit Ulpianus in *l. ſi non fuerint in fin. ff. pro ſoc.* Quid enim prohibet, quin ille, qui nullum lucrum ad ſe pertinere pactus eſt, voluerit ſuam partem lucri alteri ſocio dare? Multò magis defendi poſſet altera ſocietas, de quâ in *d. l. ſi non fuerint §. 1.* in quâ ad alterum tantùm pertinet damnum, & pars lucri: ad alterum pars reliqua lucri ſine ullâ parte damni, etiamſi æquas partes contuliſſet: donationem enim poſſet obtendere, qui nullum damnum ſentit; quaſi donare voluerit ſocio id, quod damni paſſurus fuiſſet. Porrò vix poteſt ſocietas donationis cauſâ contrahi ſine fraude ac ſimulatione: utraque autem maximè adverſatur ſocietati, quæ jus quodammodò fraternitatis in ſe habet. *l. verum 63. in princ. ff. pro ſoc.*

At enim, inquies, emptio & locatio in 26
donationem transformantur, ut paulò antè dicebamus ex *l. empti 9. C. de contr. empt. l. ſi quis conduxerit 46. ff. locat.* Quidni igitur & ſocietas? Cauſam ibi indicavimus; modò luculentiùs explicabimus. Socii id agunt, ut lucrentur: hûc tendit ſocietas, ejuſque natura & inſtitutum: donator contra id agit, ut perdat *l. filiusfam. 7. ff. de donat.* pugnant hæc inter ſe, copulari non poſſunt, multò minùs alterum in alterum transformari: nimio plus diſſidet forma ſocietatis à formâ donationis, quàm ut poſſit altera in alteram converti. Non ità res habet in venditione & locatione. Venditor id agit, ut re ſuâ ſe privet, eamque in alium transferat pro certo pretio: locator ut ſe privet uſu rei ſuæ, eumque transferat in conductorem pro certâ mercede. Haud aliter emptor & conductor id agunt, ut ſe privent pecuniâ, in quâ conſiſtit pretium, ac merces, quam ſe daturos convenerunt, ut rem emptam acquirerent,

vel ejus uſum. Si venditor aut locator pretium aut mercedem nolint accipere, volunt emptori & conductori donare, de emptione & locatione fit donatio, quia ſine certo pretio certâque mercede venditio & locatio non contrahuntur *l. 1. ff. de contrah. empt. princ. tit. inſt. de locat.* Non eò tamen minus & illi transferunt rem & uſum in hos; & hi rem & uſum conſequuntur, ut volebant & intendebant. Ampliùs, aut venditor emptori ad ſolvendum parato remittit ſolvendi neceſſitatem, & ipſi pretium donat, & tunc ſubſiſtit emptio; ſicut ſubſiſteret ſocietas, ſi in diviſione unus ex ſociis ſuam partem lucri alteri donaret: quia initium ſpectandum eſt. *l. ſi procuratorem 8. in princ. ff. mand. l. 2. §. idem Pomponius 15. ff. depoſ.* Aut venditor & locator dicis gratiâ aliquid pro pretio ac mercede accipiunt, ut in *l. ſi quis conduxerit 46. ff. loc.* tunc contractus eſt valdè ſimilis emptioni aut locationi, re enim non differt, niſi quòd id, quod loco pretii aut mercedis datur, non æquat mercedem aut pretium, & ideò potiùs donatur, quàm ſolvitur ad penſandam rem vel uſum; & eſt quodammodò mutua donatio: locator donat uſum rei, conductor nummum *d. l. ſi quis 46.* Certè Verres hâc excuſatione ſe tuebatur. Cic. *lib.* 4. in Verr. *Attamen ut poſſit ſe dicere emiſſe, Artagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis cauſâ daret: invenit Artagathus paucos, qui vellent accipere; his dedit: eos nummos tamen iſte Artagatho non reddidit.* Videtis, quàm proximè accedat ad emptionem iſte contractus: ſi aliquantò plus daretur, idque non dicis cauſa, ſed pretii eſſet vera emptio: quia non ut pretium rei emptæ, ſed dicis cauſâ datur, evadit in donationem. Pretium quantùmvis exiguum non facit irritam venditionem. Argumento eſt, quòd etiam ſi multò minùs fuerit dimidio juſti pretii, tamen reſcindenda eſt venditio, ut ab eâ recedi poſſit; & ſi emptor ſuppleat, quod deeſt juſto pretio, rem retineat, nec infirmatur venditio *l. 2. C. de reſcind. vend.* Tunc autem ſolùm tranſit in donationem, cùm id, quod datur ex conventione, eſt adeò tenue, ut vicem pretii gerere non poſſit *d. l. ſi quis 46. ff. loc.* Verùmtamen nihil hâc de re certi ſtatuo: ſolùm hæc doctioribus expendenda propono. Hoc tantùm addo, no- 27
vum non eſſe, ut quod adjicitur contractui vel alicui actui, vitiet contractum, vitiet actum, ſi adverſetur fini & cauſæ, ob quam actus ille fuit inſtitutus. Do exemplum in ipſâ ſocietate. Matrimonium eſt quædam ſocietas individua inter marem & fœminam. *Nuptiæ ſunt conjunctio maris & fœminæ, & conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio:* ait Modeſtinus in *l. 1. ff. de ritu nupt.* Hæc ſocietas liberorum procreandorum cauſâ fuit inſtituta *l. liberorum 220. §. ult. ff. de V. S.* D. Auguſtin. *de bono conjug. cap. 17. Nuptiæ eædem ſunt in omnibus gentibus procreandorum filiorum cauſâ inſtitutæ.* Videndus Ulpianus in *fragm. tit. 3. §. 3. & l. ſi vicinis 9. C. de Nupt.* Ac ſi quid contra hunc finem, contra hanc cauſam nuptiarum tabulis fuerit comprehenſum, veluti: *contraho tecum, ſi generationem prolis evites:* nullum eſt matrimonium *c. ult. de cond. oppoſ.* D. Auguſtin. *in can. aliquando 32. quæſt. 2. Qui contrahunt eo animo ut vel filios non ſuſcipiant, vel ſuſceptos enecent, non habent connubium.* Ecce aliud exemplum petitum ab ultimis voluntatibus. Legatum honorandi legatarii cauſâ relinquitur; eſt enim honos legatum & ad honorandos amicos legatur. *l. 3. §. hoc autem ff. de legat. præſt.* Ibi: *cui honos habitus ſit. l. ſed etſi ſuſcepit 52. §. ſed etſi proponas ff. de judic. l. amiciſſimos 36. in princ.* Ibi: *honore legati ff. de excuſ. tut. l. un. §. ne autem.* Ibi: *honorata perſona C. de caduc. toll.* Idcircò non valet legatum denotandi legatarii cauſâ cum opprobrio & contumeliâ relictum *l. turpia 54. ff. de leg. 1. l. Divus Severus ff. de adim. leg.* ſicut etiam non valet hæredis inſtitutio *l. quoties 9. §. ſi quis nomen 8. ff. de hered. inſt.* Simile eſt aliud exemplum in legato pœnæ nomine relicto, quod ante Juſtinianum non valebat, adeò ut nec in teſtamento militis valeret, nec legatum libertatis, nec relictum Principi ſuſtineretur *l. 1. ff. de his quæ pœn. cauſ. §. ult. inſt. tit. de legat.* non aliâ ratione, quàm

quòd legata relinquuntur ob meritum *l. nec adjecit 9. ff. pro ſoc.*

28 Jam verò eò, undè digreſſi ſumus, redeamus. De accidentibus nulla eſt controverſia. Quæcumque ſpectant accidentia, rectè adjiciuntur: pacta enim dant legem contractibus *l. contractus 23. ff. de reg. jur.* & omninò ſunt ſervanda *l. 1. in princ. ff. de pact. l. 1. ff. de conſt. pecun.* dum ne ſint contra bonos mores aut contra leges *l. 7. §. dolo cum mult. ſeqq. ff. de pact. l. nemo 55. ff. de leg. 1.*

29 Videndum modò ſupereſt, an propoſita regula pleriſque aliis ſit præferenda. Ecce certiſſima eſt regula, quòd à proprietate verborum non eſt recedendum *l. non aliter ff. de legat. 3.* de quâ aliàs copioſè diximus. Concurrunt aliquando hæ duæ regulæ. Porrò in *l. ex conducto 16. §. ſi uno 4. verſ. ſed etſi verbo ff. locat.* prævalet natura actûs, & verbum donationis pro tranſactione accipimus. Prævalet etiam in *l. ubi ità donatur 27. ff. de mort. cauſ. donat.* Cæterùm ſi proprietati verborum adjungatur etiam, quòd actus futurus ſit inutilis, cedit natura actûs, ut in *l. ſi tibi pecuniam 20. ff. de reb. cred.*

30 Rurſus prævalet hæc regula interpretandi verba ſecundùm naturam actûs, alteri regulæ, quòd verba generalia generaliter ſunt intelligenda, traditæ in *l. 1. §. generaliter ff. de legat. præſt.* quam regulam ſuprà luculenter expoſuimus. Optimum exemplum in *l. damni infect. 43. in princ. ff. de damn. infect.* In ſtipulatione damni infecti dictum erat: ſi quid ibi ruet. Sunt hæc verba generalia. Nihilominùs ait Alfenus, quòd non videtur ibi ruere, ſi quid vento, aut omninò aliquâ extrinſecâ cauſâ caderet: ſed quòd ipſum per ſe concideret. Nimirùm reſtringit generalem ſignificationem verborum natura ſtipulationis de damno infecto: quia dominus rei ruinam minitantis non tenetur cavere, niſi de damno, quod acciderit vitio operis vel facti vel faciendi. Aliud in *l. ſi cui ſimpliciter 9. ff. de ſervit.* Ratio habetur in *l. 4. in princ. verſ. quia non eſt veriſimile ff. de uſur.*

31 Altera regula eſt, verba obſcura contra locatorem, venditorem, eumque qui obſcurè dixit, cùm poſſet apertiùs dicere, interpretanda *l. veteribus ff. de pact. l. Labeo ff. de contr. empt.* Huic quoque prævalet hæc, eaque potior eſt: conſtat id ex *l. in lege 29. ff. locat.* quam aliàs expoſuimus: Multò magis prævalet alteri regulæ, quòd ſemper in obſcuris id, quod minimum eſt, ſequimur *l. ſemper in obſcuris ff. de R. J.* Nam hæc regula omnium poſtrema eſt, ut alibi probavimus, & eam latè explanavimus.

Hæc paulò diligentiùs enucleanda duximus, quia ſæpè concurrunt plures regulæ, inter quas pugna eſt, & quam ſequamur, ignoramus: quia noſtri hâc de re ne mutiunt quidem.

CAPUT XIII.

Ad L. 2. ff. de his, quæ pro non ſcript. hab. & l. ſi fuerit 10. ff. de reb. dub.

SUMMARIUM.

1 *Obſcuritas vel circa perſonam, vel circa rem eſſe poteſt.*
2 *Si perſona non demonſtretur, inutilis eſt diſpoſitio. Exempla.*
3 *Singularis appellatio plerùmque ad plures perſonas extenditur.*
4 *Non tamen in dandâ hæreditate, vel legato.*
5 *Ne quidem favore libertatis.*
6 *Valet inſtitutio vel legatum, ſi manifeſtè appareat, de quâ perſonâ ſenſerit teſtator.*
7 *Niſi apertiſſimè conſtet, de quâ perſonâ ſenſerit teſtator, non valet diſpoſitio, nec attenditur regula, quòd in dubiis agendum, ut actus potiùs valeat quàm pereat.*
8 *Diſpoſitio incerta valet, quando certa ſit ex legis interpretatione.*
9 *Vel cùm electio alicui tribuitur à lege, vel à diſponente.*
10 *Duobus de legato contendentibus is admittendus, qui probaverit de ſe ſenſiſſe teſtatorem.*
11 *Ademptio uni ex duobus legatariis facta, ſi non appareat, cui facta ſit, nemini facta cenſetur.* Conciliatur *L. 3. § ſi duobus ff. de adim. leg.* cum *L. ſi fuerit 10. verſ. ſed etſi ff. de reb. dub. & n. 12. 13.*
12 *Hæredis nomen comprehendit omnes hæredum gradus, & omnes hæredes ſi plures ſint; & n. 13.*
14 *Expenditur interpretatio* van Bynkershoek; *& n. 15.*

Digitized by Google

1 QUæ *in teſtamento ſcripta eſſent; neque intelligeretur, quid ſignificarent, ea perindè ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent.* Obſcuritas cujuſlibet diſpoſitionis, aut pendet à verbis, quæ nullo idoneo ſenſu proferuntur: aut ab adjunctis, quæ ſenſum mentis involvunt & implicant, aut à prætermiſſione eorum, quæ neceſſaria ſunt ad demonſtrandam perſonam aut rem, quam deſignare debemus.

2 Quod ad perſonam, cui aliquid relinquitur, attinet: ſi ea non demonſtratur, inutilis eſt diſpoſitio. In *l. quoties* 9. §. *hæres* 9. *ff. de hæred. inſt. Hæres inſtitui, niſi ut certò demonſtretur, nemo poteſt.* In *l. in tempus* 62. §. 1. *ff. eod. Quoties non apparet, quis hæres inſtitutus ſit, inſtitutio non valet: quippe evenire poteſt, ſi teſtator complures amicos eodem nomine habeat, & ad deſignationem nominis ſingulari nomine utatur; niſi ex aliis apertiſſimis probationibus fuerit revelatum, pro*
3 *quâ perſonâ teſtator ſenſerit.* Obſerva, quòd licèt ſermo ſingularis aliquando etiam plures comprehendat, ut in edicto Prætoris in *l.* 1. §. *quamquam ff. de aſſign. libert. l.* 1. §. *item hoc ff. quod falſo tut.* in L. XII. tab. §. *ſi plures inſt. tit. de legit. agnat. ſucceſ.* in teſtamentis etiam ſingulari hæredis nomine omnes continentur *l. ſi ità relictum* 43. *in princ. & l. ſeq. in princ. ff. de leg.* 2. *l. ſi plures* 98.
4 *ff. de leg.* 3. quocircà Caſcellius aiebat *in uſu juris frequenter uti nos ſingulari appellatione, cùm plura generis ejuſdem ſignificare vellemus. l. in uſu* 158. *ff. de V. S.* tamen cùm agitur de dandâ hæreditate vel legato, ſingularis appellatio ad plures perſonas non extenditur. *l. qui plures* 18. *ff. de uſufr. leg. l. ſi fuerit* 10. *in princ. verſ. ſed etſi ff. de reb. dub. l.* 3. §. *ſi duobus verſ. quemadmodùm ff. de adim. leg.* Idem & in dando tutore *l. duo*
5 *ſunt Titii* 30. *ff. de teſt. tut.* Hoc ampliùs ne favore quidem libertatis ad plures extenditur *d. l. ſi fuerit* 10. *& l. ſi quis de pluribus* 27. *ff. de reb. dub.* Eo fit, ut ſi quis ſolvendo non eſt, cui lege Æliâ Sentiâ permittebatur unum ex ſuis ſervis liberum & hæredem facere §. 1. *inſt. tit. quib. ex cauſ. man. non lic.* duos ſervos ſimul hæredes inſtituerit, hoc modo: *duos Appollonios liberos hæredeſque eſſe jubeo*: neuter ſit hæres ac liber. *l. qui ſolvendo* 41. *ff. de hæred. inſtit.* Uterque enim liber eſſe non poteſt propter legem Æliam Sentiam. Si duos inſtituiſſet ſeparatim, is, qui primo loco ſcriptus eſſet, & liber & hæres eſſet *l. qui ſolvendo* 60. *ff. de hæred. inſtit.* Cùm duos ſimul ſcripſerit, non poteſt conſtare, uter eorum liber eſſe debeat, niſi alter ex illis ante apertas tabulas moriatur: & ideò ſibi invicem obſtant *d. l. qui ſolvendo* 41. *cum l. ſeq.* Harum legum auctoritate olim defendi, valere donationem omnium bonorum præſentium & futurorum. Quamvis enim non repugnarem communi opinioni, donationem omnium bonorum inutilem eſſe; tamen dicebam, valere hanc donationem in bonis præſentibus, quæ primo loco nominata ſunt ſeparatim à futuris: nihil enim impedit valere donationem bonorum præſentium, cùm donator de futuris teſtari queat. Maximè verò quia tot ſunt ſtipulationes, quot res in ſtipulationem deductæ. *l. ſcire debemus* 29. *in princ. ff. de V. O.* §. *quoties* 17. *inſt. de inutil. ſtipul.* Sed hæc obiter & quaſi per transennam.

Illud præterea notandum, quòd quam- 6
vis ſuſtineatur inſtitutio & legatum, ſi conſtet de quo ſenſerit teſtator, ut in ſuperioribus legibus; tamen id revelari debet apertiſſimis probationibus; hâc *l. in tempus* 62. §. 1. Ibi: *niſi apertiſſimis probationibus fuerit revelatum, pro quâ perſonâ teſtator ſenſerit.*

Illud majori conſideratione dignum, quòd 7
licèt certiſſima ſit in jure noſtro regula: ſemper in dubiis id agendum, ut tutiſſimo loco res ſit: ut potiùs valeat actus quàm pereat *l. quoties* 12. *l. ubi eſt* 21. *ff. de reb. dub. l. ſi quando* 109. *ff. de leg.* 1.. Tamen in hâc ſpecie verba aliorſùm interpretamur: inutilem dicimus eſſe inſtitutionem, legatum, tutoris dationem, niſi apertiſſimè conſtet, de quâ perſonâ teſtator ſenſerit: nec ea lex interpretatur ad hanc regulam. Et hoc generale eſt tàm in inſtitutionibus quàm in legatis, & datione tutoris, ut paulò antè dixi. Imò & in ipſo libertatis legato *l. ſi fuerit* 10. *verſ.*

Item ſi ex pluribus & l. ſi quis de pluribus 27. *ff. de reb. dub.* Undè intelligere debemus, hoc idem in cauſâ piâ eſſe ſervandum. Quamvis enim valeat inſtitutio pauperum vel captivorum *c.* 1. *de teſtam. in 6to. l. ſi quis ad declinandam* 49. *C. de Epiſc. & cleric.* tamen aut quis inſtituit unum ex pauperibus, perſonâ non demonſtratâ, & tunc non valet inſtitutio, cùm non conſtet de perſonâ hæredis; aut inſtituit certam hominum collectionem & univerſum genus, ut in *d. l. ſi quis ad declinandam per tot.* & tunc valet inſtitutio: quia ſi ipſe teſtator non elegerit, fit certum legis interpretatione, ut ex laudatâ lege apparet: & ſi reliqua omnia defecerint, electio ab ipſâ lege tribuitur Epiſcopo *l. id quod pauperibus* 4. *& l. nulli* 28. *C. eod.* Eâdem ratione, quâ & collegio licito ac permiſſo legare licet, vel civibus ſuis *l.* 2. *& l. cùm ſenatus* 20. *ff. de reb. dub. l. penult.* §. *civibus meis* 8. *ff. de leg.* 2. item cognationi, vel cognatis *l. ſi cognatis* 19. *ff. eod.* Videndæ *ll. ſi quid relictum* 116. *& civitatibus* 122. *ff. de legat.* 1.

8 Planè poſtulat hic locus, ut opportunè admoneamus, quòd incerta diſpoſitio valet, quotieſcumque aut legis interpretatione certa fit, aut per electionem alicui, vel à lege, vel à teſtatore conceſſam. Legis interpretatione certa fit, quoties agitur de morte perſonæ, quæ fuerit incerta, uter prior deceſſerit, aut poſtremus. Si duo ſimul perierint, nec appareat quis prior, quiſve poſterior deceſſerit, lex ſecundùm ætatem, ſexum, aliaſve ejuſmodi qualitates decernere ſolet & interpretari, quis priùs, poſteriùſve deceſſerit. Varia occurrunt exempla in titulo *ff. de reb. dub.* Qui duos filios impuberes habebat, ei, qui ſupremus moreretur, Titium ſubſtituit: ambo ſimul in navi perierunt. Quoniam uterque impubes erat, utrumque ſimul mortuum fuiſſe lex admittit, & utrumque poſtremum primumque obiiſſe. Eò fit, ut neutri Titius ſubſtitutus eſſe videatur. Tamen quia utriuſque hæreditatem habiturus eſſet Titius, etiamſi ordine alter prior, alter poſterior vitâ deceſſiſſent, & incertitudo non ab ipſo teſtatore, ſed ab inſolito mortis caſu provenit, idcircò Tryphoninus utrique Titium ſuccedere ex ſubſtitutione reſpondit in *l. qui duos* 9. §. *in princ. ff. de reb. dub.* Idem verò in §. 1. ſubdit, quòd ſi pater & filius ſimul in bello periiſſent, Divum Adrianum credidiſſe patrem priùs mortuum. Contrà ſi libertus cum filio ſimul perierint, propter reverentiam patronatus filium ait priùs periiſſe. Ibi: in §. 2. Mulierem autem ante maritum mortuam credidit. Ibi in §. 3. & in §. *ult.* ſcribit filium puberem poſt patrem: impuberem ante patrem credi obiiſſe. Hæc autem omnia, niſi contrarium probetur. Sed hâc de re videndæ *l. ſi inter* 8. *l. quod de pariter.* 16. *cum duabus ſeqq. l. cum pubere* 22. *& ſeqq. ff. de reb. dub.*

Electio quoque alicui vel à teſtatore, vel à lege commiſſa, efficit certam diſpoſitionem, quæ alioquin eſſet incerta. Quod ad perſonas attinet, lex quidem nemini dat electionem, eamque ſolus habet teſtator, & poteſt in alium transferre. Quocircà ſi teſtator pluribus hæredibus inſtitutis, unum rogaverit, ut, cùm moreretur, partem ſuam uni ex cohæredibus, cui vellet, reſtitueret: utile eſt fideicommiſſum, quia hæredi dedit electionem perſonæ, cui vellet reſtituere, non verò dedit ei arbitrium, an omninò vellit reſtituere, quod ei inutiliter dediſſet. *l. utrum ità* 7. §. 1. *ff. de reb. dub.* ſimilis text. in *l. fideicommiſſaria* 46. §. *ult. ff. de fideicom. libert.* Quoad res autem, iàm teſtator, quàm lex tribuit facultatem eligendi. Teſtator, ut apparet ex toto *tit. ff. de opt. vel elect. leg.* ſi teſtator nihil dixerit, lex ipſa tribuit vel electionem hæredi, vel legatario. Valet enim legatum generis, veluti ſi legetur homo, equus, bos, ſcyphus *l. cùm incertus* 13. *l. legato generaliter* 37. *ff. de legat.* 1. §. *ſi generaliter* 22. *inſtit. tit. de legat.* Atque ut valere poſſit & effectum habere, lex olim dabat jus eligendi pro qualitate legatorum, modò hæredi, ut in *l. ſi quis à filio* 32. §. 1. *l. ſi domus* 72. *in princ. l. hujuſmodi* 84. §. *ſi cui homo* 3. *ff. de legat.* 1. *l. cùm certum* 4. *ff. de trit. vin. & ol. leg.* modò legatario *l. qui duos* 20. *l. ſi ſervus* 108. §. *cùm homo ff. de leg.* 1. *l.* 2. §. 1. *ff. de option. vel elect. leg. l.*

qui hominem 11. *cum ſeq. ff. de adim. leg.* Hodiè verò videtur eſſe legatarii in quocumque legato §. *ſi generaliter* 22. *inſtit. tit. de legat.* quoniam Juſtinianus omnia legata exæquavit, & legatariis tribuit tres actiones §. *ſed olim* 2. *inſt. eod.* & cùm in poteſtate legatarii ſit, quâ actione uti velit, conſequens eſt, ejus quoque eſſe rei legatæ electionem *d. l. ſi ſervus* 108. §. *cum homo.* Utcumque ſit, electio certam reddit diſpoſitionem, quia teſtator illud vult legare, quod eligetur, ideòque valet diſpoſitio *l. qui ex pluribus* 106. *ff. de V. O.* Atque eò certius eſt legatum, quòd electio certis terminis à lege circumſcribitur, cùm nec optimum, nec peſſimum ſit eligendum *l. legato generaliter* 37. *ff. de leg.* 1.

10 Ad perſonas revertamur. Sciendum eſt, quòd ſi duo ejuſdem nominis contendant, & uterque paratus ſit probare, de ſe ſenſiſſe teſtatorem, qui hoc probaverit, admittetur ad legatum *l. falſa* 33. §. 1. *ff. de cond. & dem.* Ac ſi hæres paratus ſit ſolvere, quia ambo parati ſunt cavere, ſe defenſuros hæredem, ſi minùs rectè ſolverit: poteſt hæres eligere, cui velit ſolvere: iſque cavere debet ſe defenſurum haredem adverſus alterum *l. ſi quis ſervum* 8. §. *ſi inter ff. de leg.* 2. Quòd ſi ſolvere nolit, ipſe utrique debet ſatiſdare, ſe ſoluturum ei, qui probaverit *l. ſi duo* 16. *ff. ut leg. nom. cav.*

11 Modò progrediamur ad ademptionem. De ademptione legati inter doctos eſt magna diſſenſio. Ex duobus Ulpiani reſponſis, quæ hâc in re videntur omninò contraria, extitit controverſia. Alterum eſt in *l.* 3. §. *ſi duobus* 7. *ff. de adim. leg. Si duobus Titiis ſeparatim legaverit, & uni ademerit, nec apparet, cui ademptum ſit: utrique legatum debetur: quemadmodùm & in dando ſi non appareat, cui legatum ſit, dicemus neutri legatum.* Rectè ac juris rationi convenientiſſimè. Alterum eſt in *l. ſi fuerit* 10. *in princ. verſ. Sed etſi ff. de reb. dub. Sed etſi duobus hominibus ejuſdem nominis fuerit legatum: putà Semproniis; mox Sempronio ademptum ſit &c. & verius eſt ademptionem in utrumque valere.* Quid hoc rei eſt? An ſibi ipſe contradicit Ulpianus? Temerarium id arbitrari. Haud improbabile puto, quod à quibuſdam obſervatur, in primo reſponſo agere Ulpianum de duobus, quibus ſeparatim legatum erat: ibi: *ſi duobus Titiis ſeparatim legaverit*: in ſecundo agere de legato facto conjunctim: ibi: *putà Semproniis.* Hæc verba indicant conjunctionem, niſi addita fuerit adjectio illa *ſeparatim*, quam non fruſtrà adjicit Ulpianus in primo reſponſo, & cautè omittit in ſecundo. Qui legat hoc modo: *Semproniis fundum do, lego*, utique Sempronios conjungit, legat conjunctim: nec ulla major conjunctio poteſt excogitari: quamobrem duo Sempronii pro uno habentur *l. ſi haredi* 5. *ff. de condit. inſtit.* Optimè ad rem noſtram Imperator in *l. unic.* §. *his ità definitis* 10. *verſic. hoc ità tàm variè C. de caduc. toll.* ubi profert, cur aliud in conjunctis, aliud in disjunctis ſtatuerit: *hoc ità tàm variè, quia conjuncti quidem propter unitatem ſermonis, quaſi in unum corpus redacti ſunt.* Hoc etiam tradit idem Ulpianus, auctor legum, quas explicamus; in *l. planè* 34. *in princ. ff. de legat.* 1. Ibi: *at ſi conjuncti disjunctive connexi ſint: connexi unius perſonæ poteſtate funguntur.* His efficitur, eum, qui conjunctim duobus Semproniis legavit, & poſteà Sempronio legatum adimit, utrique Sempronio legatum adimere: quia uterque ſimul unius Sempronii poteſtate fungitur, pro unico habetur, unum corpus conſtituit.

12 Certiſſimo argumento eſt, quod tradit Paulus in *l. ſi plures* 98. *ff. de legat.* 3. *Si plures gradus ſint haredum, & ſcriptum ſit: hares meus dato: ad omnes gradus hic ſermo pertinet, ſicuti hac verba: quiſquis mihi hares erit: itaque ſi quis velit non omnes haredes legatorum præſtatione onerare, ſed aliquos ex his: nominatim damnare debet.* Idem Pomponius in *l. ſi ità relictum* 43. *in princ. & in l. ſeq. in princ. ff. de leg.* 2. *ſi ità relictum fuerit: quantùm hares meus habebit, tantùm Tithaſo dari volo: pro eo eſt, quaſi in eo ſit ſcriptum: quantùm omnes haredes habebunt.* Videbatur potiùs dicendum, quòd Tithaſus habere deberet, quantùm unus ex hæredibus, cui minima pars hæreditatis relicta fuit, juxta regulam traditam in *l. ſemper in obſcuris* 9 *ff.*

de

de R. J. Semper in obſcuris id, quod minimum eſt, ſequimur. l. cùm ſervus 39. §. *Sejo ff. de leg.* 1. *l. nummis* 75. *ff. de legat.* 3. Sed hic ſermo non eſt obſcurus, quia ſingulare nomen hæredis omnes complectitur: tunc autem locus eſſet interpretationi, ſi teſtator dixiſſet: *quantùm unus hæres habebit.* Tunc autem Tithaſo dandum eſſet, quantùm habet ille hæres, cui minimum relictum fuit. *l. qui concubinam* 29. §. 1. *ff. de leg.* 3. In *l. ſi pluribus* 44. *ff. de leg.* 2. *Si pluribus heredibus inſtitutis ità ſcriptum ſit: hæres meus damnas eſto dare aureos quinque: non quilibet hæres, ſed omnes videbuntur damnati, ut unà quinque dent.* Quid ità? Quia nomen hæredis non hunc, aut illum hæredem deſignat, ſed complexum omnium hæredum, qui pro ſingulari perſonâ habentur. Succedunt enim in univerſum jus defuncti *l. hæres in omne* 37. *ff. de acquir. vel omit. hæred.* quamobrem *ejuſdem poteſtatis juriſque eſſe cujus defunctus fuit, conſtat l. hæredem* 59. *ff de R. J.* eumque repræſentare, & in ejus locum ſubſtitui: atque ideò etſi plures ſint, omnis tamen numerus eorum pro ſingulari perſonâ eſt habendus *l. cui fundus* 56. *in fine ff. de cond. & dem.* Etenim univerſitas hæreditatis omnes unâ complexione devincit. Simillimum eſt hoc exemplum
13 ademptioni, de quâ modò tractamus. Nam quod legatur, adimitur hæredi, cui datum erat in ejus inſtitutione, ſiquidem legatum eſt delibatio hæreditatis, quâ teſtator ex eo, quòd univerſum hæredis foret, alicui quid collatum velit *l. legatum* 116. *in princ. ff de leg.* 1. Conjuncti unius perſonæ poteſtate funguntur *l planè* 34. *in princ. ff. eod.* ſicut hæredes, ut modò probavimus. Quod hæredi adimitur, omnibus ademptum cenſetur ex modò laudatis legibus: ergò & legatum, quòd conjuncto adimitur, omnibus ademptum eſſe cenſetur, ut verè & indubitanter reſpondit Ulpianus in noſtrâ *l. ſi fuerit* 10. *ff. de reb. dub.*

14 Cl. Cornelius van Bynkershoek, qui ſingularem juris ſcientiam excellenti doctrinâ & exquiſitâ eruditione cumulavit, unâ tumtaxat interpunctione ſuſtulit omnem difficultatem. Sic enim interpungit: *ademptionem autem in utrumque, valere.* Enimverò reprehendi non poteſt: nihil conjungit; nihil mutat: & ad verum ſenſum traducit: nihil enim verius, quàm valere ademptionem factam in utrumque. Nihil igitur oppono: cùm in Pandectis Florentinis aliiſque, à quibus fortaſſe cæteri codices tranſcripti fuere, nulla uſquàm eſt interpunctio, nulla verborum intercapedo, quocircà doctores pro arbitrio ſuâque intelligentiâ verba diſtinxerunt, & interpunctiones addiderunt: ne hoc ab ipſis amanuenſibus ac librariis factum eſſe dicamus. Admiror igitur Cl. Auctoris acumen ingenii, quo præ cæteris valet. Verùmtamen quominùs cum eo ſentiam, illud in cauſâ eſt, quòd ſecundùm hanc interpretationem Ulpianus ſolveret quæſtionem, quæ nulla eſt: & de re indubitatâ reſponderet. Etenim quæ res eſt, quæ cujuſquam animum dubium facere poſſit: valere ademptionem, quoties teſtator, qui duobus legavit, utrique legatum adimit? Quæſtio in eâ lege proponitur ab Ulpiano: an qui duobus Semproniis legavit, ſi poſteà Sempronio adimat, valeat ademptio. Si utrique Sempronio adimat, valere ademptionem, nec propoſitæ quæſtionis eſt, nec ullam habet dubitationem. Dempta eſt illa lex ex libro ſexto diſputationum Ulpiani. Num Ulpianus adeò inſulſus erat ac bardus, ut hoc in diſceptationem vocaret? Hoc ampliùs: aut voluit decidere, ademptionem in utrumque factam valere: & hoc non quærebatur: aut quòd ademptio non valet, niſi in utrumque facta fuerit: & ineptè ſeparaſſet cauſam ademptionis à cauſâ legatorum; breviùs enim & clariùs omnes quæſtiones ſolvere debuiſſet: *& veriùs eſt in his omnibus etiam legata, & ademptiones & libertates impediri.* Quorſùm ſeparavit ademptionem à legatis? Quorſùm contrarium in eâ reſpondit, ſi idem jus erat, quod in aliis omnibus? An non ineptè diſputaſſet: an, ſi quis cognatis ſuis, qui in capitolium aſcenderint, legatum reliquiſſet: impediatur legatum, ſi duo ſemel aſcenderint; vel, ſi legatum Semproniis ſuis amicis reliquerit, & duo ſint Sempronii æquâ charitate conjuncti: utrique ne an neutri legatum debeatur? Quis

enim tam ineptus, qui hæc diſputanda proponat? Idem omninò & de ademptione dicendum. Ac ſi intelligenda eſt, & ſupplenda vocula *dumtaxat*, cur non iiſdem verbis omnes propoſitas quæſtiones ſolvit. *Verius eſt in his omnibus etiam legata, & libertates, & ademptionem in utrumque valere?* Non minùs enim verum eſt, legata, & libertates dumtaxat valere, ſi in utrumque collatæ fuerint: quàm ademptionem. Neſcio etiam, an aliquis latinæ linguæ aſſertor nimis fortaſſe ſuperſtitioſus dubitaturus ſit, an rectè dicatur: *ademptio in utrumque*: adimitur enim legatum utrique, non in utrumque. Certè illud rectiſſimè dicitur: *ademptionem valere in utrumque.* Cic. pro Cæcin. *Illud verbum, unde, in utramque rem valet*, & *epiſt. lib.* 4. *epiſt.* 10. ad Marcellum: *in omnes partes valere.* Quinctil. inſt. lib. 2. c. 17. *Quare etiamſi in utramque partem valent arma facundiæ, non tamen eſt æquum, id haberi malum, quo bene uti licet.*

15 Nec illud admittere poſſum, quod ait V. Cl. in *l.* 3. adjectam vocem, *ſeparatim*, non quia hoc quicquam conferret ad ſolvendam quæſtionem, ſed quia ut plurimùm ita fieri ſolet. Paſſim enim in jure noſtro tam conjunctim, quàm ſeparatim legata relicta proponuntur: & fortaſſe ſæpius illa occurrunt: eorum enim formula expeditior eſt, & faciliùs in mentem teſtatoris venit; qui plerùmque ignorat, quæ ſit utriuſque legati differentia. Illud etiam minùs verè dici arbitror: in hoc juris articulo nullum eſſe diſcrimen inter conjunctos, atque disjunctos: contrarium enim ſuprà demonſtravi: nec ſolùm in hoc, ſed in aliis etiam juris articulis magnum eſſe diſcrimen conſtat ex *l. un. §. ubi autem cum ſequ. C. de caduc. tollen.* in *l. ſi duobus* 16. *in princ.* in *l. planè* 34. *in princ. ff. de leg.* 1. in *l. ſi pluribus* 33. *ff. eod.* in *l. re conjuncti* 89. *ff. de leg.* 3. in *l. triplici* 142. *ff. de V. S.* in *l.* 1. & *l. penult. ff. de uſufr. accreſc. & alibi.*

CAPUT XIV.

Ad L. ſi domus 71. *in princ. ff. de leg.* 1.

SUMMARIUM.

1 *Legatum rei incertæ de certis valet, rei omninò incertæ non valet.*
2 *Exponitur L. ubi autem* 75. § 1. *ff. de verb. obl.*
3 *Exponitur L. omnia.* 32. §. *ſpecies ff. de leg.* 2.
4 *Exponitur L. legato.* 37. §. 1. *ff. de leg* 1.
5 *Incerta & inutilis eſt ſtipulatio, ſi non appareat quam utilitatem ſtipulanti ſit allatura.*
6 *Incerta eſt inſtitutio, in qua teſtator non adjecerit conditionem, quam deſtinaverat. Item ſi conditio à teſtamentario addita, detracta, vel mutata fuerit.*
7 *Item ſi non appareat, ex quâ parte hæres fuerit inſtitutus.*
8 *Explicatur L. ſi quis ita* 36. *ff. de hæred. inſtit. & n.* 9
10 *Incertum eſt legatum, non exiſtente, cui datum intelligi poſſit.*
11 *Incerta eſt ſtipulatio die per errorem omiſſo.*
12 *Dies adjectus inſtitutioni vel legato, intra quem fieri non poſſit id, de quo convenit, detrahitur; ſtipulationem verò vitiat.*
13 *Die ad opus perficiendum præfinito, ſi non perficiatur, tenetur conductor in id, quod intereſt.*

SEquitur obſcuritas, quæ reddit omninò incertam rem, quæ deducitur in obligationem. Hæc etiam obſcuritas impedit, ne ulla naſcatur obligatio, ſiquidem ejuſmodi ſit, ut neque ex certis conjecturis, neque ex ipſius rei naturâ, neve ex alia cauſa certa fiat. Sed hæc omnia ſingillatim, & diſtinctè ſunt explicanda.

Finge teſtatorem alicui genus legaſſe, ſcilicèt ejuſmodi genus, quod ita appellant dia-
lectici: nam genus, ut intelligunt noſtri, 1
legari poteſt: ut homo, equus, & reliqua,
quæ dialectici ſpecies appellant: ſi legaverit genus ex ſententia dialecticorum, ut ſubſtantiam, animal, aut quid ſimile, non valet legatum, quia magis deriſorium eſt, quàm utile legatum: nam hæres dando lapidem, aut muſcam, liberaretur. Sed hoc difficilè evenire poteſt. Exempla, quæ proponunt veteres Juriſconſulti, ſunt domus,

Digitized by Google

& fundi, de quibus ita jus eſt. Si teſtator legaverit domum, aut fundum, nullâ domo, aut fundo demonſtrato: ſiquidem nullam domum, nullumve fundum in bonis habeat, deriſorium magis eſt, quàm utile legatum *l. ſi domus* 71. *in princ. ff. de leg.* 1. *l. cùm poſt divortium* 69. *§. gener. verſ. nec videri ff. de jure dot.* Idque etiam traditum eſt de ſtipulatione in *l. ita ſtipulatus* 115. *verſ. vel fundum ff. de V. O.* Quòd ſi teſtator habeat aliquas domos, aut fundos, unus ex his legatus videbitur, & legatarii erit electio, ut diximus in ſuperiore §. *ſi generaliter* 22. *inſt. tit. de legat. junctâ l. ſi domus* 71. Ratio, cur tam variè fuerit conſtitutum, ea eſt: quia res incerta de certis legari poteſt *l. ſi quis à filio* 32. *§. ſi quis plures ff. de leg.* 1. atque ideò, cùm præſumatur teſtatorem de rebus propriis teſtari, non de alienis *l. unum ex familiâ* 67. *§. ſi rem* 8. *ff. de legat.* 2. legatus eſt fundus aut domus incerta de certis, videlicèt de his, quæ ſunt in bonis teſtatoris: ac propterea valet legatum. Quoties autem teſtator nullas domos, fundoſve habet, non legatur res incerta de certis, ſed omninò incerta, adeò, ut nulla fortaſſe utilitatem ſit allatura legatario. Etenim fundi, & domus noſtra deſtinatione non naturâ conſtituuntur *l. quod in rerum* 24. *§. pen. ff. de leg.* 1. *l. ſi quis duas* 6. *§. ſi quis partem ff. commun. præd. l. locus* 60. *ff. de V. S.* Ibi: *& modicus locus poſſit fundus dici*: & rurſus: *quælibet portio fundi poterit fundus dici.* Ex his apparet, cur valeat legatum hominis in genere *l. legato generaliter* 37. *ff. de leg.* 1. *§. ſi generaliter inſt. eod.* Homo naturâ conſtituitur, & certis terminis ab eadem natura circumſcriptus eſt, ac definitus, non deſtinatione, atque affectione noſtrâ; quemadmodùm domus, ac fundi *d. l. locus* eum aliis modò laudatis.

2 Antequàm ultrà progrediamur, explicandæ ſunt nonnullæ leges, quæ cum his pugnare videntur. In *l. ubi autem* 75. *§.* 1. *ff. de V. O. Ergò ſi quis fundum ſine propriâ appellatione, vel hominem generaliter ſine proprio nomine, aut vinum, frumentumve ſine qualitate dari ſibi ſtipulatur: incertum deducit in obligationem.* Non eſt ambigendum in tota illa lege tractari de ſtipulationibus validis, ex quibus tamen non datur certi condictio, cùm certum quid in obligationem deductum non fuerit, ſed incertum: ex quâ naſcitur actio ex ſtipulatu, non certi condictio *princ. tit. inſtit. de V. O. l. ſi ſtipulatus* 4. *in princ. ff. de uſur.* Certum autem in hâc cauſa dicitur, ubi apparet, quid, quale, quantumque ſit in ſtipulatione: ſin minus, incertum eſt *d. l. ubi autem in princ.* Ergo ibi non agitur de ſtipulationibus omninò incertis & obſcuris, quæ ſunt inutiles: ſed de ſtipulationibus utilibus, ex quibus naſcitur incerti condictio ex ſtipulatu, ut apparet ex ſtipulationibus in eâ lege propoſitis. Et tamen inter has ſtipulationes recenſet ſtipulationem fundi ſine propriâ appellatione, non fundum in genere: valet igitur hæc ſtipulatio. Veriſſimum id profectò eſt. Etenim ibi ſtipulatus eſt fundum ſine propriâ appellatione, non fundum in genere. Notandum eſt, quòd Ulpianus ibi diſtinxit, ac ſeparavit ſtipulationem fundi à ſtipulatione hominis: non dixit ſtipulatum fuiſſe fundum generaliter, ſicut hominem: ſed fundum *ſine propriâ appellatione*: hominem autem *generaliter*. Si fundum quoque generaliter fuiſſet ſtipulatus, inutilis eſſet ſtipulatio *l. ita ſtipulatus* 115. *verſ. vel fundum ff. de V. O.* quæ intelligenda eſt de fundo generaliter promiſſo, ut conſtat ex comparatione aliarum ſtipulationum ibi propoſitarum. Cùm fundum ſine propriâ appellatione ſtipulatur, promiſſor eligere debet unum ex his fundis, quos habet; cæteri enim, qui ſunt alieni, ſtipulatione non continentur, nec ſolvi poſſunt, etiamſi electio ei data fuiſſet *l.* 2. *§.* 1. *&* 2. *ff. de opt. leg.* Quin imò & ſi ſtipulator de certo fundo ſenſiſſet, putà de fundo Corneliano, tamen ſi non apparet, promiſſor eligere debet, quem dare velit *l. legato generaliter* 37. *§.* 1. *ff. de leg.* 1. debitoris enim eſt electio *l. eum qui certarum* 138. *§.* 1. *ff. de V. O.* Quòd ſi de certis fundis inter contrahentes actum fuerit, licèt nomen & appellatio fundi fuerit omiſſa, pariter unum ex illis, quem vo-

Digitized by Google

luerit debitor, præſtare debebit argum. *l. triticum* 94. *ff. de V. O. l. qui ex pluribus* 106. *ff. l. eod. cum ſervus* 39. §. *Sejo ff. eod. l. apud Julianum* 40. §. *Sejo ff. de leg.* 1.

3 In *l. omnia* 32. *alias l. cùm ita* §. *ſpecies ff. de leg.* 2. *Species nominatim relicta ſi non reperiantur, nec dolo hæredis deeſſe probentur, peti ex eodem teſtamento non poſſunt.* Hæc etiam lex loquitur de teſtatore, qui ſpecies ſuas legavit, quarum legatum eſt inutile, ſi non reperiantur in hæreditate. Licèt enim etiam res, quæ non ſunt, legari poſſint, dummodò futuræ ſperentur *l.* 1. *in fine ff. de cond. & dem. l. quod in rerum* 24. *ff. de legat.* 1. §. *ea quoque* 7. *inſt. tit. eod.* tamen quando demonſtratur aliqua ſpecies, quæ non eſt, nec futura eſt, inutile eſt legatum, inutilis ſtipulatio *l. ſi ita legatum* 65. *in princip. ff. de leg.* 1. *l.* 1. §. *ſi id quod* 9. *ff. de oblig. & act. l. ſi ita ſtipulatus* 97. *ff. de V. O.* Imò & ſi res legata non reperiatur in hæreditate, legatum eſt inutile, quia de re ſuâ teſtator diſponere cenſetur, non de alienâ, ut in exemplo, quod proponitur in *d. l. ſi ita legatum* 65. quin etiam idem obtinet in pecunia numeratâ certo loco circumſcriptâ, quia tamquam corpus, ac ſpecies conſideratur. Quamvis enim legata pecunia ſolvi debeat ab hærede, licèt in bonis legantis non fuerit. *L. ſi pecunia* 12. *ff. de leg.* 2. tamen ſi quis leget centum, quæ in arca habet: ſi nulla ſint, nihil deberi conſtat. *l.* 1. §. *ſed etſi verſ. nam etſi ff. de dot. præleg.* Sed de his uberiùs infrà. Modò moneamus oportet, cavendum, ne cui imponat gloſſa, quæ fingit teſtatorem legaſſe equum ſuum brunum, qui non invenitur in hæreditate: nam licèt non inveniatur equus brunus, dummodò aliquis equus inveniatur, etiamſi ſit rufus, ſpadix, glaucus, albus, legatum valebit. *l. demonſtratio* 17. §. 1. *ff de cond. & dem.* §. *huic proxima inſt. tit. de legat.*

4 In *l. legato* 37. §. 1. *ff. de leg.* 1. ſimiliter intelligendum eſt, teſtatorem habuiſſe aliquos fundos, & lances: ſi enim nullum fundum haberet, inutile eſſet legatum, ut ſuprà demonſtratum eſt. Et quoniam Ulpianus ibi jungit legato fundi legatum lancis; idem jus eſſe puto in legato lancis, ſcyphi, tabulæ, & hujus generis: videlicèt legatum non valere ſi nullas lances, ſcyphos, tabulas teſtator reliquerit: quia nimis vagum eſt, & latè patens, incertum, indefinitum. L. Craſſus Orator duos ſcyphos Mentoris manu cælatos emit ſeſtertiis centum, ut refert Plin. *lib.* 33. *cap.* 11. hoc eſt, Philippeis aut noſtris Scutis 2500. Martialis autem. *lib.* 9. *ep.* 60.

Aſſe duos calices emit, & ipſe tulit.

quæ ratio eſt unius aſſis ad centum millia aſſium. Idem de tabulis dicendum, quarum aliæ viliſſimæ ſunt, & propè nullius pretii, aliæ immenſo pretio comparantur. Videndus de his Plinius *lib.* 35. *cap.* 10. *& ſeq.* Itaque magis diſtat lanx à lance, tabula à tabula, quàm fundus à fundo, domus à domo.

Expoſitis hiſce legibus ad rem redeamus 5
Incerta eſt ſtipulatio, quæ proponitur à Marcello in *l. qui inſulam* 95. *ff. de V. O. Qui inſulam fieri ſtipulatur, ita demum acquirit obligationem, ſi apparet, quo in loco fieri inſulam voluerit; ſi & ibi inſulam fieri, intereſt ejus.* Idem tradit Ulpianus in *l.* 2. *vel* 3. quæ Scævolæ eſt, §. *ſi quis inſulam ff. de eo quod certo loc.* Incerta autem eſt ſtipulatio, quia nonniſi certo in loco inſula poteſt ædificari, & promiſſor poſſet eam ædificare, ubi nullam ſtipulanti afferret utilitatem: inventæ autem ſunt huiuſmodi ſtipulationes, vel obligationes ad hoc, ut unuſquiſque acquirat ſibi, quod ſuâ intereſt §. *alteri* 19. *inſtit. tit. de inut. ſtip.* quæ verba ſumpſit Imperator ab Ulpiano in *l. ſtipulatio iſta* 38 §. *alteri ff. de V. O.* Idcircò in noſtrâ lege Marcellus non ſolùm requirit, ut appareat locus, ſed etiam, ut interſit ſtipulatoris, eo loco inſulam ædificari.

Incerta quoque atque ideo inutilis eſt inſti- 6
tutio, in qua teſtator adjicere deſtinaverat conditionem, quam memoriâ lapſus, vel aliquo errore non adjecit *l. quoties* 9. §. *tantùmdem ff. de hæred. inſt.* Eò magis ſi teſtamentarius addidit, vel detraxit, vel mutavit conditionem §. *idem tractat ead. l.* Nam

Digitized by Google

omiſſio, & additio conditionis mutant naturam inſtitutionis, & alia eſt inſtitutio pura, alia inſtitutio conditionalis. Illud ſingulare eſt, quòd ſi ipſe teſtator addit conditionem, quam nolebat, detractâ conditione, valet inſtitutio: plus enim ſcripſit, quàm voluit: videtur ei incogitanti excidiſſe conditio: ergo ſicut detrahitur, & pro non ſcriptâ habetur conditio impoſſibilis §. *impoſſibilis* 10. *inſtit. de hæred. inſtit. l.* 1. *ff. de condit. inſt.* ita eâdem ratione hæc etiam detrahitur. *eod.* §. *tantùmdem:* quia in teſtamentis pleniùs voluntates teſtantium interpretamur *l. in teſtamentis* 12. *ff. de R. J.*

7 Non abſimile eſt, quod tradit Paulus in *l. Clemens* 81. §. 1. *ff. de hær. inſt.* inanem eſſe inſtitutionem, ſi ſcripſerit teſtator *quâ ex parte me à Titio hæredem inſtitutum recitaſſem, ex eâ parte Sempronius hæres eſto.* ſi poſteà nullum recitaverit teſtamentum. Non enim apparet, ex quâ parte Sempronius ſit inſtitutus. Quamobrem nullâ ex parte inſtitutus eſt, ideòque hæres eſſe non poteſt. *l. item quod Sabinus* 17. §. *ſed ſi aſſe ff. de hæred. inſt.* Ibi: *ſi ita ſcripſiſſet expleto aſſe: ex reliquâ parte hæres eſto: quoniam cùm nihil reliquum eſt, ex nullâ parte hæres inſtitutus eſt.* Ex nulla etiam parte hæres inſtitutus eſt, ſi teſtator ſcripſerit: *ex quâ parte me Titius hæredem ſcripſit, Sejus hæres eſto: vel hoc modo: ex his partibus, quas adſcripſi.* ſi neque Titius ſcripſit hæredem teſtatorem; neque teſtator ullas partes adſcripſit *l.* 2. *ff. de hæred. inſt. & l. hoc articulo* 29. *ff. eod.*

8 Sed contrarium videtur reſpondiſſe Ulpianus in *l. ſi quis ita* 36. *ff. eod. Si quis ita ſcripſerit: ex quâ parte codicillis Titium hæredem ſcripſero, hæres eſto: etiamſi pars in codicillis non fuerit adſcripta, erit tamen hæres, quaſi ſine parte inſtitutus.* ergo valet inſtitutio ejus, qui ſine parte fuit inſtitutus.

Reſpondeo, quòd utique valet inſtitutio ejus, qui ſine parte fuit inſtitutus: illi partem aſſignat ipſa lex, videlicèt ſi plures fuerint ſine partibus inſtituti, ſingulis æquales partes §. *ſi plures* 6. *inſt. tit. de hæred. inſt. l. quoties* 9. §. *hæredes* 12. *ff. eod.* ſi plures aſſignatis partibus, unus ſine parte fuerint inſtituti, feret hic, quod aſſi deeſt *l. item quod Sabinus* 17. *in princ. ff. eod.* lex enim ſupplet quod omiſit teſtator: neque id arbitratu ſuo, ſed ex præſumptâ voluntate teſtatoris. Qui enim partes nón adjicit; præſumitur voluiſſe partes æquales tribuere: & qui non totum aſſem diſtribuit; in parte vacante vocaſſe hæredem, quem deinceps inſtituit ſine parte. Hoc & naturalis ratio dictat, & communis hominum conſuetudo. Contra non valet inſtitutio, quoties aliquis ex nullâ parte eſt inſtitutus. *d. l. item quod Sabinus* §. *ſed ſi aſſe verſ. aliter ff. de hæred. inſt.* pugnant enim hæc inter ſe, ut ſit hæres, & ſit ex nulla parte.

9 Neque huic explicationi repugnat Ulpianus, neque ſecum ipſe diſſidet in *l.* 2. *in princ. ff. eod.* Ubi ait valere inſtitutionem, ſi teſtator hæredes ita inſtituerit: *ex partibus, quas adſcripſero*: quamvis poſteà nullas partes adſcripſerit. Etenim etiam hîc hæredes ſine partibus ſunt inſtituti: non verò ex nullâ parte. Cùm enim teſtator partes non adſcripſerit, conſtat, eum partes non diſtribuiſſe: quando autem teſtator partes non diſtribuit inter hæredes, lex præſumit eum voluiſſe æquales partes habere, ut paulò antè diximus. Hoc ampliùs, idipſum præſumit etiam, cùm dixit, *ſi partes adſcripſero*: quaſi duplici factâ inſtitutione, *ex quibus partibus adſcripſero, ſi minùs ex æquis.* In ſumma non adſcriptis partibus à teſtatore, ſemper lex præſumit, eum voluiſſe partes fieri æquales, quod & in legatis obtinet *l. legata* 19. *in fin. ff. de leg.* 1. Excipe tamen inſtitutionem, de quâ ſuprà diximus, cùm teſtator hæredem inſtituit: *ex partibus adſcriptis: vel ex partibus quas adſcripſi.* Non poteſt enim hic præſumi voluiſſe fieri partes æquales, cùm ipſe jam partes fecerit, & quidem inæquales: nam ſi æquales partes feciſſet, fruſtrà adjeciſſet ex partibus adſcriptis, cùm etiam eo non adjecto ex æquis partibus hæredes forent. Non poteſt igitur lex præſumere, eum voluiſſe partes æquales habere hæredes inſtitutos, cùm refragetur voluntas teſtatoris declarantis, velle ſe eos hæredes ex partibus jam adſcrip-

tis *d. l.* 2. *in princ.* Ibi: *ſi voluntas defuncti non refragetur.* Igitur nullâ ex parte poſſunt eſſe hæredes, non ex partibus adſcriptis, quia ignoratur, quas partes teſtator adſcripſerit: non ex partibus, quas lex ſolet aſſignare, quia refragrante voluntate teſtatoris lex non aſſignat partes. Quocirca eſt omninò incerta inſtitutio.

10 Idem conſtitutum fuit in legatis. Si teſtator habitationem legavit libertis, quos in codicillis deſignaſſet, non valet legatum, ſi nullos poſteà deſignaverit *l. qui plures* 18. *ff. de uſufr. leg.* Incertum enim eſt legatum non exiſtente, cui datum intelligi poſſit. Animadvertendum autem eſt, quòd legatum non valet, ſive dixerit teſtator: quos deſignavi: ſive, quos deſignavero, quoniam perſona legatarii à lege ſuppleri non poteſt, ſicut diſtributio partium. Lex enim nemini dat legatum, ſed ſolùm à defuncto datum confirmat *l. verbis legis* 120. *ff. de V. S.* Id autem expreſſit elegantiſſimo exemplo Modeſtinus in *l. Titia* 34. *in princ. ff. de leg.* 2. Ubi verba in futurum concepta erant *cùm tot capita ſervorum tibi his codicillis legavero.* Cæterùm ſi teſtator polliceatur ſe facturum aliquid, quod non pertineat ad ſubſtantiam rei legatæ, & non reddat incertam diſpoſitionem, nec inutilem eam reddit. Teſtator civitati vicos reliquit habentes proprios fines, & promiſit ſe aliâ ſcripturâ ſignificaturum eorum fines, & declaraturum formam certaminis, quam quotannis celebrari vellet, ac morte præventus non fecit. Reſpondit Papinianus in *l. cum pater* 77. *§. ult. ff. de leg.* 2. nihilominùs vicos deberi. Cùm enim proprios fines haberent, ac propterea ſatis conſtet, quid legato contineatur, ſupervacuum eſt, fines à teſtatore ſignificari, ut paulò ante de diſtributione partium diximus. Si nullos fines haberent, profectò legatum eſſet inutile, ſi non poſſet aliundè probari, quid legato contineretur. Hujus auctoritate reſponſi Juſtinianus in *l. penult. C. de inſtit. & ſubſt.* ſancit, valere inſtitutionem, *ille hæres eſto ſecundùm conditiones infrà ſcriptas*, licèt nullam conditionem infrà ſcripſerit: ſupervacuam enim eſſe pollicitationem conditionum, puramque eſſe inſtitutionem. Contrarium videtur exiſtimaſſe Marcellus in *l. quoties* 9. *§. tantùmdem ff. de hæred. inſtit.* Sed illa lex intelligenda eſt de teſtatore, cùm deſtinaſſet hæredem inſtituere ſub conditione, per errorem non adjectâ conditione ipſum purè ſcripſit hæredem; non ſupplet lex in adjiciendâ conditione, ſed ſolùm in eâ detrahendâ, ut conſtat ex *d. §. tantùmdem.* Faciliùs detrahitur conditio à lege quàm adjicitur.

Idem & de die per errorem omiſſo traditum à Papiniano in *l. ità ſtipulatus* 115. *in princ. ff. de V. O. Ità ſtipulatus ſum*: te ſiſti in certo loco; ſi non ſteteris, quinquaginta aureos dare ſpondes? *Si dies in ſtipulatione per errorem omiſſus fuerit, cùm id ageretur, ut certo die ſiſteres; imperfecta erit ſtipulatio.* 11

Opponi poteſt text. *l. ſi finita* 15. *§. ſi verò* 1. *de damn. inf.* & in *l. de die* 8. *in princ. ff. qui ſatiſd. cog.* Reſp. in prætoriis & in judicialibus ſtipulationibus dies adjicitur partium conventione: Si de eo non convenerit, à Prætore vel à Judice præfinitur juxta conſuetudinem: ſupplet Prætor aut judex, quod deeſt neceſſariæ ſatiſdationi, quam Prætor injungit: pendet enim ab ejus juriſdictione, non à voluntate contrahentium, ut ſtipulatio conventionalis *tot. tit. inſt. de diviſ. ſtip. & ff. de præt. ſtipul.*

Quid ſi adjectus ſit dies, intra quem fieri non poſſit id, de quo convenit. Quidam Romæ moriens damnavit hæredem, ut Titio daret ſervos, quos Gadibus habebat, intra triduum à die mortis ſuæ. Alter hæredem inſtituit ſub conditione ſi intra triduum à die mortis ipſi monumentum fecerit. Valet legatum *l. ſi mihi* 13. *§. ſi quis ff. de legat.* 1. Valet inſtitutio *l. ſi ità* 6. *ff. de condit. inſt.* Impoſſibilis enim conditio ab ultimis voluntatibus detrahitur *l.* 1. *ff. de cond. inſt. §. impoſſibilis inſt. de hæred. inſt.* ſecùs in contractibus. Qui Romæ ſtipulatur: hodiè Carthagini dare ſpondes? Inutiliter ſtipulatur *l.* 2. *§. qui ità ff. de eo, quod cert. loc. l. quoties* 24. *ff. de oper. libert.* 12

Obſtat Labeo in *l. inſulam* 58. *§* 1. *ff. locat.* Reſp. quòd ibi contrahentes tempus præ- 13

Digitized by Google

finiverant, intra quod opus fieri poſſe crediderunt, ut ibi indicat Labeo. Si opus intra tempus finitum non fuerit, vir bonus æſtimare debet, an eo ſpatio temporis finiri potuerit. Si potuit, in id quod intereſt, conductor obligatur; ſicut promiſit. Si ne à diligentiſſimo quidem finiri poteſt, æquum non eſt eum, qui non fecit id, quod fieri non poterat, ad pœnam obligari, *l. multa 6. ff. de cond. & dem.* Valet igitur contractus, quia apparet contrahentes voluiſſe tempus præſcribere, intra quod opus poſſet abſolvi. Vid. *l. non ſolùm 31. in fin. ff. de O.* & *A.* quæ nodum ſolvit.

CAPUT XV.

Ad L. triticum 95. ff. de verb. obl. & L. 1. C. de dot. promiſſ.

SUMMARIUM.

1 *Incerta quantitas vitiat ſolas obligationes rerum, quæ numero, pondere menſurâve conſtant.*
2 *Quæ in præfationibus concipiuntur, in ſtipulationibus repetita cenſentur.*
3 *De re, quæ in ſtipulationem deducitur, tàm ſtipulantem, quàm promittentem convenire neceſſe eſt.*
4 *Quantitas rei certa debet eſſe in cæteris contractibus.*
5 *In hæreditate & legatis.*
6 *Si quantitas ex poſt-facto certa fiat, valet diſpoſitio. & n. 7.*
8 *Promiſſio dotis nulla eſt quantitate non adjectâ, ſi quidem à muliere promiſſa ſit.*
9 *Si verò promittatur à patre mulieris, valet, & pro modo ejus facultatum & dignitate mariti conſtituitur. & n. 10.*

1 SUccedit quæſtio de incertâ quantitate. Hæc autem duplex. Aliquandò ſola quantitas rei, quæ in obligationem deducitur, incerta eſt: aliquandò præter incertam quantitatem, nec ipſa quidem res certò fuit demonſtrata. Incerta quantitas vitiat ſolummodò obligationem rerum, quæ pondere, numero, menſurâ continentur. *l. ità ſtipulatus 115. in princ. ff. de V. O. Imperfecta erit ſtipulatio, non ſecus ac ſi quod pondere, numero, menſurâ continetur, ſine adjectione ponderis, numeri, menſuræ ſtipulatus eſſem.* Marcellus in *l. triticum 94. ff. eod. Triticum dare oportere ſtipulatus eſt aliquis: facti quæſtio eſt, non juris: igitur ſi de aliquo tritico cogitaverit, id eſt, certi generis, certa quantitatis, id habebitur pro expreſſo: aliòquin, ſi cùm deſtinare genus & modum vellet, non fecit, nihil ſtipulatus videtur: igitur ne unum quidem modium.* Plura in hâc lege ſunt obſervanda. Primum, quòd videtur hîc à Marcello requiri, ut non ſolùm quantitas tritici exprimatur, ſed etiam qualitas, quam hîc genus vocat: verùm omiſſio qualitatis non obſtat obligationi. *l. fidejuſſorem 52. ff. mand. l. cùm certum 4. ff. de trit. vin. & ol. leg.* Marcellus genus dicit, ut arbitror, provinciam, regionem, quæ triticum produxit, undè Romam advehebatur: videlicèt triticum Africanum, Thracium, Syrium, Italicum. Plin. *lib. 18. cap. 7. Tritici genera plura, quæ fecere gentes &c.* Sed nec omiſſio loci, aut gentis vitiat contractum: nam qui ſtipulatur vinum, frumentum, non adjectâ qualitate, utiliter ſtipulatur, licèt incerta ſit ſtipulatio, ex quâ non datur certi condictio, ſed incerti, ſcilicèt actio ex ſtipulatu: ſicut etiam ſi adjecerit qualitatem & genus, veluti: *centum modios tritici Africani boni, l. ubi autem 75. §. 1. & 2. ff. de V. O.* Poteſt autem promiſſor, cùm neque genus, neque bonitas adjecta eſt, etiam peſſimum ſolvere, *d. l. fidejuſſorem*; ac ne quidem tenetur ſolvere illud genus, quod eſt in uſu in eâ regione *d. l. 4. ff. de trit. vin.* Cavendum autem eſt à gloſſâ, quæ tritici nomine comprehendit, quicquid in areâ teritur, exponitque verbum tritici *bladum, ſeges.* Falſò. Triticum indè dictum, quòd teratur ex ſpicis, ut putavit Varro *de ling. latinâ*: ſed hoc nomen poſteà per excellentiam factum eſt proprium hujuſce frumenti. Frumenti verò nomen generale eſt; id enim eſſe, quòd ariſta ſe teneat, Gallus aiebat *l frugem 77. ff. de V. S.* quamquàm & hoc pro tritico plerùmque accipitur, ut apparet ex Frumentariâ Ciceronis in Verrem. Igitur genus tritici demonſtrat, qui deſignat regionem, ubi progenitum: & in eodem ſenſu dicitur genus olei in *l. 4. ff. de trit. vin.*

Digitized by Google

2 Secundum, quòd ſi ex conventione, cui firmandæ adjecta eſt ſtipulatio, vel ex præfatione, vel ex conjecturis appareat, de quo tritico cogitatum ſit, id pro expreſſo habebitur: nam quæ in præfationibus concipiuntur, in ſtipulationibus repetita cenſentur *l. Titia* 134. §. 1. *ff. de V. O.* Nec obſtat *l. quicquid adſtringendæ. ff. eod.* Nam id non pertinet ad ea, quibus inveſtigari poteſt mens contrahentium, & ex quibus elici poſſit, valeatne, an irrita ſit ſtipulatio. Nam etiam in ſtipulationibus, quid actum ſit, inſpiciendum eſt *l. qui uſumfructum* 36. § *ſtipulatus ff. de uſufr. l. in ambiguis* 96. *ff. de reg. jur.* & ut potiùs valeat, quàm pereat ſtipulatio, eſt interpretanda, *l. quoties* 80. *ff. de V. O.* Igitur ſi appareat, de quo tritico ſenſerint & de quantitate, valet ſtipulatio, etiamſi in eâ nihil fuerit expreſſum. Ex quo intelligitur *l. quidam* 7. *in princ. ff de trit. vin. & ol. leg.* Quidam hæredem damnaverat dare uxori ſuæ vinum, oleum, frumentum, acetum, mella, ſalſamenta, nec adjecit, quantùm ex quâque re dari deberet. Valet legatum, & omne, quantùm paterfamilias reliquiſſet, debetur. Id autem eo fit, quia non eſt incerta quantitas rei legatæ: nam cùm teſtator de rebus ſuis diſponit *l. verbis legis ff. de V. S.* ibi: *rei ſuæ*, certa eſt ſumma vini, olei & cæterarum rerum, quas habet: omnes enim legatæ videntur, ut omnes Juriſconſulti exiſtimarunt contra Trebatium, qui putabat tantum legatum videri, quantum hæres dare voluiſſet. In utrâque autem ſententiâ certa eſt quantitas rei legatæ; non ex verbis teſtatoris, ſed ex diſpoſitione legis. Contrà ſi ſumma eſſet omninò incerta, nec poſſet referri ad res à teſtatore relictas, ut eveniret, ſi nihil harum rerum reliquiſſet, ne ſextarius quidem deberetur § *ſed etſi* 15. *inſt. tit. de legat. l. ſi ſic legatum* 75. §. 1. *ff. de leg.* 1. *l. legavi* 25. *in fin. ff. de liberat. leg.* & noſtrâ *l. triticum.* Ibi: *ne unum quidem modium.*

3 Tertium, quod indiget explicatione, eſt, quòd Marcellus ait: *igitur ſi de aliquo tritico cogitaverit.* Cavendum, ne cui imponant hæc verba. Neque enim ſufficit, ut de certo tritico cogitaverit ſolus ſtipulator: ſed neceſſe eſt, ut de eodem cogitaverit etiam promiſſor. Stipulatio enim non ſolius ſtipulatoris voluntate conſtat, ſed utriuſque conſenſu conficitur, & de re, quæ in ſtipulationem deducitur, uterque conveniat neceſſe eſt *l. inter ſtipulantem* 83. §. 1. *ff de V. O.* Nec obſtat text. in *l. ſi mihi & Titio* 110. §. *ult. ff. eod.* Nam ibi uterque convenerat de veſte muliebri: ſolùm dubitabatur, an ea verba comprehenderent veſtem muliebrem, quâ promiſſor utebatur: & hanc quoque comprehendi reſponſum eſt, cùm verba ſtipulatoris re ipſâ eam comprehendant, maximè propter adjectionem illam; *quæcumque eſſet*, quæ demonſtrant eam quoque ſtipulatorem ſtipulari voluiſſe. Promiſſor igitur, qui ſpondendo ſe obligat ad id omne, de quo fuit interrogatus, & voluntari ſtipulatoris obſecundat, non debet poſteà cavillari verba, dicendo ſe de eâ veſte non ſenſiſſe *l. quicquid* 99. *verſ. nec rurſum ff. eod. l. non eſt ferendus* 12. *ff. de tranſact.*

Expoſitâ ſic noſtrâ lege, ea eſt aliis 4
legibus confirmanda. In aliis quoque contractibus, in hæreditatibus, in legatis, in ipſâ dote regula illa ſervatur. Sine certâ re & pretio nulla eſt emptio & venditio *l. nec emptio* 8. *ff. de contr. empt.* Licèt etiam fructus futuri emi poſſint, & jactus retis & captus ferarum *d. l. nec emptio in princ. & in* §. 1. *l. ex empto* 11. *alias l. emptorem in fin. de act. empt.* nam in his emitur alea, & quid in emptionem venerit, quamvis initio fuerit incertum, ex eventu certum fit. Societas quoque nulla eſt, ſi ex nullâ parte coïta ſit. De hâc id ipſum dicendum, quod de hæreditate diximus in ſuperiore. Si Socii partes lucri damnique non definiverint, lex ipſa definit, & facit partes æquales *l. ſi non fuerint* 29. *ff. pro ſoc.* At ſi coïta fuerit ſocietas ex his partibus, quas Titius arbitrabitur, & Titius ante quàm arbitretur, moriatur, nihil agitur *l. ſi coita* 75. *ff. eod.* quia ex nullâ parte ſocii ſunt: non ex æquis partibus, quoniam ab his receſſerunt: non ex partibus à Titio aſſignatis, qui nullas partes aſſignavit.

Digitized by Google

5 De hæreditatibus ſatis luculenter diximus in ſuperiore ; addo nunc elegantiſſimum exemplum ab Ulpiano propoſitum in *l. ex facto 19. ff. de hæred. inſt.* Quidam hæredes inſtituit Titium & Cajum ex dodrante : poſteà adjecit : ſi Sejus hæres non erit, Sempronius hæres eſto. Quæſitum fuit, an Sempronius hæres ſit ex reliquo quadrante qui vacat. Reſpondit , Sempronium hæredem non eſſe : *quia ei pars eſſet data , quæ nulla eſſet.* Ei enim datur dars Seji , cui fuit ſubſtitutus : Sejus autem nullam habet partem , cùm non fuerit hæres inſtitutus. Conditio enim non diſponi. *l. ſi quis ſub condit. 8. ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. l. 1. §. ſed etſi in fin ff. ad leg. Falc. l. cùm ſine 19. §. 1. ff. qu. di. leg. ced.* de legatis id conſtitutum in *l. ſi ſic legat. 75. §. 1. ff. de leg. 1. Si mihi quod Titius debet, fuerit legatum, neque Titius debeat ; ſciendum eſt , nullum eſſe legatum : & quidem ſi quantitas non ſit adjecta , evidenti ratione nihil debebitur , quia non apparet , quantum fuerit legatum.* Subjicit deinceps aliud ſimile exemplum : ſicut & in *l. legavi 25. in fin. ff. de liber. leg.*

6 Multæ tamen occurrunt in jure noſtro leges , in quibus contrarium eſt conſtitutum. In *l. Stichus 12. ff. de leg. 3. Stichus liber eſto : ut eum hæres artificium doceat , undè ſe tueri poſſit , peto : Pegaſus inutile fideicommiſſum eſſe ait , quia genus artificii adjectum non eſſet.* Deciditur tamen valere.

In *l. ſi cui annuum 14. ff. de ann. leg. Si cui annuum fuerit relictum ſine adjectione ſummæ , nihil videri huic adſcriptum Mela ait.* Contrarium tamen probat Ulpianus.

In *l. cùm alimenta 21. in princ. ff. de alimen. l. cum alimenta per fideicommiſſum relicta ſunt non adjectâ quantitate* , valet fideicommiſſum.

In *l. quidam 30. ff. de leg. 2.* valet legatum relictum Reip. in tutelam vitæ reficiendæ ; non adſcriptâ ſummâ.

7 Veteres interpretes , ut vim harum legum declinent , confugiunt ad miſerorum aſylum , ad favorem Reip. ad favorem alimentorum. Sed hoc perfugio harum legum auctores non utuntur , ideòque nec nos uti debemus. Si accuratè conſiderentur iſtæ leges , ex his depromitur hujuſmodi regula. Quoties legatum eſt ſine adjectione ſummæ , in id , quod certam impenſam requirit, ita ut ſaltem ex poſt-facto certa fieri poſſit , valet legatum. Hâc ratione utiliter legatur partus ancillæ , fructus naſcituri ; quia eventus , ſicut ſuſpendit legatum , quia incertus eſt ; ita certum faciet , quid legato comprehendatur *l. 1. §. ult. ff. de cond. & dem.* In legibus modò relatis controverſia fuit inter veteres , an legata illa valerent : ſed obtinuit ſententia exiſtimantium , valere : quia incertum facilè & ex juris interpretatione ad certum redigitur. In *l. Stichus* artificium non deſignavit teſtator, ſed demonſtrat ætas pueri , conditio , natura , ingenium , quibus conſideratis de artificio Prætor ſtatuet *d. l. in fin.* In *l. ſi cui 14.* ſummam præſtandam indicat id , quod præſtare ſolitus fuerat teſtator : ſi minùs , ex dignitate perſonæ ſtatui oportet pro modo facultatum *d. l. ſi cui in fin. & l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex his ff. de agnoſc. lib.* Eadem eſt ratio *l. cùm alimenta* : nam & legatum annuum pro alimentis relictum cenſetur *l. quidam ff. de pact. dot.* & ideò initio anni præſtanda ſunt *l. 1. C. quand. di. leg. ced.* In *l. quidam 30.* certa eſt ſumma , quia tanta ſumma legata videtur , quanta viæ reficiendæ ſufficeret , niſi appareat aliam fuiſſe mentem defuncti , aut ex magnitudine ejus pecuniæ, aut ex mediocritate facultatum : tunc enim ſecundùm æſtimationem patrimonii , & legati quantitas definiri poteſt. Ergo in his , & ſimilibus legatis incerta quidem initio quantitas eſſe videtur , ſed ex poſt facto certa fit : & de his agitur in *l. ſi quando 6. ff. ut legat. nom. cav.* & ideò ſi fidejuſſores petantur , taxatio judicis eſt neceſſaria.

8 His expoſitis ad dotem veniamus , in qua eadem obtinent , licet dotium cauſa ſit ſemper & ubique præcipua *l. 1. ff. ſol. matrim.* Dilucidè id ſanxit Imp. Alexand. in *l. 1. C. de dot. prom. Fruſtrà exiſtimas actionem tibi competere , quaſi promiſſa dos tibi , nec præſtita ſit : cùm neque ſpecies ulla , nec quantitas promiſſa ſit : ſed hactenùs nuptiali inſtrumen-*

to adſcriptum, quòd ea, quæ nubebat, dotem dare promiſerit. Cæcutiunt in hac lege explicandâ veteres interpretes. Putant enim non valere hanc dotis promiſſionem, ne in eâdem re duo ſpecialia concurrant. Concurrerent autem duo ſpecialia. Primum, quòd contra jus commune valeret promiſſio incertæ quantitatis. Alterum, quòd contra jus civile daretur actio ex nudo pacto. Falſa omnia. Falſum eſt, quòd non poſſint concurrere duo ſpecialia, ſaltem in dote. Hanc regulam falſam eſſe demonſtrat *l. un. C. de rei ux. act.* In eâ ad minimum tria conſtituuntur ſingulariter in dote à juris regulis abhorrentia: quod dos promiſſa per ſtipulationem fuiſſe fingatur, etiamſi ſtipulatio non intervenerit: quòd detur actio ex ſtipulatu, etiamſi dos certa ſit: quòd actio ex ſtipulatu ſit bonæ fidei. Falſum, quòd in laudatâ *l. 1.* agatur de dote promiſſâ nudo pacto: id falſi arguunt verba illa: *ſed hactenùs nuptiali inſtrumento &c. Cùm ſcriptum eſt in inſtrumento promiſiſſe aliquem: perinde habetur atque ſi interrogatione præcedente reſponſum ſit.* Ita Imperator noſter in *§. ſi ſcriptum inſt. tit. de inut. ſtip.* quæ verba ſumpſit à Paulo *lib. 5. ſent. tit. 7* qui idem magis generaliter affirmat in *l. Titia 134. §. 2. ff. de V. O.* ea ratione, quæ traditur in *l. ſciendum 30. ff. eod.* Plane ſi certum eſt valere promiſſionem dotis incertam, ut ajunt ex *l. eum poſt 70. §. ſi gener. ff. de jur. dot.* ſequitur, ut unica ratio, quâ fit, ut non valeat ibi dotis promiſſio, ea ſit, quod facta fuerit nudo pacto. Cur igitur id referre omiſit Imperator, & ſolummodò expoſuit incertam dotem fuiſſe promiſſam? Cauſam, ob quam decernere non poterat, id, quod decrevit, diligenter explicavit: cauſam, ob quam decernere debebat id, quod decrevit, penitùs prætermiſit: imò uſus eſt verbis contrarium exprimentibus. Profectò nihil dici poteſt abſurdius.

9 At enim in *l. cùm poſt divortium 70. §. gener ff. de jure dot.* Papinianus contrarium reſpondit. *Gener à ſocero dotem arbitratu ſoceri certâ die dari, non demonſtratâ re, vel quantitate ſtipulatus fuerat: arbitrio quoque detracto ſtipulationem valere placuit:* Miror pleroſque Doctores à vero aberraſſe, cùm ipſe Papinianus dilucidè explicet ſententiam ſuam, & quod opponi poterat, refutet. Ait enim hanc promiſſionem non eſſe ſimilem ſtipulationi fundi incerti, *quia dos pro modo facultatum patris, & dignitate mariti conſtitui poteſt:* hoc eſt, quòd fundo non demonſtrato incerta eſt, & inutilis ſtipulatio: promiſſio dotis à ſocero facta genero, certa eſt, & utilis, quia pro modo facultatum patris, & dignitate mariti conſtituenda eſt. Quoties rei quantitas, vel ex qualitate ipſius rei, vel ex adjunctis, vel legis interpretatione certa fieri poteſt, etiamſi à teſtatore vel contrahentibus certo non fuerit demonſtrata, tamen incerta non eſt, nec actum vitiat, ut paulò antè pluribus exemplis oſtendimus. Noſtræ quæſtioni accommodatiſſimum eſt exemplum propoſitum in *l. 1. §. 1. ff. de l.g. 2.* Legatum erat pupillo arbitrio tutorum: ait Ulpianus, quòd legatum valet, & purum eſt, ac certum, quia in teſtamentis alterius arbitrium pro arbitrio boni viri accipitur: *quod injectum legato velut certam quantitatem exprimit, pro viribus videlicet patrimonii.* Facit ad rem. *l. fideicommiſſa 11. §. quamquam 7. ff. de legat. 3.* Quantitatem dotis promiſſæ certam facit tum perſona patris, tum natura dotis. Pater L Juliâ tenetur filiæ dotem dare *l. Capite 19. ff. de ritu nupt. l. ult. verſic. neque enim legae. C. de dot. promiſ.* Pater igitur dotem pro filia promittens *veluti certam quantitatem exprimit*, id eſt, quantitatem à lege præſcriptam. Scilicèt pro modo facultatum patris, & pro dignitate mariti *d. §. gener. in fin. & §. ſeq.*
Multò aliter ſe res habet, cùm dotem pro- 10
mittit mulier ipſa, aut extraneus pro ea. Hi plenum arbitrium habent dandi, vel non dandi dotem. Poſſunt vel grandem vel tenuem, vel nullam dotem conſtituere. Itaque ſi dotem promiſerint non adjectâ ſpecie, neque quantitate, incerta eſt omninò promiſſio, & inutilis. quia poſſent eam conſtituere in re, quæ nullam afferret marito utilitatem: poſſent vel nummum, vel aſſem dare. Similis eſt igitur hæc promiſſio, domûs vel

Digitized by Google

fundi promiſſioni, domo fundove non demonſtrato. Sicut enim illa eſt inutilis, quia arbitrio hominum conſtituuntur parvi, magnive, ut diximus in ſuperiore: ita & dos, quæ hominis arbitrio conſtituitur, inutiliter promittitur non demonſtratâ ſpecie, vel quantitate *d. l.* 1. *C. de dot. promiſſion.* Inter fundum autem, & dotem à patre promiſſam magna eſt differentia, ut ait Papinianus in *d. §. gener*: quia ea à lege præſcribitur, ac definitur. Nihil igitur hîc ſpeciale dos habet, ut plerique ſomniarunt.

CAPUT XVI.

Ad L. quoties §. 2. & ſeqq. ff. de hered. inſtit.

SUMMARIUM.

1 *Error in quantitate actum non vitiat; at voluntas agentis ſervatur etiam contra ſcripturam. Exempla in hereditate.*
2 *Et in legatis; & n. 3.*
4 *Contractus vitiat error in corpore, non autem in qualitate, præter emtionem & venditionem.*
5 *Error in quantitate pretii vitiat emptionem & venditionem.*
6 *Emptori & venditori licet ſe decipere in juſto pretio.*
7 *Qui in pretio circumvenitur, non errat in pretii quantitate.*
8 *Error quantitatis non facilè obrepit, niſi res certo loco circumſcripta in obligationem deducatur. Si obrepat, valet ſtipulatio in id, quod ineſt.*
9 *Verba, quæ ad præſens, non ad futurum tempus referuntur, non ſuſpendunt obligationem.*
10 *Verba quæ conditionis ſpeciem habent, quandònam verè conditionem faciant.*
11 *Duabus ſcripturis diverſas ſummas exprimentibus potior eſt ea, quæ minorem ſummam continet, tam in contractibus, quàm in ultimis voluntatibus. & n. 12.*
13 *Quid juris ſi diverſæ ſcripturæ inter ſe pugnantes in judicio exhibeantur, & n. 14. 15*
16 *Actor poteſt ſcripturam jam editam retractare, & in alia intentionem ſuam fundare.*

1 PLures aliæ de quantitate quæſtiones exiſtunt. Prima eſt de errore in quantitate, an irritum faciat actum: & quantùm debeatur, ſi actus jure ſubſiſtit. Error in quantitate non impedit, quominùs valeat actus: & voluntas agentis ſervatur etiam contra ſcripturam. Traditum id de hæreditate in *l. quoties* 9. *§. ſed ſi non* 2. *ff. de hered. inſtit. Sed ſi non in corpore erravit, ſed in parte (putà ſi cùm dictaſſet, ex ſemiſſe aliquem ſcribi, ex quadrante ſit ſcriptus) Celſus libro duodecimo quæſtionum ait poſſe defendi ex ſemiſſe heredem fore: quaſi plus nuncupatum ſit, minùs ſcriptum: quæ ſententia reſcriptis adjuvatur generalibus. Idemque etſi ipſe teſtator minùs ſcribat, cùm plus vellet adſcribere.* Et in *§. ſeq. ſed ſi majorem adſcripſerit teſtamentarius (vel quod difficilius eſt probatione) ipſe teſtator, ut pro quadrante ſemiſſem: Proculus putat ex quadrante fore heredem, quoniam ineſt quadrans in ſemiſſe.* Nota hîc veteres Juriſconſultos non ſemper ejus, quod ſtatuunt, potiſſimam afferre rationem: ſed interdùm eam, quæ patet, & in promptu eſt omnibus, reconditiore, verâque prætermiſſâ. Neque enim præcipua, & unica ratio eſt, quòd inſit quadrans in ſemiſſe. Si hoc eſſet, quando per errorem ſcriptus eſt in quadrante, cùm ſcribendus eſſet in ſemiſſe, non eſſet heres in ſemiſſe; quoniam non ineſt ſemis in quadrante. Igitur potiſſima ratio eſt, quæ utrumque errorem complectitur: quòd error in corpore, & in eo, quod rei ſubſtantiam afficit, actum vitiat: laudatâ *l.* 9. *in princ. & in §.* 1. *l. ſi quis in fundi* 4. *ff. de leg.* 1. *l. in venditionibus* 9. *ff. de contr. empt. l. continuus* 137. *§.* 1. *ff. de V. O.* error autem in quantitate non vitiat, ut modò probate aggreſſi fuimus. His conſequens eſt, argumentum, quod ducitur ab expreſſâ legis ratione, non ſemper validum eſſe. Illud etiam monendum, quòd hic error perſpicuè, & indubitatè probandus eſt: aliàs ſcripturæ ſtandum erit: itemque ſi ſcripſerit ipſe teſtator, probatio certior eſt neceſſaria: ibi: *quod difficilius eſt probatione.*

De legato teſtatur Paulus in *l. qui quartam* 2
15. *ff. de leg.* 1. *Qui quartam partem bonorum legare voluit, dimidiam ſcripſit. Proculus rectè ait defendi poſſe quartam legatam: quia ineſt dimidiæ. Idem erit ſi quinquaginta voluit legare, & centum ſcripta ſint: quinquaginta enim*

debebuntur. Sed & ſi plus legare voluit, & minùs ſcripſit, valebit legatum. Idem tradit Ulpianus in *l. quoties* 9. §. *ſed etſi quis* 4. *ff. de hered. inſtit. Sed etſi quis centum pro ducenta per notam ſcripſiſſet, idem juris erit: nam & ibi utrumque ſcriptum eſt, & quod voluit, & quod adjectum eſt.* quæ ſententia non eſt ſine ratione. Obſerva verba illa, *per notam*: veteres quoque per notas ſcribebant pecuniæ ſummam, ſicut & nos ſcribimus; ſed notæ veterum diverſæ erant à noſtris ciſris, quibus hodiè utimur; eas vide apud Mæcianum. Cùm ſumma per notam ſcribitur, faciliùs erratur: ideòque leviores probationes ſufficiunt ad errorem probandum.

3 De liberatione legatâ elegans eſt exemplum in *l. non ſolùm* 7. §. *ſed ſi debitorem ff. de liber. leg. Sed ſi debitorem decem, damnatus ſit heres viginti liberare: idem Julianus ſcribit libro trigeſimo tertio, nihilominùs & eſſe liberandum decem: nam & ſi ei viginti accepto ferantur, in decem liberabitur.* Vides hic aliam afferri rationem: quia liberari non poteſt in ea ſumma, ejus debitor non eſt.

4 In contractibus etſi non facilè poteſt hic error obrepere, cùm contractus non unius tantùm voluntate conſtent, ſed & duorum, pluriumve conſenſu *l.* 1. *ff. de pactis l. inter ſtipulantem* 83. §. 1. *ff. de V. O.* tamen ſi error aliquis intervenerit, nihil valet contractus. *l. in omnibus negotiis* 57. *ff. de oblig. & act.* Errantis enim nullus eſt conſenſus. *l. ſi per errorem ff. de juriſd.* Sed hoc intelligendum eſt de errore in corpore ſubſtantiâque rei. Nam error in qualitate, materiâque non viriat. *l. ſi cum aurum* 22. *ff. de V. O. l.* 1. *ff. de pign. act. l. cùm as.* 20. *ff. de furt.* præter emptionem. *l. in venditionibus* 9. *l. quid tamen* 13. *in fin. ff. de contr. empt.* quia, cùm in emptione certum pretium interveniat, quod rei debet peræquâ proportione reſpondere, contrahentium intereſt, emptionem non valere, ac propterea, qui ex eâ re damnum paſſurus eſt, omninò diſſenſiſſe præſumitur errore deceptus, quoties materia eſt omninò diverſa. Tenetur tamen venditor, quanti intereſt emptoris fuiſſe deceptum *l. ſi ſterilis* 21. §. *quamvis ff. de act. empt.* Sicut tenetur etiam in aliis contractibus *d. l. ſi id quod aurum* 22. *ff. de V. O.* Sed hæc accuratiùs expendere ad propoſitam quæſtionem nihil attinet.

De errore in quantitate quid dicendum? 5
Enimverò emptionem ſecundùm ea, quæ modò dicebamus, ſi in quantitate pretii fuerit erratum, arbitror non valere. Movet me auctoritas Ulpiani in *l. in venditionibus in princ.* ibi: *Ceterùm ſive in ipſâ re diſſentiam, ſive in pretio, ſive in quo alio, emptio imperfecta eſt.* In re ipſâ multis modis errari poteſt, ſcilicèt in rei corpore, in materia, in qualitate, in nomine, ut diſtinguituri in §§. 2. *ſeqq.* & in quinque *ll. ſeqq.* In pretio erratur ſolummodò in quantitate. Error igitur in quantitate pretii irritam, & imperfectam facit emptionem: non conſentit enim, qui errat; ac nihil conſenſui eſt tam contrarium, quàm error *l. ſi per errorem ff. de juriſd.* Moveor etiam, quòd in hoc contractu pretium certum eſſe debet §. 1. *inſt. tit. de contr. empt.* & quòd *empti fides ac venditi ſine quantitate nulla eſt l. empti* 9. *C. eod.* Idem dicendum eſt de locatione, in qua ad ſimilitudinem emptionis certa merces conſtitui debet in pecunia numeratâ, *inſt. tit. de locat. & cond. in princ. & in* §. 1. & *l. ſi convenerit.* 23. *ff. com. divid. qua enim locatio eſt, cùm merces non interceſſerit: l. ſi merces* 25. *in princ. ff. locat.*

Opponi poteſt, quòd naturaliter licet 6
contrahentibus ſe decipere. *l. in cauſa* 16 §. *idem Pomponius ff. de minor. l. item ſi pretio* 22. *in fin. ff. locat.* & valet emptio & venditio, etiamſi plus minùsve juſto pretio res venierit *l. ſi voluntate* 8. *C. de reſc. vend.* Hoc amplius, nec ſi emptor plus quàm in dimidio juſti pretii fuerit circumventus, irrita proindè dici poteſt venditio. Nam ſi irrita eſſet ac nulla, reſcindi non poſſet l. *nam etſi* 5. *ff. de injuſt. rupt.* Reſcinditur autem *l.* 2. & *l.* 8. *C. de reſcin. vend.*

Fallax eſt hujuſmodi argumentum. Longè 7
diſcrepant: decipi & circumveniri in quantitate pretii, & errare in conventione pretii. Qui circumvenitur in pretio ſtatuendo, viliùs

quidem vendit, aut cariùs emit, quàm juſto pretio; ſed tamen certum pretium ſtatuit: de certo pretio convenit inter emptorem, & venditorem, uterque in eo definiendo conſentit. *Emptor viliore comparandi, venditor cariore diſtrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedunt: vixque poſt multas contentiones paulatim venditore de eo, quod petierat detrahente, emptore autem huic, quod obtulerat addente, ad certum conſentiunt pretium.* Sunt verba Imperatorum in *l. ſi voluntate* 8. *C. de reſcind. vend.* quibus ſubjiciunt, neque bonam fidem, neque ullam rationem pati hunc contractum conſenſu finitum reſcindi, niſi minùs dimidiâ juſti pretii datum ſit. Contrà, qui errant in quantitate pretii, in certum pretium non conſentiunt, ſed alter ut putà ſentit de decem, alter de viginti: ideòque contractus non eſt conſenſu finitus, nec poteſt valere quemadmodùm ſi de alia re venditor, de aliâ emptor ſenſerit *l. inter ſtipulantem* 83. §. 1. *l. continuus* 137. §. 1. *ff. de V. O.* §. *ſi de aliâ* 22. *inſt. tit. de inut. ſtip.*

In aliis contractibus, ut paulò antè diximus, non facilè error quantitatis obrepit, niſi fortè res certo loco circumſcripta in obligationem deducatur. Exemplum proponit Africanus in *l. ſi ſervus legatus* 108. §. *qui quinque* 10. *ff. de leg.* 1. Qui quinque in arca habebat, ita legavit, vel ſtipulanti promiſit: decem quæ in arca habeo: & legatum, & ſtipulatio valebit. Ita tamen, ut ſola quinque vel ex ſtipulatione, vel ex teſtamento debeantur. Valet igitur ſtipulatio in quinque, quia non tam quantitas, quàm certum illud corpus pecuniæ, quod in arca eſt, in ſtipulationem deducitur, reliqua autem quinque, quæ in arca non ſunt, quodammodo conſtituunt corpus, quod in rerum naturâ non eſt, ac propterea in illis non poteſt contrahi obligatio *d. l. verſ. nam quodammodo.*

Contrarium videtur reſpondiſſe Papinianus in *l. ſi ita ſtipulatus* 120. *ff. de V. O. Si ita ſtipulatus fuero: hanc ſummam centum aureorum dare ſpondes: & ſi maximè exaudiatur hic ſermo: ſi modò centum aureorum eſt; non facit conditionem hæc adjectio, quoniam ſi centum non ſint, ſtipulatio nulla eſt; nec placuit inſtar habere conditionis ſermonem, qui non ad futurum, ſed ad præſens tempus refertur.*

Sed non ita eſt. Papinianus hîc non quærit, an propoſita ſtipulatio valeat nec ne; ſed an ſit conditionalis; ſcilicèt an verba illa conditionem faciant. Reſpondet, quòd non, etſi ea interpretemur; *ſi modò centum aureorum ſit*: quæ verba ſpeciem quidem, & figuram conditionis habent, non tamen habent vim, & poteſtatem conditionis, cùm ad præſens, non ad futurum tempus referantur, atque adeò non ſuſpendant obligationem, ſed ſtatim nulla ſit ſtipulatio, ſi centum aureorum non ſit. Idque traditum eſt etiam in *l. conditio* 100. *ff. eod. in l. cùm ad præſens* 37. *& ſeq. ff. de reb. cred.* quarum ſecunda eſt ejuſdem Papiniani *l.* 3. §. *ſi tamen ff. de bon. libert.* §. *conditiones inſt. tit. de V. O.*

Illud poteſt eſſe dubium, quod non decidit Papinianus, quandonam contrahentes eâ mente contraxerint, ut vellent valere ſtipulationem ſolummodò ſi ſumma illa ſit centum aureorum. Negari non poteſt verba illa ambiguum continere, ac proindè in illis interpretandis adhibendas eſſe regulas, quas poſtmodò trademus, cùm agemus de ambiguâ voluntatis interpretatione. Nunc illud tantummodò ſtatuo, quòd ſi ſtipulatio adhibeatur ad confirmandum actum, quem error quantitatis irritum facit: veluti emptionem, & venditionem: præſumi debet verbis illis ſignificari: *ſi modò centum aureorum ſit.* Sed etſi contractus non ſit irritus, veluti ſi differentia ſit in acceſſorio, ut in *l. ſi venditor* 38. *in princ. ff. de act. emp.* & in *l. ſi emptione* 34. *in princ. ff. de contr. empt.* ſtipulatio integram ſummam continebit, & omne id, quod venditor fuerit ſtipulatus, ut in laudatis legibus. Quòd ſi ſtipulatio donationi, vel legato acceſſerit, eam ſummam, quæ deſignata, ac demonſtrata fuit, continebit, etiamſi centum aureorum non ſit *d. l. ſi ſervus* 108. §. *qui quinque* junctâ *l. ſi legati* 56. *ff. de leg.* 1.

(L) iij

Digitized by Google

11. Hîc autem ſuboritur alia quæſtio. An ſi duæ ſint ſcripturæ ſuper eodem actu, in quibus diverſæ ſummæ exprimantur, nec appareat error, altera alteram impediat; aut, quæ potior habenda ſit. Satis conſtat, tam in contractibus, quàm in ultimis voluntatibus præferri, & eſſe potiorem ſcripturam, quæ minorem ſummam continet, quia ineſt minor ſumma majori *l. quoties 9. §. ſed ſi majorem ff. de hered. inſt. l. ſi ita ſcriptum 14. ff. de leg. 1.* ac præſertim in contractibus, in quibus ſemper in ſummis id quod minùs eſt ſponderi videtur *l. inter 83. §. diverſa ff. de V. O. l. ſi ita 109. ff eod. & l. ſi ita 12. ff. eod. L. inter eos 51. in princ. ff. de fidejuſ.*

12 In legatis exemplum optimum refert Proculus in *l. Sempronius 47. ff. de leg. 2. Binæ tabulæ teſtamenti eodem tempore exemplarii cauſâ ſcriptæ, ut vulgò fieri ſolet, ejuſdem patrisfam. proferuntur. In alteris centum, in alteris quinquaginta aurei legati ſunt Titio. Quæris, utrum & quinquaginta aureos, an centum dumtaxat habiturus ſit. Proculus reſpondit, hoc caſu magis heredi parcendum eſt: ideòque utrumque legatum nullo modo debetur, ſed tantummodò quinquaginta aurei.* Nepos, qui Proculum interrogavit, non dubitabat ſaltem centum deberi: ſcilicèt majorem ſummam: ſolùm quærebat, an utraque ſumma deberetur. Proculus reſpondit nec utramque ſummam, nec majorem deberi, ſed minorem dumtaxat. Rectè, quòd enim exiguius, id præſtandum *l. ſi ita ſit adſcriptum in fin. 14. ff. de leg. 1.* quâ utrumque docemur, & quod cùm agitur de dando legato, quòd minus eſt, datum videtur, & cùm de adimendo, quod majus eſt, videtur ademptum. Ibi: *Si poſt legata ſæpius adſcripta, idem hoc ſubjecit: ſemel præſtari velle, & hoc ante impletum teſtamentum fecerit: ipſo jure videri cætera legata adempta. Sed quod magis erit ademptum? non enim apparet, & ait poſſe dici exiguius præſtandum.*

13 Contrarium ſtatuendum, ſi in judicio ab unâ eâdemque parte fuerint editæ duæ diverſæ ſcripturæ, diverſas ſummas continentes, vel aliorſum diſcrepantes: nam ſibi invicem derogant fidem, & neutra probationem facit. *l. ſcriptura C. de fid. inſtrum.* Sibi enim imputare debet, qui inter ſe pugnantia edidit: debebat ea, priùs quàm ederet, diligenter expendere. *c. imputari 13. de fide inſtrum.* & ſcire debebat, quòd ex duobus inter ſe pugnantibus neutrum ratum eſt *l. ubi pugnantia 188. ff. de R. J.* Quod 14
ſi à diverſis partibus proferantur, quæſtionis eſt, an probationem faciant: non facere veriùs puto per text. in *d. l. ubi pugnantia.* Quid enim cauſæ eſt, cur uni potiùs, quàm alteri judex fidem habere debeat: cum altera alteri fidem deroget *d. l. ſcriptura*, & ut rectè Paulus ait in *l. duo ſunt Titii 30. ff. de teſtam. tut. non jus deficit, ſed probatio:* & ideò neutra eſt attendenda Hoc 15
intereſt meo judicio, inter editionem factam ab unâ, eâdemque parte, & editionem factam à diverſis partibus, quòd in primâ diverſæ ſcripturæ ſibi invicem fidem derogant, ſivè ejuſdem ſint poteſtatis, ſivè altera ſit altera potentior; quia cum per editionem utraque ab edente fuerit approbata, conſequens eſt, utramque eaſdem vires habere quoad edentem, eamdemque probationem facere: iſque ſibi imputare debet, quòd edendo utramque ſimiliter approbaverit. In ſecundâ, ſi diverſæ ſcripturæ non ſint ejuſdem poteſtatis, veluti ſi concurrat ſcriptura privata cum inſtrumento publico: ſi una ex illis aliquo adminiculo, vel conjectura corroboretur: judex potiori ſcripturæ fidem præſtare debebit, quæ plenam, atque perfectam probationem facit.

Quòd ſi actor priùs ediderit aliquam ſcrip- 16
turam, & deinceps, cùm aliam de novo invenerit, cognito errore priorem retractaverit, puto audiendum eſſe, ſi in hâc poſteriore intentionem ſuam fundare velit, per text. in *l. edita actio 3. C. de edend. junctâ l. ſi mihi 12. §. in legatis 3. ff. de leg. 1.* Ibi: in *legatis noviſſima ſcriptura valent, quia mutari cauſa præcedentis legati, vel die, vel conditione, vel in totum ademptione poteſt.* Eadem prorsùs obtinent in editione actionis. In reo autem id eſt indubita-

Digitized by Google

tum, qui pluribus exceptionibus diverſis ad ſe defendendum uti poteſt, & contraria etiam pro ſe allegare *l. is qui dicit* 5. *l. nemo* 8. *ff. de except. l. nemo in his* 40. *ff. de R. J. c. nullus* 120. *de R. J. in* 6.

CAPUT XVII.

Ad. L. Semper in obſcuris 9. *ff. de reg. jur.*

SUMMARIUM.

1 *In obſcuris, quod minimum eſt, ſequi debemus.*
2 *Hæc regula locum habet, ſi aliâ ratione voluntatem explicare non poſſimus.*
3 *Exempla in ſtipulationibus.*
4 *In legatis.*
5 *In ſententiis.*
6 *Sententia pro privilegiaris & pro paupere non præfertur ſententiæ contra pauperem, ſeu contra privilegiarium.*
7 *Fiſcus nullum privilegium habet, ut ſententia pro eo præferatur ſententiæ contra eum.*
8 *Fiſcus apud Romanos plerùmque pecunia inanis erat. & n. 9.*
10 *Pauper & dives in judiciis pares ſunt.*
11 *Boni Principes populo ſubvenire volebant magis quàm fiſco prodeſſe.*
12 *Sententia judicis dati expectat executionem à Magiſtratu.*
13 *Exponitur L. in lege 29. ff. loc.*
14 *Explicatur L. ſi ita. 43 in princ. ff. de leg. 2.*
15 *Verborum propria ſignificatio demonſtrat teſtatoris voluntatem.*

1 QUod de duabus ſcripturis diverſa continentibus dicebamus in ſuperiore, præferendam eſſe eam, quæ minorem ſummam continet: id generatim enunciat, & pro regula habet Ulpianus in *l. ſemper in obſcuris* 9. *ff. de R. J. ſemper in obſcuris id, quod minimum eſt, ſequimur.* Hanc generalem enuntiationem latiùs explicare operæ pretium eſt.

2 Ante omnia admonendum eſt, ad hanc regulam dirigendam eſſe voluntatis interpretationem tantummodò in obſcuris, cùm neque ex conſuetudine patrisfam. neque ex conſuetudine regionis, neque ex contextu contractûs, vel teſtamenti poſſit apparere, quid actum fuerit *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. *l. ſemper in ſtipulationibus* 34. *ff. de R. J.* Igitur ſi aliquâ ratione poſſimus expiſcari voluntatem diſponentium, ad hanc regulam non eſt confugiendum, quoniam non ſumus in obſcuris, cùm probari poteſt, quæ fuerit voluntas teſtatoris, quid actum inter contrahentes.

Cæterùm ſi de voluntate non conſtet, id, 3
quod minimum eſt, ſequi debemus, tum in ſtipulationibus: tum in legatis: tum etiam in ſententiis. In ſtipulationibus id præcipit Ulpianus in laudatâ *l. ſemper* 34. *ff. de R. J.* Ratio eſt, quia propenſiores eſſe debemus ad liberandum, quàm ad obligandum *l. Arrianus* 47. *ff. de obl. & act.* eâdemque ratione faciliores ad minuendam, quàm ad augendam obligationem: debitori enim magis quam creditori favere conſentaneum eſt humanitati; atque innatæ hominis erga hominem benevolentiæ. His efficitur, ut ſi quis duo disjunctim ſtipuletur, hoc, aut illud, debitoris ſit electio, utrum præſtare malit *l. plerùmque* 10. *in fin. ff. de jur. dot. l.* 2. §. *Scævola, aliàs l.* 3. *in princ. ff. de eo, quod cert. loc. L. ubi autem* 75. §. *qui illud aut illud ff. de V. O* Hinc eſt, quòd ſi quis ſtipulanti promittat decem, aut quinque: ſola quinque debeat: & ſi promittat calendis Januariis, aut Februariis, debeat calendis Februariis *l. ſi ita ſtipulatus fuero* 12. *ff. de V. O.* quia certum eſt, debitori magis expedire ſolvere quinque, quàm decem, & calendis Februariis, quæ remotiores ſunt, quàm Januariis: ideòque præſumitur initio elegiſſe minorem ſummam, & remotius tempus; atque ita ſe obligare voluiſſe, perindè, ac ſi quinque tantummodò promiſiſſet, itemque calendis Februariis. Eſt & aliud ad hanc regulam pertinens exemplum in *l. eum qui ita* 56. *in princ. ff. de V. O.* Quidam ſtipulatus eſt ſibi, & Titio decem dari. Non utrique decem debentur, ſed communiter unà decem tantummodò: ſicut qui decem legat Titio & Sempronio, intelligitur unà decem communiter legare.

In legatis id occurrit multò frequentiùs: 4

cùm enim unius, ejuſque defuncti voluntate conſtent, ſæpè dubium, incertumque eſt, quid, quantùmque legare voluerit. Simile ſuperiori exemplo ſtipulationis profert Pomponius in *l. ſi ita relictum* 45. *§. ult. ff. de leg.* 2. *Si ita ſcriptum ſit: decem aut quindecim heres dato: pro eo eſt, ac ſi decem ſola legata ſint: aut ſi ita ſit: poſt annum, aut poſt biennium heres dato: poſt biennium videtur legatum; quia heredis eſſet poteſtas in eligendo.* Hoc ipſum docet de ſtipulatione in *l. ſi ita ſtipulatus* 12. *ff. de V. O.*

Aliud exemplum legati proponit in eâdem *l.* 43. *in §* 1. *Quòd ſi ita fuerit: quantùm unus heres habebit, tantùm Titiaſo heredes meos dare volo: minor pars erit accipienda, quæ venit in legato.*

Non abſimile eſt legatum expoſitum à Labeone in *l. qui concubinam* 29. *§.* 1. *ff. de leg.* 3. *Titia heres mea tantam partem habeat; quantulam unus heres. Quintus Mucius, & Gallus maximam partem legatam putabat: contrà Servius, Ofilius, Labeo minimam, quia in poteſtate heredis eſſet, quam partem daret*: & hoc verum eſſe Javolenus ait.

Ulpianus in *l. cùm ſervus* 39. *§. Sejo* 6. *ff. de leg.* 1. Qui duos fundos Cornelianos habebat, legavit fundum Cornelianum: minorem legatum reſpondit, ſi majorem non potuerit docere legatarius.

Idem reſpondit nummis indiſtinctè legatis, receptum eſſe, ut exiguiores legati videantur in *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3.

In ſententiis tam judicum, quàm arbitrorum idem jus eſt *l. inter pares* 38. *§.* 1. *ff. de re jud. Si diverſis ſummis condemnent judices, minimam ſpectandam eſſe Julianus ſcribit.* Inter pares enim numero judices prævalet ſententia, quæ reo favet *d. l. in princ.* etiam in criminalibus *d. l.* Quamobrem ſi in querela inofficioſi teſtamenti pars Judicum pro teſtamento: pars contra teſtamentum judicaverit, ſpectanda eſt ſententia ſecundùm teſtamentum, quæ hæredi, ſcilicèt reo favet *l. ſi pars* 10. *ff. de inoffic. teſtamen.* Ratio petenda à Paulo, qui *lib.* 4. *ſentent. tit.* 12. *§.* 5. *inter pares enim ſententias clementior ſeveriori præfertur: & certè humanæ rationis eſt favere miſerioribus, & propè innocentes dicere, quos abſolutè nocentes pronunciare non poſſumus.* & à Quintil. *declam.* 254. *Lex jubet eos abſolvi, qui pares ſententias tulerint. Imputabitis iſtud publicæ miſericordiæ. Imputabitis humanitati.* Videndus etiam Senec. *epiſt.* 81. Idem jus in arbitriis *l. diem* 27. *§. ſi plures ff. de recept. arbit. Si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, aut quindecim heres dato: pro eo eſt, ac ſi decem tertius quinque condemnet. Julianus quinque, ſcribit, debere præſtari, quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt.*

Non poſſum tamen aſſentiri illis, qui extendunt dictam *l. inter pares.* ad omnes, 6
qui gaudent aliquo privilegio, imò etiam ad pauperes: & aïunt ſententiam pro paupere prævalere ſententiæ pro divite. Quod enim ait in laudatâ lege Paulus, in liberalibus cauſis, prævalere ſententiam pro libertate: non poteſt trahi ad conſequentia: tum quia libertas eſt favorabilior omnibus cauſis *l. libertas* 122. *ff. de R. J.* & in dubio ſemper pro libertate reſpondendum eſt *l. quoties* 20. *ff. eod.* & ideò ad alias cauſas trahi non debet *l. quod verò cum ſeq. ff. de legib.* tum maximè, quia cùm non ſatis eſſet favor, quo libertatem jura proſequuntur, ad inducendum hoc privilegium, neceſſariæ fuerunt duæ conſtitutiones, quæ hoc jus ſingulare ipſi tribuerent, quarum prima fuit lex Junia Petronia, de quâ in *l. lege Junia* 24. *ff. de manum.*: altera conſtitutio D. Pii, de quâ in *d. l. inter pares ff. de re judic.*, ac propterea ad alia trahi non debet, nec produci poteſt *l. quod contrà* 141. *ff. de R. J. l. in omnibus in* 68. *ff. eod. d. l. quod verò cum ſeq. ff. de legib.* Hoc ampliùs, in laudatâ *l. inter pares*, proponit regulam generalem, præferri ſententiam pro reo: excipit ſolummodò cauſam libertatis ex conſtitutione D. Pii: ergo omnes aliæ cauſæ continentur in regula generali ſecundùm Neratii reſponſum in *l. quæſitum* 11. *§. idem reſpondit* 43. *verſ. denique Neratius ff. de inſt. vel inſtrum. leg.* nec ſolùm cauſæ civiles, ſed etiam criminales in *d. l. inter pares.*

Nituntur illi auctoritate Modeſtini in *l.* 7
non puto 10. *ff. de jur. fiſc. Non puto delinquere*

quere eum , qui in dubiis quæſtionibus contra fiſcum facilè reſponderit. Fiſcus autem eſt dives , inquiunt , ergo in dubiis quæſtionibus pro paupere contra divitem reſpondendum eſt. Inepta ſanè concluſio ex ineptâ conſecutione. Num is , qui cum fiſco litigat , neceſſariò pauper eſt ? Annon poteſt cum fiſco litigare etiam locupletior fiſco ? Certè faciliùs cum fiſco litigat dives , quàm pauper. Cur non potiùs ità concludendum eſt ? Fiſcus maximis gaudet privilegiis , ſed hæc privilegia ipſi non proſunt , ut præferatur aliis quoad ſententiam Judicis : ergo ea multò minùs prodeſſe poſſunt aliis privilegiariis. Falſum eſt igitur , quòd inter pares ſententias præferenda ſit ea , quæ favet privilegiario. Enimverò ſi in hâc lege ageretur de paribus ſententiis , evidens eſſet argumentum : ſed verè de quæſtione agitur longè diverſâ ; ſcilicèt an delinquat , qui facilè in dubiis quæſtionibus contra fiſcum ſententiam dicit. Ratio autem cur non delinquat , non ea eſt , quòd fiſcus ſit dives , alter verò
8 ſit pauper. Nam ſæpè numero pauper eſt fiſcus ; & qui cum fiſco litigat , opulentus. Scitè Juvenal. *Sat.* 1. *v.* 48.

Exul ab octava Marius bibit , & fruitur Dis
Iratis , at tu victrix provincia ploras.

Adrianus florente tum temporis Imperio , *aurum coronarium Italiæ remiſit , in provinciis minuit , & quidem difficultatibus ærarii ambitioſè , ac diligenter expoſitis.* Poſtmodùm tamen præter congiarium bis populo datum *ad colligendam gratiam nihil prætermittens , infinitam pecuniam , quæ fiſco debebatur , privatis debitoribus in urbe , atque Italiâ , in provinciis verò etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit ſyngraphis in Foro D. Trajani , quo magis ſecuritas omnibus roboraretur , incenſis.* Ita Spartianus *in Adrian.* rectè dixi *infinitam pecuniam* : nam ut conſtat ex veteri inſcriptione , quam ad hunc locum affert Salmaſius , remiſit ſeſtertium novies millies : quæ ſumma efficit viginti duos milliones cum dimidio noſtrorum ſcutorum. Quantùm fuiſſe auctas difficultates ærarii credimus ; in quod etiam bona damnatorum redigi juſſit , non in fiſcum privatum. Capitolin. in *vita Marci Antonini. Cùm autem ad hoc bellum omne ærarium exhauſiſſet ſuum : neque in animum induceret , ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret , in foro divi Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit , vendiditque aurea pocula , & cryſtallina , & mirrhina vaſa etiam regia , & veſtem uxoriam ſericam , & auratam , gemmaſque etiam , quas multas in repoſitorio ſanctiore Adriani repererat &c.* Utinam hodierni Principes exempla tam illuſtria imitarentur. Id. in *Pertinace. Et cum tanta penuria ærarium haberet , ut præter decies HS non ſe inveniſſe fateretur &c.* Sed multò 9
majores fuiſſe anguſtias fiſci certiſſimum eſt Modeſtini noſtri temporibus. Etenim Alexander Severus *leges de jure populi & fiſci moderatas , & infinitas ſanxit , & vectigalia quantùm potuit , contraxit* ; & ut ærarii difficultatibus ſubveniret , *gemmarum quod fuit , vendidit , & aurum in ærarium contulit. Raras enim juſſerat eſſe condemnationes* , ut refert Lampridius. Quid verò rei fuiſſe putamus in turbulentiſſima Reip. tempeſtate , quæ mortem Alexandri eſt conſecuta ? cùm duo Maximini , tres Gordiani , Maximus , Balbinus in diverſis orbis partibus Imperium ſuſceperunt. Fuit autem Modeſtinus Maximi Junioris magiſter. Alia igitur 10
ratio quærenda eſt præter paupertatem : nam & Deus ipſe præcipit Exod. 23. 3. *Pauperis quoque non miſereberis in judicio.* & Levit. 19. 15. *Non conſideres perſonam pauperis : nec honores vultum potentis.* In judiciis omnes ſunt pares : juſtitia eſt omnibus eadem.

Vera igitur ratio petenda à Plinio in 11
Panegyr. Trajan. Quæ præcipua ſua gloria eſt , ſæpiùs vincitur fiſcus , cujus mala cauſa numquam eſt niſi ſub bono principe. Et à Caſſiodoro *in epiſt.* 22. *ad advocatum fiſci lib.* 1. *Tunc fama noſtra proficit , quando ſe commoditas injuſta ſubducit. Quapropter fit interdum mala cauſa fiſci , ut bonus Princeps eſſe videatur.* Hoc à bonis Principibus ſervatum Adrianus , ut diximus , etiam fiſci debitoribus debitam pecuniam remiſit , & damnatorum

Digitized by Google

bona in fiſcum redigi vetuit. De Antonino Pio Capitolin. *in ejus vitâ. Publicatio bonorum rarior, quàm umquam fuit.* Id. de Marc. Antonino. *Delationes quibus fiſcus augeretur, contempſit*: & infrà: *tributa vel vectigalia, ubi neceſſitas cogebat, remiſit.* De Alexandro Severo jam diximus: cætera omitto, ne mores horum temporum videar reprehendere. His probatis conſequens eſt, non ſolùm inter pares ſententias præferendam eſſe, quæ pro reo eſt, & contra fiſcum: ſed etiam ſi diverſis ſummis condemnent judices, minimam eſſe ſpectandam, licèt fiſcus ipſe ſit actor, ex dictâ *l. inter pares in fine.*

12 Antequàm aliò ſermonem transferam, monendum eſt, ea, quæ de paribus ſententiis diximus, obtinere ſolummodò in ſententiis latis à judicibus juriſdictionem habentibus; non autem à judicibus datis; *l. duo judices* 18. *ff. de re judic.* quia hi nullam habent juriſdictionem, ſed tantummodò notionem, hoc eſt, cognoſcendi facultatem juxta Prætoris præſcriptum *l. ait Prætor* 5. *in princ. ff. eod.* & ideò non poſſunt exequi ſententiam, ſed eam exequi debet magiſtratus, qui eos dedit *l. à Divo Pio* 15. *ff. eod.* Quamobrem ſententia judicum datorum non valet ex ipſorum auctoritate, ſed ex auctoritate, & confirmatione Prætoris, qui eos dedit. Quocirca ſi diverſas proferant ſententias, eæ ſunt in pendenti, donec Prætor alteram ex his confirmaverit *d. l. duo*: neutra enim ullum momentum poteſt mutuari ab ipſis judicibus datis. Quoniam verò hanc *l.* de judicibus delegatis veteres, qui datos à delegatis non diſtinguebant, intellexerunt, *S. P. in c. ult. De ſentent. & de re jud.* ad delegatos extendit: licèt ipſi verè juriſdictionem habeant, cùm in eos totum juriſdicendi officium tranſeat *l.* 1. §. *an autem* 4. *ff. de ſuſpect. tut.* & etiam jus exequendæ ſententiæ, argum. *l.* 2. *ff. de juriſd. l. ult. ff. offic. ejus.*

13 His expoſitis ad contractus, & legata revertor. De contractibus contrarium reſpondiſſe videtur Alphenus in *l. in lege* 29. *ff. loc. In lege locationis ſcriptum erat; redemptor ſilvam ne cadito, neve cingito, neve deurito: neve quem cingere, cadere, urere ſinito.* Quæſitum, an redemptor ſolùm teneretur prohibere, ſi quem videret horum aliquid facere: an etiam curare, & operam dare, ne quid horum fieret. Reſpondet, id curare debere, licet verbum *ſinere* utramque habeat ſignificationem. Ergo in dubio id, quod plus eſt, ſpectare oportet, non id, quod minimum eſt.

Reſpondetur, nihil hoc ad rem noſtram pertinere. Non agitur hîc de ambiguo quantitatis, ſed de ambiguo verbi, quod non refertur ad quantitatem. Qui promittit decem, aut quinque, obligatur ad quinque, ſcilicèt in minori quantitate: qui promittit calendis Januariis aut Februariis, obligatur calendis Februariis, *quia minùs ſolvit, qui tardiùs ſolvit. l. ut ſi cui* 12. *in fin. ff. de V. S. & ſolidum non ſolvitur, non minùs quantitate, quàm die l. ſolidum* 85. *ff. de ſolut.* Et in his, in quibus agitur de majori, minorive quantitate ſervanda eſt hujuſmodi regula. Quocirca non poſſum aſſentiri DD. qui putant valere ſententiam, ſi ex tribus Judicibus alter condemnet, alter abſolvat, tertius abſolvat ab inſtantia cauſæ. Nullam enim valere puto, cùm non diſcrepent in majore, ac proindè in minore omnes conſentiunt. Hæ quoad naturam ſubſtantiamque diſcrepant. Qui condemnat, eſt omninò contrarius ei, qui abſolvit: qui abſolvit, adverſatur ei, qui abſolvit ab inſtantia cauſæ; ille enim tollit, ac finit controverſiam: hic de controverſia nihil decidit, eamque indefinitam, imò iterum ex integro diſceptandam relinquit: ille abſolvit ab obligatione; hic eam relinquit in priſtino ſtatu. Sed hæc obiter: ad propoſitam legem redeamus. In laudatâ *l. in lege*, non pluris, aut minoris obligatur redemptor ratione quantitatis; ſed ratione laxioris, aut arctioris obligationis. Verbum *Sinere* ambiguum eſt, & ideò opus eſt interpretatione; quatenùs ex vi ejus verbi teneatur. Et quia verba interpretenda ſunt ſecundùm naturam actûs cui adjiciuntur *l. ſi cui* 9. *ff. de ſervit. l. damni* 43. *in princ. ff. de damn. inf.* de natura autem locationis eſt,

Digitized by Google

ut conductor diligentiſſimè rem conductam cuſtodire debeat, & curare, ne pereat *l. ſi merces 25. §. qui columnam ff. locat. §. conductor inſt. eod. l. in judicio 28. C. eod.* quamobrem etiamſi de quantitate ageretur, tamen propoſita regula locum non haberet, ad quam ſolummodò confugiendum eſt, cùm de voluntate nullo modo conſtat.

14 De legatis in contrarium reſpondiſſe videtur Pomponius in *l. ſi ita relictum 43. in princ. ff. de legat. 2. Si ita relictum fuerit: quantum heres meus habebit, tantum Titiaſo dari volo: pro eo eſt, quaſi ita ſit ſcriptum; quantum omnes heredes habebunt.* Sed non poteſt intelligi, Pomponium non probaſſe propoſitam regulam, cùm ſecundùm eam infrà reſpondeat in §. 1. ubi ait, quòd ſi ſcriptum ſit: *quantùm unus heres habebit*: minor pars legata eſt. Utrumque rectiſſimè: cùm legatur: *quantum unus heres habebit*: omnino incertum eſt, quem heredem voluerit teſtator deſignare: ac proinde propoſita regula ad ejus voluntatem inveſtigandam eſt adhibenda. Cùm autem legat: *quantùm heres meus habebit*: non eſt obſcura teſtatoris voluntas, cui ipſa verba facem præferunt. Omnis enim heres eodem modo heres eſt: omnes pariter heredis nomine continentur: proptereà ad omnes ſimul refertur. *l. in uſu juris 158. in fin. ff. de V. S. l. Si pluribus 34 ff. de leg. 2. l. Si plures 98. ff. de leg. 3.*

15 Non magis urget, quod ſcripſit Labeo in *l. qui lancem 31. ff. de aur. & arg. leg. Qui lancem maximam, minorem, minimam relinquebat, ita legaverat: lancem minorem illi lego: mediæ magnitudinis videri legatam reſponſum eſt, ſi non appareret, quam lancem ex his paterfam. legare voluiſſet.* Nam & hìc Labeo propriam verbi ſignificationem ſecutus eſt, quæ voluntatem teſtatoris perſpicuè demonſtrat. Etenim cùm tres ſunt magnitudinis gradus, quæ media eſt, minor dicitur. *princ. tit. inſt. de capit. dimin.* Mart. lib. 4. ep. 2.

Cum plebs, & minor ordo, maximuſque, ordo ſcilicèt equeſtris, qui medius erat inter plebem, & ſenatum: minimus plebs; minor, equeſtris ordo; maximus, Senatus. Qui in populo Romano minorem ordinem nominat; non plebem ſignificat, ſed ordinem equeſtrem.

CAPUT XVIII.

Ad L. Titia 38. §. ult. ff. de aur. & arg. leg.

SUMMARIUM.

1 *Duæ lectiones textûs noſtri.*
2 *Illa præferenda, quæ aliarum legum regulis non adverſatur.*
3 *Et quâ admiſſâ omnia congruunt, & optimè explicantur & n. 4.*
5 *Favor piæ cauſæ an moverit Scævolam ad ita reſpondendum.*
6 *Cauſæ piæ privilegia Scævolæ ætate pauca. Quid pietatis nomine veteres ſignificarent.*
7 *Opes apud Romanos pietati non adſcribebantur.*
8 *Iſti tractaverunt de officiis pietatis, quæ ad ſocietatem & commercia pertinent, non quæ ad cultum Deorum.*
9 *Pauperes Romæ nulli: à Republicâ frumentum plebs accipiebat. Frumentatio quid.*
10 *Congiaria quoque populo dabantur.*
11 *Favor piæ cauſæ etiam juxta Chriſtianam Religionem, non debet abducere nos à regula propoſitâ in ſuperiore. & n. 12.*
13 *Neque favor dotis.*
14 *Neque alimentorum.*

Tertium argumentum contra ſuperiorem regulam hìc adjungimus, de quo ſeparatim agere conſtituimus, quia diligentiùs eſt examinandum. Ducitur à difficillimo, controverſoque, & pleno diſſenſionis inter doctos Scævolæ reſponſo in *l. Titia teſtamento §. ult. ff. de aur. & arg. leg.* Scævola factum ita proponit. Seja teſtamento caverat, & juſſerat ab heredibus ſuis poni ſignum Dei, ex libris centum in illâ ſacrâ æde, & in patria ſtatui ſubſcriptione nominis ſui. *Quæſitum eſt, cùm in eo templo nonniſi aut area, aut argentea tantùm ſint dona: heredes Sejæ utrum ex argento, an ex auro ſignum ponere compellendi ſint: an aureum. Reſpondit ſecundùm ea, quæ proponerentur, argenteum ponendum.* Unius verbi controverſia acerrimam inter ſummos Juriſconſultos conten- 1

tionem excitavit. In quibuſdam enim codicibus legitur *aurea*, in aliis *area*. Si primam lectionem admittimus, nulla eſt hâc de re controverſia: quoniam Scævolæ reſponſum conſentaneum eſt regulæ, cùm id, quod minus eſt, legato contineatur. Itaque hoc probato plana, & certa ſunt omnia. Si ſecundam, turbulentiſſimæ tempeſtates excitantur.

2 Ego rectè ſentire arbitror eos, qui primam lectionem probant. Ea enim ſententiam continet cum omnibus aliis legibus, quas adduximus in ſuperiore, conſentientem: & regulis juris conſentaneam *l. ſemper in obſcuris. l. ſemper in ſtipulationibus in fine. l. ſemper in dubiis ff. de R. J.* Itaque ſi certò non conſtet Scævolam ab aliis legibus, & à regulis juris voluiſſe recedere, aliarum legum regulis id relictum debet intelligi. *l. præcipimus §. ult. C. de appellat.* atqui certò conſtare non poteſt, cùm lectio dubia ſit controverſa: ergo ea præferenda eſt, quæ aliarum legum regulis non adverſatur.

3 Illud etiam me maximè movet, quòd admiſſâ hâc lectione poſteriora prioribus optimè conveniant. Nam ſi legamus: *quæſitum eſt, cùm in eo templo nonniſi aut aurea, aut argentea tantum ſint dona: heredes Sejæ utrum an ex argento, an auro ſignum ponere compellendi ſint*: omnia ſunt apta inter ſe & cohærentia. In eo templo non erant niſi dona aurea, & argentea: ſequitur igitur, ut quærendum ſit, utrum argenteum, an aureum ponendum ſit: videlicet cum ex duplici materiâ conflata ſint ejus templi donaria ex auro, vel argento; utra materia ſit præferenda? argenteum ne, an aureum. Atque ita quæſitum propoſito apertiſſimè congruit. Ideò autem primò quærit de argento, vel auro nempè de materia, ex qua confecta erant ejus templi dona; ut indicet ſequendum eſſe uſum, & conſuetudinem templi, ad quam teſtatricem accommodaſſe voluntatem ſuam præſumitur. Nam ex loci conſuetudine ſumitur conjectura voluntatis. *l. ſi ſervus plurium* 50. *§. ult. ff. de legat.* 1. *l. ſemper in ſtipulationibus* 34. *ff. de R. J. l. heredes* 21. *§.* 1. *in fin. ff. qui teſt. fac. poſſint*: & in obſcuris inſpiciendum eſt, quod plerùmque fieri ſolet *l. in obſcuris* 114. *ff. de R. J.* cùm igitur in eo templo, non plerùmque, ſed ſemper ſolitum fuiſſet poni ſigna ex auro, vel argento, optimè Scævola primum inſpexit, & obſervavit, ex qua materia donaria in eo templo poni ſolerent, & de hoc primò quærendum eſſe exiſtimavit. Quoniam verò cum hâc regulâ pugnare videtur alia regula, quâ præſcribitur minimum eſſe ſpectandum: idcircò ſeparatim ſubjecit etiam *areum*, quòd multò vilius eſt aureo, & argenteo. Verùm, quia conjectura ſumpta à conſuetudine loci prævalet alteri de minimo præſtando, & hâc uti ſolemus ſolummodò illâ deficiente: *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. *l. ſemper in ſtipulationibus* 34. *ff. de R. J.* idcircò Scævola juxta hanc regulam ad id, quod in eo templo ſolitum erat, reſponſum accommodavit. Neque tamen ab alia regula receſſit, ſed utramque ſervavit, nam ex materia, ex qua ſolita erant poni ſigna, viliorem elegit; nempè argentum, quod auro vilius eſt. Hoc autem loco monendum eſt, Cujacii explicationem non poſſe defendi, qui ſupponit in eo templo triplicis materiei anathemata fuiſſe, aurea, argentea, ærea, & Scævolam elegiſſe mediam materiam. Ipſum enim erroris manifeſti convincunt illa Scævolæ verba: *nonniſi*: & *tantùm*, quæ nihil dubii relinquunt. His probè conſtitutis liquet hâc admiſſâ lectione congruere omnia, & cohærere, & eſſe ad explicandum expeditiſſima.

Quòd ſi legeris: *quæſitum eſt, cùm in templo, nonniſi area, aut argentea tantùm ſint dona, heredes Sejæ utrum ex argento, an ex* 4
auro ſignum ponere compellendi ſint, nec vincta, nec cohærens eſt oratio, nec propoſitæ rei quæſtio reſpondet. Etenim cùm propoſuerit templi dona eſſe vel ærea, vel argentea: huic propoſitioni conſequens erat, quærere primùm, an ex ære, vel ex argento ſignum ponere oporteret. Quorſum hìc de auro quærit, quod antè non nominavit? ſanè quæſtio non oritur ex propoſitione, nec ab ea pendet. Ac ſi volebat etiam aurum comprehendere, rerum ordo poſtulabat, ut deinceps ſeparatim de ſigno *aureo* quæreret,

Digitized by Google

quemadmodum de *æreo* fecit, quod adjecit poſt perfectam orationem: & quidem rectè, quia ipſum in facto propoſito non nominavit. Præſertim, quia de aureo vix ulla poterat incidere dubitatio. Primùm quia ſi nulla erant in templo dona aurea, veriſimile non eſt Sejam de ſigno aureo cogitaſſe. Semper autem in inveſtigandâ voluntate teſtatoris, quod veriſimile eſt, ſequi debemus. *l. ſemper in obſcuris* 114. *ff. de R. J. l. inſulam* 13. *ff. qui pot. in pign. l. eum qui ita* 56. *ff. de V. O. l. qui bis idem* 18. *ff. eod.* Præterea, quia, cùm Seja definiverit pondus centum librarum, non definiverit materiam, manifeſtè oſtendit voluiſſe poni ſignum ex materia, quæ erat in uſu illius templi: alioquin potuiſſent heredes etiam ligneum, vel fictile ſignum ponere, cujuſmodi erat in uſu ante devictam Aſiam, ut refert Plin. *lib.* 34. *cap.* 7. Denique quia veriſimile non eſt eam poni voluiſſe ſtatuam auream centum librarum, quæ nonniſi immenſo propè ſumptu perfici potuiſſet, nempè pluſquàm duodecim millium ſcutorum. Quamobrem ſi in templo nulla fuiſſent aurea donaria, & anathemata, ineptè Scævola principaliter in controverſiam vocaſſet, an deberet poni ſignum aureum, quod vix poterat habere dubitationem.

5 Qui legunt *ærea*, in varias ivere ſententias inextricabilibus difficultatibus implicati. Omnium magis communis eſt ſententia, id Scævolam reſpondiſſe propter favorem piæ cauſæ, quo efficitur, ut non minimum, ſed maximum debeatur. Ego autem pro certo auſim affirmare, Scævolam favore piæ cauſæ nequaquàm adductum fuiſſe ad reſpondendum contra juris regulas. Etenim de pietate nullum omninò verbum. Reſpondit ſecundùm ea, quæ proponerentur: atqui ipſe nihil propoſuit, niſi diverſitatem materiæ, ex quâ confecta erant templi donaria. Huc igitur ſpectat ejus reſponſum. Veteres J C. quando aliquid favore, & ex cauſa pietatis contra regulas juris reſponderent, id ſolent indicare: rationem enim, cur contra rationem juris reſpondeant, afferant neceſſe eſt, ne ineptè falſòque, & contra leges reſpondiſſe videantur. Pueros, & puellas alimentarias primus Trajanus inſtituit: auxit numerum Adrianus, & ut eos largiùs liberaliùſque tractaret, definivit puerilem ætatem in pueris uſque ad decimum octavum protendi, in puellis uſque ad decimum quartum: idque confirmavit Imperator Alexander. Ulpianus tamen in *l. Mela* §. 1. *ff. de alim. leg.* licèt duobus Imperatorum reſcriptis adjuvaretur, non eſt auſus id extendere ad alimenta uſque ad pubertatem relicta niſi ſubſidio pietatis adſcito: *Sed etſi generaliter pubertas non ſic definiatur, tamen pietatis intuitu in ſola ſpecie alimentorum hoc tempus ætatis eſſe obſervandum, non eſt incivile.* Vide ſi vis quàm circumſpectè, quàm reſtrictè contra regulas juris reſcripta Imperatorum extendat ad legatum alimentorum. Non aliter Julianus cauſam pietatis expreſſit, ut à regulâ juris recederet in *l. cùm is* 32 §. 2. *ff. de condict. ind.* Ipſe Imperator cauſam pietatis indicat, cum propter eam, vel minimum à jure recedit *l. in teſtamento* 38. *ff. de fideic. libert.* Ibi: *pios tamen filios debuiſſe manumittere eam, quam pater dilexiſſet.* Idem etiam innuit Juſtinianus in *l. ancillam C. de fideic. libert.* & Severus & Ant. in *l.* 1. *C. de negot. geſt.* Idem Scævola in *l. uxorem* 41. §. *codicillis ff. de leg.* 3. Ulpianus in *l.* 1. §. *quinimò ff. de ſuſpect. tutor.*

Secundò, quia Scævolæ ætate nondum 6
inoluerant tot, ac tanta piæ cauſæ privilegia, quæ poſt propagatam Chriſtianam religionem, quæ charitatis lege fundatur, introducta fuerunt partim à Chriſtianis Imperatoribus, partim à Pontificibus Maximis: potiſſimè verò à noſtris doctoribus, qui à libertate, à dote, ab alimentis exempla duxerunt, & ad pias cauſas veterum reſponſa traxerunt. Veteres pietatis nomine ſignificabant cultum, & officium, quod alter alteri exhibet adſtrictus ſummâ neceſſitudine, ſummâque conjunctione. Hinc pietas parentum in liberos *l. nec in ea* 29. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. §. *ſed ſi libertus ff. ſi quid in fraud. patron. l. ult. C. de alend. liber. l. Neſennius* 34. *ff. de negot. geſt. l. liberto* §. *quamquam ff. eod. l. alimenta C. de negot. geſt. l.* 1.

C. eod. l. 2. ff. de inoff. teſtam. Pietas fratrum inter ſe *l. ult. ff. fam. hercisc. l. alumnæ* 30. *in princ. ff. de adim. leg. l. ex duobus* 27. *in fin. ff. de negot. geſt.* Pietas erga conjunctos *l. 1. §. quin imò ff. de ſuſp. tut. l. 6. C. eod.* Pietas erga defunctos *l. parentes* 23. *ff. de his qui not. infam. l. & ſi quis* 14. *§. ſed interdùm* 7. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* Scitè, ut ſemper, Cicero *lib. 2. de invent. Pietatem appellant, quæ erga patriam aut parentes aut alios ſanguine conjunctos officium conſervare moneat.* & rurſus. *Pietas eſt, per quam ſanguine conjunctis patriæque benevolis officium, & diligens tribuitur cultus.* & in *Partit. Juſtitia erga parentes eſt pietas.* & *pro Plancio. Quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes.* Enimverò potiſſimam pietatem erga Deum eſſe cenſebant, ſed eam animi virtute collocabant in Deum propenſi. Id. Cicero *pro domo ſuâ. Nec eſt ulla erga Deos Pietas niſi honeſta de numine eorum, ac mente opinio: cùm expeti nihil ab iis, quod ſit injuſtum, atque inhoneſtum arbitrari.* & *pro Aulo Cluent. neque intelligit pietate, & religione, & juſtis precibus Deorum mentes, non contaminata ſuperſtitione, neque ad ſcelus perficiendum cæſis hoſtiis poſſe placari.* & *de nat. Deor.* 1. *Quorum ſi vera ſententia eſt, quæ poteſt eſſe pietas, quæ ſanctitas, quæ religio? hæc enim omnia purè ac caſtè tribuenda Deorum numini*
7 *ſunt.* Cæterùm opes pietati non adſcribebant. Id. Cic. 2. *de legib.* hanc primam legem ſancit. *Ad Deos adeunto caſtè: pietatem adhibento: opes amovento.* Subdit in ejus explicatione *opes amoveri jubet ſignificat probitatem gratam eſſe Deo, ſumptum eſſe removendum.* Vide reliqua. *Perſius Sat. 2. In ſancto quid facit aurum?* Hæc erat opinio ejus ſa-
8 pientum. Quantùm autem attinet ad juriſconſultos: eorum munus erat tractare de officiis pietatis, quæ ad commercia pertinent, & ad tuendam hominum inter homines ſocietatem, caritatem, felicitatem. Quamobrem de pietate, quæ in dandâ dote, in præſtandis alimentis, in dandâ libertate, in mortuis ſepeliendis *l. 1. § Sed libertus ff. ſi quis in fraud. patr. l. Neſennius* 34. *ff. de negot. geſt. l. parentes* 23. *ff. de his qui not. inf. l. & ſi quis* 14. *§. ſed interdùm ff. de relig. & ſumpt. fun. l. 2. ff. de inoffic. teſtam. l. ult. ff. fam. hercisc. l. in teſtamento* 38. *ff. de fideicom. libert. l. 1. §. penult. C. de comm. ſervo manum.* Cultus autem Deorum Pontifices curam gerebant: templa curabant Æ diles: & triumphatores plerùmque devictarum gentium ſpoliis ornabant. Nulla in his opera, ſtudiumque juriſconſultorum. Pauperes,
Romæ nulli: à Rep. enim frumentum plebs 9
accipiebat. Primus Manius Marcius Ædilis pleb. frumentum populo in modios aſſibus donavit. Plin. *lib.* 18. *cap.* 3. ſecuti ſunt exemplum alii poſteà Æ diles; deinceps Tribuni pleb. de quibus Plin. *ibid.* Livius *lib.* 4. *lib.* 31. *lib.* 60. in Epitoma, donec Claudius latâ lege frumentaria gratis dedit, ut teſtatur Aſconius in Milonianâ. Imperatorum tempore crevit frumentatio. Bellis civilibus auctus eſt frumentantium numerus uſque ad viginti & trecenta millia civium. Cæſar tamen ad centum quinquaginta retraxit. Sueton. *in Cæſar. cap.* 41. Auguſtus iterum auxit, ad ducenta millia. Dio, *lib.* 55. Rurſus videtur auctus à Tiberio, ut innuit Tacit. *lib. 6. annal. cap.* 13. Sed ad Scævolæ ætatem veniamus. Spartian. in vita Severi. *Moriens ſeptem annorum canonem, ita ut quotidiana ſeptuaginta quinque millia modiorum expendi poſſene, reliquit: olei verò tantùm, ut per quinquennium non ſolùm urbis uſibus, ſed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, ſufficeret.* Hâc frumenti copiâ quinquaginta, & quadringenta millia hominum alebantur, ſi in ſingulos quinque modii in menſes diſtribuebantur; ut de ſervis ait Seneca *epiſt.* 80. *Servus eſt, quinque modios accipit, quinque denarios.* Arbitror tamen multò plures innutritos fuiſſe: ſunt enim admodùm pauci, qui tantùm panis abſumant: pendunt enim libras circiter centum viginti, quæ plus ſatis ſuperſunt juveni robuſto, & voraci. Quid ſenes, quid mulieres, quid pueri, num indigent tam largo cibo? Planè milites, qui largiùs cibandi ſunt, ut militiæ laboribus ſufficere poſſint, quatuor tantùm modios menſtruos accipiebant, & cùm panis pro frumento dari cœpit, trilibres panes diſtri-

Digitized by Google

buebantur; quia in gradibus diſtribuebantur, ideò panes gradiles dicebantur, de quibus in C. Theod. *de annon. civic. & pan. gradil.* Frumentum autem per teſſeras frumentarias diſtribuebant, quæ in commercio erant, vendique & legari poterant; nec globus ille ligneus venditione aut legato continebatur, ſed quantitas, & æſtimatio rei, quam quis teſſerâ illâ conſequi poterat. *l. mortuo* 49. §. 1. *l. Titia Sejo* 87. *ff. de leg.* 2. *l. ſed etſi* 52. §. 1. *ff. de judic.* His autem teſſeris oleum etiam populo plerùmque præbebatur, maximè ad uſum balnei. Vide Liv. *lib.* 25. Sueton. in *Cæſar. cap.* 38. *Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diviſit, & hoc ampliùs centenos pro mora.* Videndus etiam Spartian. in *Severo*, cujus verba ſuprà retulimus: & Lamprid. in *Alexandro.* Sueton. in *Nerone cap.* 11. ubi etiam de veſte, auro, argento &c. De Tito idem ſcribit Xiphilin. in Epitom. Dion. Frequentiſſimus autem erat jactus miſſilium: Adde congiaria, quæ populo largiebantur.
10 Sueton. in *Auguſto. Congiaria populo frequenter dedit, ſed diverſa ferè ſumma, modò quadragenos, modò tricenos, nonnumquam ducenos quinquagenoſque nummos: ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis nonniſi ab undecimo ætatis anno accipere conſueſſent.* Pueris, puelliſque ſubvenit Trajanus, qui ad quinque millia ali juſſit. Plin. in *Panegyr.* Multos adjecit Adrianus: Antoninus Pius Fauſtinianos, & Fauſtinianas adjunxit. Marcus & Verus pueros, & puellas novorum nominum frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt. Alexander Mammæanas, & Mammæanos inſtituit. Adrianus pro Veri adoptione ter millies exercitui populoque dependit. Omitto alia: ſatis enim ex his conſtat nullam tùm temporis cauſam fuiſſe tot privilegia introducendi favore piæ cauſæ atque adeò graviter errare, qui hæc referunt ad J C. veteres.

11 Tertiò, quia ipſe Pontifex Maximus Innocentius III. decrevit, favorem piæ cauſæ non eſſe tanti momenti, ut nos abducat à propoſita regula, & ab Eccleſia minorem ſummam eſſe exigendam in *cap. ex parte* 18. *de cenſib.* Cui poterit eſſe perſuaſum, piæ cauſæ favorem tantùm apud Scævolam valuiſſe, qui nullum habuit momentum apud Pontificem?

Quidam, qui pro certo habent Scævolam 12
ita ſcripſiſſe, & templi favore & divini cultûs adductum, eò confugiunt: Scævolam reſpondiſſe de eo, quod debetur Eccleſiæ: Pontificem de eo, quod debebatur perſonis Eccleſiaſticis. Sed hæc diſtinctio non convenit facto: nam ex voto regis Ranemiri, quod refert Gonzal. ad explicationem hujus capit. conſtat regem donaſſe D. Jacobo, & ejus Eccleſiæ. Ibi: *deliberavimus ſtatuere Patrono, & Protectori noſtro beatiſſimo Jacobo donum aliquod in perpetuum permanſurum.* & infrà. *Hæc omnia donativa vota, & obligationes (ſicut ſuperiùs diximus) per juramentum nos omnes Chriſtiani Hiſpaniæ promiſimus annuatim Eccleſiæ B. Jacobi &c.* & rurſus. *Et ea, quæ ad honorem tuum (pater Omnipotens) B. Jacobo Apoſtolo tuo dedimus, & offerimus de eis, quæ per te (ipſo opitulante) acquiſivimus nobis, & ſucceſſionibus noſtris proficiant ad ſalutem animarum.*

En! Oblatio facta B. Jacobo ad honorem Dei, & remedium animarum. Futilis eſt etiam illa diſtinctio, quia magis colitur & honoratur Deus per ſacerdotes, qui preces, qui vota fidelium, qui ſacrificia pro peccatis offerunt Deo, quàm per muta, atque inania ſigna, quæ os habent, & non loquuntur: nec quiſquam, ut puto, arbitratur, minùs coli Deum in Eccleſiis Cappucinorum, in quibus nihil eſt auri atque argenti, quàm in aliis ſplendiſſimis auro, argentoque: aut eorum ſacrificia Deo minùs eſſe grata, quòd offerantur ſub paupere tecto.

Opponunt *l. nuptura* 57. *ff. de jure dot.* 13
Sed ea nihil ad rem noſtram. Neque id ſtatuitur ob privilegium dotis, ſed propter propriam verborum ſignificationem, à quâ recedendum non eſt, niſi conſtet de contrariâ voluntate proferentis. *l. non aliter* 69. *ff. de legat.* 3. Filiusfam. ex omnibus cauſis, excepto mutuo, obligatur tamquàm pa-

Digitized by Google

terfam. *l. filiusfam.* 39. *ff. de obl. & act. l. tam ex contractibus* 57. *ff. de jud. l.* 3. §. *is autem ff. ad S C. Maced.* Itaque verè, atque propriè debet. Quocircà, cum mulier doti eſſe jubet, quod ſibi filius debet, ſecundùm verborum ſignificationem doti eſſe debet omnis pecunia, in quam filius obligatus eſt: debet enim non ſolùm eam, ad quàm pater tenetur de peculio, vel de in rem verſo, ſed omnem, quâ pariter eſt obligatus. Præterquàm quòd duci non poteſt argumentum à dote ad noſtram quæſtionem: nam dotium cauſa ad publicam utilitatem pertinet *l.* 2. *ff. de jur. dot.* nihil autem Reip. intereſt, argenteæ, an aureæ ſtatuæ ponantur in templo. Religionis quidem maximam curam habebant Romani, ſed ſacrificia, ſupplicationes, lectiſternia, publicâ auctoritate decernebantur. Enimverò nuſquàm ſcriptum eſt horum legatorum cauſam ſemper, & ubique præcipuam eſſe, quod de dote traditum in *l.* 1. *ff. ſol. matr.*

24 Opponunt etiam *l. libertis* 18. §. *poſthumi ff. de alim. leg.* Sed illud reſpondit Scævola ex veriſimili mente teſtatoris, quem credi non poteſt voluiſſe adimere tertiam partem alimentorum ſervis illis, quos manumiſerat, & adeò dilexerat, ut præter alimenta, etiam pecuniam legaverit; adeò ut non habeant amplius, undè ſe alant. Non movetur igitur Scævola favore alimentorum, ſed à veriſimili argumento, quòd etiam legata ex ſubſtitutione integra præſtanda eſſe dixit, in quibus non continebantur alimenta. Porrò ſummus Pontifex in *d. c. ex parte de cenſib.* neque favore alimentorum, quæ præſtanda erant canonicis ex voto regis: neque favore piæ cauſæ, & Eccleſiæ, potuit abſtrahi ab obſervanda regula, quam defendimus. Imò nec propter ſalutem animarum receſſit ab hâc regula. Licèt Rex in donatione etiam hanc cauſam expreſſerit, tamen S. P. minorem menſuram præſtandam eſſe reſpondit. Quod maximè notandum, quia D D. noſtri in hujuſmodi quæſtionibus eam magnifice jactant, & exaggerant: eâque ſolâ plerùmque nituntur.

CAPUT XIX.

Ad L. ſi pluribus 73. verſ. ſcilicet ff. de leg. 1. & aliàs.

S U M M A R I U M.

1 *Si appareat teſtatorem utrique legatario ſolidum dare voluiſſe, tunc alteri res præſtanda eſt, alteri æſtimatio.*
2 *Legato duobus uſufructu interdùm unus totum percipit.*
3 *Conciliatur L. Et Proculo 20. ff. de leg. 1. cum L. 1. §. 1. ff. de uſufr. accreſc. & n. 4. 5.*
4 *Faciliùs admittitur jus accreſcendi in uſufructu, quàm in proprietate.*
6 *In legato quantitatis totum legatum interdum percipit uterque legatarius.*
7 *Si appareat teſtatorem primo voluiſſe adimere id, quod ſecundò legavit, totum ſecundo debetur.*
8 *Legatum per damnationem disjunctim relictum utrique totum debebatur; uni quidem res ipſa, alteri vero æſtimatio.*
9 *Legatum relictum duobus, quorum unus acquirere non poſſit, uni totum debetur.*
10 *Quod legatum non eſt nullum, ſed valet in perſona capere valentis, & trahit ad ſe alteram partem. & n. 11.*
12 *Afferuntur textus, quibus probari videtur legatarii non accipientis partem, alteri non accreſcere & n. 16.*
13 *Et in iis agitur de legato per damnationem, in quo non habebat locum jus accreſcendi*
14 *Explicatur L. plane 34. §. ſi conjunctim ff. de leg. 1.*
15 *Res aliena per vindicationem relinqui non poteſt.*
17 *Verba, quæ ad hæredem diriguntur, propria ſunt legati per damnationem.*
18 *Exponitur L. ſi duobus 16. ff. de leg. 1.*

EXplicandum ſupereſt, quid juris ſit, cùm pluribus eadem res legatur. Quoties pluribus eadem res legata fuit, omnibus pro parte debetur: aliquando tamen totâ vel omnibus, vel uni tantummodò.

Primùm, ſi appareat utrique ſolidum da- 1
ri voluiſſe teſtatorem: quo caſu alteri res; alteri præſtanda eſt rei legatæ æſtimatio, electione rei, vel pretii, ſervanda ei, qui prior litem conteſtatus eſt. *l. ſi pluribus* 33. *verſ ſcilicèt ff. de leg.* 1. *l. nunc* 21. §. 1. *ff. de leg.* 3. *l. un.* §. *ubi autem* 11. *verſ. hoc autem*

tem. C. de caduc. toll. Hoc autem non admittitur niſi teſtator apertiſſimè, & expreſſim diſpoſuerit *d. l. un. & d. l. ſi pluribus* 33. apertiſſimè autem, & expreſſim videtur diſpoſuiſſe, veluti ſi dixerit, *Titio, & Mævio ſingulos ſervos do, lego*: vel quod clarius eſt: *Titio ſervum do, lego, Mævio alterum ſervum do, lego, l. hujuſmodi* 84. *§. penult. ff. de leg.* 1. Idem igitur erit dicendum, ſi fundi partem borealem uni legaverit, auſtralem alteri: nam licèt unus ſit fundus, tamen teſtatoris deſtinatione duo fundi eſſe incipiunt *l. rectè dicimus ff. de V. S. l. ſi quis duas §. 1. ff. commun præd.* ubi idem in ædibus diviſis: quamobrem non ſunt conjuncti hi neque re, neque verbis, ſed uterque conſequitur ſuum fundum, ſuas ædes, neque uno deficiente pars vacans alteri accreſcit. Longè aliter ſe res habet in legato uſusfructûs: nam ſi Titio fundus, Mævio uſusfructus legatus fuerit: Mævius non habet integrum uſumfructum totius fundi, ſed dimidium tantummodò: Titius autem & totum fundum & dimidium uſusfructûs conſequetur *l. ſi tibi de em* 6. *ff. de uſufr. ear. rer.* Hoc ideò, quia cui legatur fundus, non nuda proprietas, ſed proprietas cum uſufructu legatur: ea propter utrique tam Titio quàm Mævio legatus eſt uſusfructus, atque adeò debet communicari *l. ſi alii* 19. *ff. de uſufr. leg.* Dimidium quoque uſusfructûs habet is, cui legatus eſt uſusfructus, ſi fundus duobus legatus fuerit *l. Sempronius* 26. *§. ult. ff. eod. l. ſi proprietas* 9 *ff. de uſufr. accreſc.* Siquidem duobus illis legatus ſit fundus conjunctim; quia tunc pro una perſona habentur, & unius poteſtate funguntur *l. planè* 14 *in princ. ff. de leg. 1. l. un. § his ita definitis verſ. Hoc ita tam C de caduc. toll.*

2 Secundò totum legatum percipit legatarius interdùm in legato uſusfructûs, etiamſi ille duobus fuerit legatus, & uterque in eo concurrerit. Finge, relictus eſt uſusfructus ſervo communi: unus ex dominis, cui jam acquiſitus erat pro parte dominicâ, illum amittit, totus pertinet ad alterum dominum *l. 1. §. 1. ff. de uſufr. accr.* Rurſùs, legatus eſt duobus uſusfructus, uterque legatum agnoſcit, alter tamen poſteà eum amittit; totus ad alium pertinet, nec pars vacans ad proprietatem revertitur *eâd. l. 1. §. interdùm.* Atque hoc ideò placuit, quia uſusfructus quotidiè conſtituitur, ac legatur, non autem ſemel, ut proprietas: proindè cum amittitur ab altero ex collegatariis, alteri pars ejus accreſcit, quemadmodùm accreſceret, ſi ab initio repudiaſſet, aut acquirere non potuiſſet *d. §. interdùm.* Eâdem ratione fit, ut, ſi legatarius rogatus fuerit uſumfructum ſibi legatum Titio reſtituere, & Titius poſt factam ſibi reſtitutionem moriatur, uſusfructus ad legatarium revertatur, eumque obtineat, perindè ac ſi Titius mortuus antè fuiſſet *l. ſi quis Titio* 17. *ff. de leg.* 2.

Contrarium tamen in legato relicto ſervo 3
communi reſpondit Celſus de patris ſui ſententiâ atque auctoritate in *l. & Proculo* 20. *ff de leg.* 2. ubi legatum ſervo communi relictum, uno ex dominis omittente alteri non accreſcere aſſeverat; idque confirmat auctoritate Proculi, Celſique patris ſui. Julianum à Celſo, & Proculo diſſenſiſſe non eſt ambigendum: ut potè qui erat ſectæ contrariæ Proculejanis. Certiſſimo eſt argumento, quòd refutat, ac rejicit rationem, quâ Celſus movetur ad fundandam ſuam opinionem. Celſus in hâc lege ait: *non enim conjunctim, ſed partes legatas. Nam ambo ſi vindicarent, eam quemque legati partem habiturum, quam in ſervo haberet.* Reſpondet huic rationi Julianus in *l. 1. §. 1. ff. de uſufr. accreſc. & licèt dominis uſusfructus non æquis partibus, ſed pro dominicis acquiratur, tamen perſonâ ejus, non dominorum, inſpectâ, ad alterum ex dominis pertinere, non proprietati accedere.* Rectè ſanè: perſona ſervi ſpectanda eſt, non dominorum: legatum enim ſervo datum eſt ipſius ſervi contemplatione *l. ult. in fin C. de uſufr.* Et ſanè quid refert, an legatum æquis partibus, an pro dominicis acquiratur? Partes non à teſtatore diſtributæ ſunt, ſed à lege per acquiſitionem. Itaque ſi unus ex legatariis ſocii partem redemiſſet, non ſcinderet legatum,

Digitized by Google

ſed in ſolidum alterius partis emptori acquireretur. Quamobrem inſpicienda eſt perſona ſervi, cui legatum relictum eſt: quâ inſpectâ nulla poteſt major, & fortior excogitari conjunctio. Unus enim, & idem eſt legatarius, unus, & idem fundus legatus. Et quamvis non videatur eſſe locus juri accreſcendi, quod non poteſt eſſe in una eademque perſona: tamen licèt ſervus ſit unus, ratione dominorum quaſi duo ſervi ſunt *l. ſi fundum* 81. §. 1. *de leg.* 1. Atqui ſcinditur inter dominos pro partibus dominicis. Quid tum? etiam legatum disjunctim, aut conjunctim relictum concurſu utriuſque legatarii ſcinditur: num idcircò pars vacans alteri non accreſcit? *l. un. §. ſin verò C. de caduc. toll. l. re conjuncti* 80. *ff. de leg.* Quid autem intereſt in partes æquas an in dominicas dividatur? Imò nec dividitur quidem altero ex dominis omittente legatum; ſed totum ad alterum pertinet; & quidem ex tacita voluntate teſtatoris. Qui enim ſervo legat, quem ſcit ſibi ipſi acquirere non poſſe, ſed neceſſariò ex diſpoſitione legis domino acquiſiturum, utique conſentit, dominis ejus, vel domino, quicumque is fuerit, acquiri legatum. Argumento eſt, quòd ſi ſervus duorum ſtipuletur, & alter ex iis non poſſit acquirere: alteri totum acquiritur *l.* 1. §. *communis l. item ſi* 9. *in princ. ff. de ſtip. ſervor.* Præterquàm quòd ſervus duorum communis in acquirendo duorum ſervorum perſonam ſuſtinet *d. §. communis.* Quid ni pars unius perſonæ accreſcat alteri? Poteſt ne quiſquam conjunctior eſſe alteri, quàm ipſe ſit ſibimetipſi? Optimè igitur ait Julianus: ***tamen perſonâ ſervi, non dominorum inſpectâ ad alterum ex dominis pertinere.*** Quid multa? Non dubito Juliani ſententiam eſſe veriſſimam.

4 Verumtamen, quia defendere tenemur nihil in jure noſtro eſſe contrarium, & leges legibus non diſcordare; complurium facilis eſt, & expedita concordia: videlicèt Julianum agere de legato uſusfructûs: Celſum de legato proprietatis. Faciliùs autem admittitur jus accreſcendi in uſufructu, quàm in proprietate. Etenim in uſufructu pars etiam acquiſita, & poſteà amiſſa accreſcit, non verò in proprietate *l.* 1. §. *interdum ff. de uſufr. accr.* Item uſusfructus accreſcit etiam non habenti partem, quia accreſcit perſonæ non rei, *l. interdùm* 10. *ff. eod. l. ſi Titio* 33. *in fin. ff. de uſufr.* Secus proprietas *l. ſi totam* 83. *ff. de acquir. hæred.* Vir doctus imprimis, Merillius in *Paradox. de jur. accreſc. cap.* 11. aliam affert differentiæ rationem; ſcilicèt, quòd uſusfructus perſonæ accreſcit, proprietas rei: laudatis modò *ll.* Ego neutram probo: nam ratio, cur legatum uſusfructûs communi ſervo relicti uno ex dominis omittente accreſcat alteri, tradita à Juliano, & Ulpiano longè diverſa eſt; nec à natura uſusfructûs deducitur, nec à diſcrimine inter uſumfructum, & proprietatem. Ratio enim quam afferunt, ea eſt, quòd ſpectanda eſt perſona ſervi, cui relictum eſt legatum, non verò perſona dominorum, aut æqualitates, vel inæqualitates partium, ut Celſus aïebat.

Quòd ſi cuipiam religioni ſit dicere, Julia- 5
num à Celſo diſſidere, nullamque eſſe differentiam inter legatum uſusfructûs ac proprietatis: commodè, ac non ineleganter, ut mea fert ſententia, poterit Julianum Celſo, & legi legem ita conciliare. Julianus non reprobat rationem allatam à Celſo, quòd dominis legatum non ſit pro æquis partibus relictum, ut fieri ſolet in his, qui verbis conjunguntur: habent enim partes inæquales; eaſque non aſſignat ipſis teſtatoris diſpoſitio, ſed ratio dominicæ portionis, quam ſinguli habent in ſervo. Quapropter domini conjuncti non ſunt, non re, quia ipſis non eſt legatus fundus, ſed legatus eſt ſervo; non verbis, quia illos teſtator verbis non conjunxit, cùm eorum nullam mentionem fecerit: ſequitur igitur, ut non habeant jus accreſcendi. Hanc, inquam, rationem Celſi, non impugnat Julianus, ſed ait, quòd licèt illi habeant legatum, non pro æquis partibus aſſignatis à teſtatore, ſed pro dominicis, quas ipſis tribuit ratio dominii, tamen hoc in uſufructu non impedit, quominùs uno omittente, totum ad alterum pertineat. In uſu-

Digitized by Google

fructu enim ſpectanda eſt perſona ſervi, non dominorum. Quid ita? quia, ut explicat infrà Ulpianus, uſusfructus quotidiè legatur, & conſtituitur. Idque affirmat de ſententia ipſorum Juliani, & Celſi. Credendum igitur eſt, nec Celſum in legato uſusfructûs aliter fuiſſe reſponſurum. Quoniam ſi uſusfructus conſtituitur tunc, cùm ille repudiat, nulla cauſa eſt, cur non totus alteri acquiratur, qui neminem invenit, qui ſecum concurrat *d. §. interdùm in fin.* Quòd autem Julianus ſpeciatim agat de legato uſusfructûs, non de legato in genere, de quo Celſus; conſtat ex verbis *d. §. 1.* Ibi: *& licèt dominis uſusfructus non æquis partibus, ſed pro dominicis acquiratur &c.* quaſi dicat: licèt proprietas non accreſcat, quia non æquis partibus &c. tamen uſusfructus accreſcit eâ ratione, quàm diximus, ob quam differt à proprietate, quod notat mox Ulpianus in *d. §. interdùm in fin.* Ea propter à vero alienum non puto, quod viri doctiſſimi exiſtimarunt, etiam legatum proprietatis, altero ex dominis repudiante, vel omittente, totum alteri acquiri: ſi non jure accreſcendi, ſaltem vi dominicæ poteſtatis, ex his, quæ tradita ſunt in *l. 1. §. communis* & in *l. proindè 7. in fin. cum duabus ſeqq ff. de ſtipul. ſerv.* Ibi: *quòd cùm alteri ex dominis acquirere non poteſt: id ad eum, qui ad obligationem admittitur, pertinet,* & *l. ſi communis 17. ff. eod. & §. ult. in fin. inſt. eod. l. Plautius 49. in princ. verſ. communi ff. ad leg. Falcid. l. verum 63. §. ſi ſervo 9. ff. pro ſoc.*

6 Tertiò, totum & integrum legátum aliquando percipit uterque legatarius in legato quantitatis. Si legentur Titio, & Mævio decem; utrique ſingulis quina debentur *l. ſi quis teſtamento 79. ff. de leg. 1. l. planè 34. §. ſed ſi non corpus ff. eod. l. eum qui 56. in princ. ff. de V. O. l. cùm Stichus 29. in fin. ff. de ſolut.* Nam quamvis ſumma omnibus ſit adſcripta, enumeratione tamen perſonarum videtur eſſe diviſa. *l. cùm fundus 56. verſ. nam quamvis ff. de cond. & dem.* Contrà ſi quis legaverit Titio, & Mævio dena, vel quina, utrique integra ſumma decem, vel quinque debentur. Nam quina, dena, centena, vim habent multiplicandi ſummam, non dividendi: & *quina* ſignificant ſingulis quinque: *dena* ſingulis decem: *centena* ſingulis centum: & reliqua ejuſmodi; ut rectè notat Valla *elegant. lib. 3. c. 5.* & omnes veteres Grammatici. Atque in hâc ſignificatione uſurpant hæc verba noſtri Juriſconſulti, ut in *l. ult. verſ. cùm deberet ff. de tribut. act.* in *l. cùm duos 25. ff. de cond. ind. & l. ſi duos 47. ff. de evict. l. libertis 15. ff. de oper. libert.* Eamdemque vim habent etiam, quoad tempus *l. 3. in prin. ff. de an. legat. l. ſi ita ſtipulatus 126. in princ. ff. de V. O.* Probè errat Accurſius, & cum eo alii nonnulli, qui putant quina ſignificare decem, dena viginti &c. Quina ſignificant quinque, dena decem: ſed toties multiplicata, quot ſunt perſonæ, vel anni, ad quos referuntur: decem ſingulariter accipiuntur: dena multipliciter: decem diſtribuuntur, ac dividuntur juxta numerum perſonarum, & annorum: dena multiplicantur. Itaque illa numquam excedunt numerum deſignatum: hæc aliquando viginti, triginta, &c. complectuntur. Ad propoſitum pertinet, quod à Labeone traditum fuit in *l. qui quatuor 30. ff. de leg. 3. qui quatuor pocula oleaginea habebat, ita legavit: pocula oleaginea paria duo: reſpondi unum par legatum eſſe, quia non ita eſſet: bina paria; neque ita: poculorum paria duo. Idem, & Trebatius.* Vide quàm addicti eſſent grammaticorum regulis veteres Juriſconſulti, ut voluntates vivorum, ac defunctorum interpretarentur rectè, & ad veritatem, quod hodiè vix poteſt ſervari, quoniam illi, qui teſtamenta ſcribunt, aut contractus, ſunt latini ſermonis expertes, & imperiti. Idem dicendum eſt, ſi quis ſeparatim legaverit decem. *Titio decem lego: Mævio decem lego.* Non enim legat utrique eadem decem, qui ita disjungit, ac ſeparat legatarios, ſed alia decem: ſcilicet Titio una decem: Mævio altera decem: unicuique decem. Si voluiſſet una decem tantummodò legare inter eos dividenda, conjunctim legaſſet utrique, non ſeparatim unicuique decem aſſignaſſet, ac ſummam multiplicaſſet, eam in utriuſque legato repetens.

7 Quartò, ſi appareat teſtatorem primo adimere voluiſſe, quod ſecundo legat, & in eum trans ferre, quod primo legaverat, veluti: quod Titio legavi, Sejo do, lego. *l. ſicut* 5. *ff. de adim. leg.* Verumtamen ex veriſimili mente teſtatoris, ſi generali ſermone tranſlatum ſit; ſi non in ſpecie id, quod primo legavit, ſecundo leget; non creditur voluiſſe transferre, ſed in eadem re utrumque conjungere. Ut in *l. uxorem* 41. §. *feliciſſimo* 3. *ff. de leg.* 3. *l. ſervis* 99. *in fin. ff. eod.* Item ſi quòd uni legaverat, poſteà repetat, & primo ſecundum adjungat: ut in *l. quid ergo* 53. §. 1. *ff. de leg.* 1.

8 Quintò, jure veteri ſi legatum erat disjunctim per damnationem, utrique totum legatum debebatur: ſcilicèt uni res, alteri æſtimatio. Ulpian. in *fragment. tit.* 24. *de legat.* §. 12. & 13. Cajus *inſt. lib.* 2. *tit.* 5. §. 5. Paul. *lib.* 3. *ſentent. tit.* 8. *de legat.* §. 2. & innuit Juſtinianus in *l. un.* §. *Ubi autem verſ. in uno tantum C. de caduc. toll.* Et hæc erat differentia inter legatum damnationis, & vindicationis, ut notat Cajus eo loco. In utroque quidem legato utrique ſolidum initio debetur ſpectatis verbis teſtatoris, quibus utrique totum relinquit: ſed in legato vindicationis utroque legatario concurrente partes fiunt, & alter ab altero viciſſim partem abſtrahit *l. un. d.* §. 11. *verſ. ſin verò C. de caduc. toll.* In legato vero per damnationem non ſolum utrique ſolidum debebatur, ſed uterque ſolidum conſequebatur, neque concurſu partes fiebant. Quamobrem nihil cauſæ eſt, cur cum Cujacio locum Ulpiani emendemus, ubi ait: *ſi duobus eadem res per vindicationem legata ſit, ſiquidem disjunctim, ſingulis in ſolidum debetur*, & reponamus *ſingulis partes debentur.* Eſt hoc contra Juſtinianum in *l. un.* §. *ſin verò cum ſeq. C. de caduc. tollend.* Debetur igitur utrique in ſolidum res disjunctim legata, ſed legatum per damnationem concurſu non minuebatur, nec alter ab altero partem abſtrahebat, ſicut in legato per vindicationem. Idque ideò, quia in hoc legato dominium rei legatæ, etiam ſine ullo facto heredis, ſola vi, & poteſtate legis tranſibat in legatarium *l. legatum* 80. *ff. de legat.* 2. *l. à Titio* 64. *ff. de furt.* non poterat autem totius rei dominium in utrumque tranſire, cum duo domini in ſolidum eſſe non poſſint *l. duo* 19. *in princ. ff. de precar. l. ſi ut certo* 5. §. *fin. ff. commod. l. poſſidere* 3. §. *ex contrario ff. de acq. poſ.* propterea nec poterat ab utroque res legata in ſolidum vindicari, quæ hujus legati erat actio propria. In legato autem per damnationem non tranſibat dominium, niſi facto heredis, nec dabatur rei vindicatio, ſed actio in perſonam, quæ naſcebatur ex obligatione heredis, quàm contraxerat adeundo, cum utroque legatario in ſolidum: res enim poteſt duobus deberi. Sed hæc omnia mutata ſunt à Juſtiniano, qui in *d. l. un.* ſtatuit omnia legata induere naturam legati per vindicationem, ſublata quacumque legatorum differentia.

Sextò, ſi legatum ſit duobus, quorum 9
unus tantum poſſit capere legatum, totum ad eum pertinet. Veluti ſi legatum ſit Titio, & poſthumo, poſthumo non nato totum Titio acquiritur *l. ſi duobus* 16. §. *ult. ff. de leg.* 1. *l. utrum* 7. *ff. de reb. dub.* vel ſi legatum ſit Titio & heredi. *l. planè* 34. *ff. de leg.* 1. *l. legatum* 116. §. 1. *ff. de leg.* 1. vel ſervo communi *l. Plautius* 45. *in princ. verſ. communi autem ff. ad Leg. Falcid.* vel conjunctus non impleat conditionem *l. ſi tibi* 10. *ff. de leg.* 3. *l. ſi ſervo* 31. §. 1. *ff. de ſtatulib.* vel ſi quis ſibi, & Titio legatum adſcripſerit. Paul. *lib.* 3. *ſentent. tit.* 6. §. 14. vel ſi ſervo communi ſine libertate legetur, totum enim adſocium pertinet *l. verum* 63. §. *Si ſervo ff pro ſoc.* Verumtamen ſi ſervo communi ſcribentis, & alterius, legatum fuerit adſcriptum, inutile omnino eſt; quia lege Cornelia quaſi falſum nomen ſervi ſubducitur; quo ſubducto in nullius perſona poteſt conſiſtere legatum *l. filius* 14. §. *ſequens ff. ad leg. Cornel. de falſ.*

Sed contrarium videretur dicendum, 10
quia ejuſcemodi legata pro non ſcriptis habentur: & nulla ſunt *l.* 1. 3. & 4. & 5. *ff. de his, quæ pro non ſcript. hab.* ſicut nulla ſunt ea, quæ lege prohibente facta fuerunt *l. non dubium C. de legib.* Atqui quod nul-

lum eſt, nullum parit effectum, quia non entis nullæ ſunt qualitates *l. ejus qui* 41. *ff. de reb. cred. l. denique* 4. *in fin. ff. de injuſt rupt.* Non poteſt igitur legatum pro eâ parte qua nullum eſt, quicquam juris tribuere conjuncto.

11 Nihili eſt hoc argumentum. Legatum non eſt nullum; cùm enim valeat in perſona conjuncti, pars, quæ ad ipſum pertinet, ad ſe trahit partem vacantem, quam alter capere, aut non poteſt, aut non vult. Imò pars vacans ipſa per ſe accreſcit parti non vacanti, ſicut alluvio accreſcit fundo *l. ſi Titio* 33. *in fin. ff. de uſufr.* Amplius in conjunctis re & verbis, aut re tantum, totum habet uterque ab initio, & ſolum concurſu ſcinditur legatum, & partes fiunt §. *ſi eadem* 8. *inſt. tit. de legat. l.* 3. *ff. de uſufr. accreſc. l. planè* 34. §. *ſed ſi* 10. *ff. de leg.* 1. *l. conjunctim* 80. *ff. de legat.* 3. *l. ſi Fortidianum.* 7. *C. de legat.* Quocirca ſi collegatarius non concurrat nec abſtrahat partem à conjuncto, habet ſolidum legatum, quod ei à teſtatore datum ex *d. l. conjunctim* 80. *ff. de leg.* 3. *l. un. verſ.* 11. *ſin verò.* ibi: *partes à priore abſtrahentibus C. de caduc. toll.* Conjunctus igitur non habet partem vacantem à conjuncto, in cujus perſona irritum eſt, nullumque legatum; ſed à voluntate teſtatoris ex diſpoſitione legis, & ipſius natura legati.

12 Contrarium tamen multis in legibus videntur reſpondiſſe veteres Juriſconſulti. Primum Pomponius in *l. ſi duobus* 16. *in princ. ff. de leg.* 1. *Si duobus res conjunctim legata ſit, quamvis alter in rerum natura non fuerit, alteri ſolam partem deberi puto verum.*

2. Ulpianus in *l. plane* 34. §. *ſi conjunctim ff. eod. ſi conjunctim duobus res legetur, conſtat partes ab initio fieri: nec ſolum hi partem faciunt, in quorum perſona conſtitit legatum: ſed etiam hi quoque, in quorum perſona non conſtitit legatum; ut puta ſi Titio, & ſervo proprio ſine libertate.*

3. Marcellus in *l. hujuſmodi* 84. §. *Si Titio, & Mævio* 8. *ff. eod. Si Titio, & Mævio legatus fuerit Stichus, qui Titii erat, debebitur pars Stichi Mævio: nam Titius, quamvis ad legatum non admittatur, partem faciet.*

4. Paulus in *l. ſi Titio* 7. *ff Titio de leg.* 2. *Si, Titio & ei qui capere non poteſt, decem legata ſint: quia duobus heres dare damnatur, & unus capere non poteſt: quinque ſola Titio debentur.*

5. Scævola in *l. ult.* §. *Sejo* 2. *ff. eod. Sejo ſi mihi heres non erit, & uxori ejus Marcellæ argenti libras quindecim dari volo: quæro, cum Sejus heres extiterit, an Marcellæ legati dimidia portio debeatur: reſpondi, ſecundum ea, quæ proponerentur, deberi.*

6. Papinianus in *l. mulieri, & Titio* 74 *ff. de cond. & dem. Mulieri, & Titio uſusfructus, ſi non nupſerit mulier, relictus eſt. Si mulier nupſerit, quamdiu Titius vivit, & in eodem, ſtatu erit, partem uſusfructus habebit.*

Sequioris ſæculi interpretes, quo tempore nondum in lucem prodierant Caji inſtitutiones, & Ulpiani fragmenta, ut veteres juriſconſultos cum Juſtiniano, & inter ſe conciliarent, multa acutiſſimè excogitarunt, ſed pleraque commentitia, & à veritate prorſus aliena, quæ non eſt operæ pretium confutare: licèt in foro malint eorum errores perſpicuæ veritati anteponere. Diſſidium Juriſconſultorum oritur non à diverſitate opinionum, ſed à differentia legatorum per damnationem aut vindicationem. In legatis per damnationem non erat jus accreſcendi. Nam ſi disjunctim legatum erat duobus uterque ſolidum habebat, ut paulo ante expoſuimus. Si conjunctim pars vacans non conjuncto accreſcebat, ſed manebat penes heredem. Ulpian. in *fragment. tit.* 24. § 13. *Si per damnationem eadem res duobus legata ſit; ſiquidem conjunctim, ſingulis partes debentur, & non capientis pars jure civili in hæreditate remanebat. Jure civili*; inquit, quia lege Papia caduca fiebat, & fiſco deferebatur. Quocirca ſi alter ex legatariis capere non poterat, ejus pars ante legem Papiam penès heredem manebat, poſt legem Papiam fiſco deferebatur, latè proſequitur Juſtinianus in *l. un. C. de caduc. tol.* His præmiſſis indubitatum videtur in oppoſitis legibus J C. gegiſſe de legato per damnationem. Et quidem in plerîſque id eſt certiſſimum. 13

De ſecundo, tertio & quarto res eſt perſpicua. In ſecundo Ulpianus in *d. l. planè* 14

ait, quòd ſi conjunctim res duobus legata ſit, conſtat initio partes fieri. Atqui non conſtat niſi in legato per damnationem: ut modo probavimus ex ipſius Ulpiani verbis. Etenim in legato per vindicationem concurſu partes fiunt, ut ait idem Ulpianus in *d. tit.* 24. *de legat.* §. 12. & 13. ubi exponit differentiam inter utrumque legatum: & idem Ulp. in *l. idem Neratius* 4. *in princ. ff. de uſufr. accreſc.* & Celſus in *l. conjunctim* 80. *ff. de leg.* 3. & Cajus in *l. utrum ff. de reb. dub.* Qui conferet locum Ulpiani in fragmentis cum noſtrâ *l. planè* non poterit dubitare in hoc §. Ulpianum agere de legato per damnationem. Quocirca miror clariſſimum virum, qui præ omnibus luculentiſſimè doctiſſimèque ſcripſit, huic interpretationi non acquieſcere leviſſima conjectura ſeductum. Ait enim quòd in §. *ſequenti* agit Ulpianus de legato per vindicationem: ergo & in antecedenti fallax, & nullius roboris argumentum, quo ſi uti liceret, infinita propemodum falſa in jure noſtro deduci poſſent. Idem Ulp. in *fragm. in* §. 12. agit de legato per vindicationem: in §. *ſeq.* de legato per damnationem. Lege, ſi vis, principium hujus legis, & intelliges, quàm fallax ſit hæc conjectura: nam quod ibi ſubjicit poſt verba: *at ſi*: nihil pertinet ad id, quod antea dixerat. Eâdem particula utitur in §. *ſequente* §. *conjunctim.* Ibi: *Sed ſi duobus*, quæ particulæ denotant diverſitatem tum facti, tum juris. At, inquit, retinendum eſt idem thema. An verò non retinetur, cùm in utroque §. agatur de legato, in quo unus ex conjunctis initio partem tantummodò conſequi poteſt? Diverſum autem eſt factum; quia in §. antecedenti agitur de legato per damnationem, in ſequenti de legato per vindicationem. Diverſum etiam jus; quia in illo legatarius numquàm poteſt conſequi niſi partem, quia numquàm poſſunt inter ſe concurrere: in hoc verò quandòque concurrunt *l. coheredi* 41. §. *coheres* 6. *in fin. ff. de vulg. & pupill.* ſcilicèt exiſtente conditione pupillaris ſubſtitutionis: eâ verò non exiſtente totum legatum habebit Titius, cui datum fuit in primis tabulis. Verum enim verò ſi progreſſus totius legis attentius perpendatur, omnia inter ſe apta ſunt, atque connexa. Quærit enim Ulpianus, quando res legata bis debeatur; quando ſemel tantum: quando ſolidum: quando pars; & varias ſpecies enumerat, in quibus cuncta hæc contingunt. Cæterum explicatio legis, quam huic Vir doctiſſimus anteponit, eſt multò deterior. Ait enim, quòd conjuncti partes quidem faciunt initio, non tamen ita, ut hoc impediat jus accreſcendi. Falſum. Celſus in *l. conjunctim* 80. *ff. de leg.* 3. *conjunctim heredes inſtitui, aut conjunctim legari, hoc eſt, totam hereditatem, & tota legata ſingulis data eſſe: partes autem concurſu fieri l.* 4. *in princ. ff. de uſufr. accreſc.* Et qui partem facit, excludit jus accreſcendi *l. Papinianus* 8. §. *quoniam autem ff. de inof. teſtam. l. planè* 34. §. *planè l. hujuſmodi* 84. §. *Si Titio ff. de leg.* 1. *l. unum ex familia* 67. §. *Si uno l. cùm pater* 77. §. *libertis* 27. *ff. de leg.* 2.

Cætera jam proſequamur. In *l. hujuſmodi* 15
§. *ſi Titio* legata erat res aliena, quæ nonniſi per damnationem legari poterat: non autem per vindicationem Ulp. in *fragm. c. loc. tit.* 24. §. 7. & 8. Cajus *inſt. lib.* 2. §. 3. *tit.* 5. *per vindicationem res aliena relinqui non poteſt: per damnationem poteſt.*

In *l.* 7. *ff. de leg.* 2. liquet agi de legato per 16
damnationem. Ibi: *quia duobus heres dare damnatur*, nihil clarius. Hoc amplius, ea verba indicant, aliter dicendum in legato per vindicationem: ratio enim, & cauſa, quamobrem ſola quinque debeantur, ea eſt, quia heres dare damnatur: hoc eſt, quia legatum eſt per damnationem.

In *l. ult.* §. *Sejo ff. eod* pariter agit Scæ- 17
vola de legato per damnationem, ut oſtendit illis verbis: *dari volo.* Verba, quæ ad heredem diriguntur, propria ſunt hujus legati: *dato, facito, dari jubeo, volo, damnas eſto dare.* Ulpian. in *fragm. tit.* 24. §. 4. Paul. *lib.* 3. *ſentent. tit.* 8. §. 10.

Supereſt primum, & ultimum. In primo 18
nempè in *l. ſi duobus* 16. *in princ. ff. de leg.* 1. non conſtat quidem ex verbis ipſius legis, agi de legato per damnationem; tamen id perſpicuè apparet ex conjecturis: tum quia

Digitized by Google

conſtat ex §. 1. in principio legis agi de eo genere legati; tum quia etiam in *l. planè* 34. §. *ſi conjunctim ff. eod.* in quo Ulpianus agit de legato per damnationem, illud iiſdem verbis proponit, tum quia Paulus omnibus aliis Juriſconſultis adverſaretur; & quod incredibile eſt, eſſet ſibi ipſi contrarius; nam paulò poſt ait, quòd ſi Titio, & poſthumis legatum ſit, non naro poſthumo totum vindicabit. Ubi etiam obſervandum, quòd exprimit, hoc tantùm evenire in legato vindicationis, quia in legato damnationis non transferebatur dominium ipſo jure, ſed per traditionem heredis, contra quem dabatur actio perſonalis ex teſtamento. Id. Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit.* 8. §. 17. Cajus *lib.* 2. *tit.* 5. §. 3.

Ad ultimum ſuppeditat reſponſionem ipſe Papinianus illis verbis: *tantùm enim beneficio legis conceſſum eſſe mulieri intelligendum eſt, quantùm haberet, ſi conditioni paruiſſet.*

Poſtremò illud monendum, hæc abolita fuiſſe à Juſtiniano in *l. un. C. de caduc. toll.* qui omnia legata æquiparavit legato vindicationis. Nihilominùs hæc oportuit explicare, quia hanc legatorum differentiam ignorantes, multa opinionum vana commenta in vulgus ediderunt, quæ cauti, doctique judices debent repudiare tamquàm à veritate prorſus aliena.

CAPUT XX.

Ad L. planè 34 §. 1. ff. de leg. 1. & alias.

SUMMARIUM.

1. *Eadem res uni bis, aut pluries in eodem teſtamento legata ſemel tantùm debetur.*
2. *In legato quantitatis faciliùs admittitur multiplicatio.*
3. *Si ex duorum teſtamentis eadem res legata fuerit, ex utroque peti poterit.*
4. *Quantitas ſæpius legata, ſæpius debetur.*
5. *Diverſa re pluribus legata, non concurrunt, ſed ſinguli integrum conſequuntur.*
6. *Exponitur l. ſi ſic. 13. ff. de leg. 3. & conciliatur cum l. ſi ſervus 108. § ſi ita ſcriptum ff. de leg. 1. & n. 7. 8. 9 10. 11. 12.*
8. *Particula* hoc amplius, *quandoque legatum legato adjicit; quandoque verò legatum primo relictum cum ſecundo communicat. & n. 9.*

OCcurrit jam alia quæſtio circa quanti- 1
tatem rei pluribus legatæ, quantùm cuique debeatur: utrum ſolidum, an verò pars: & cujuſmodi pars. Diſtinguere oportet, utrum quantitas legata fuerit, an corpus: & utrum in eodem teſtamento, vel in duobus teſtamentis: & an eadem res pluribus legata ſit, an uni, eidemque pluries.

Si uni bis, aut pluries legata ſit, ſemel tantùm debetur, ſi quidem in eodem teſtamento fuerit legata. *l planè* 34. §. 1. *ff. de legat.* 1. *Si eadem res pluribus legetur in eodem teſtamento, amplius quàm ſemel peti non poteſt: ſufficitque vel rem conſequi, vel rei æſtimationem.* Atque id ex conſtitutione D. Pii, quæ tamen ad corpus in eodem teſtamento legatum ſolummodò pertinebat *l. Mævius 66. in princ. ff. de leg.* 2. eam tamen ad quantitatem etiam extendit Ulpianus in *d. l. planè* 34. §. *ſed ſi non corpus ff. de leg.* 1. Hoc intereſſe puto inter legatum corporis, & quantitatis: quòd in illo multò difficiliùs admittitur multiplicatio legati, cùm corpus ſemel tantùm præſtari poſſit, & noſtrum fieri §. *ſed ſi rem* 10. *inſt. tit. de legat.* §. *ſic itaque* 14. *inſt. de action. d. l. planè* §. *ſed ſi non corpus.* Itaque niſi teſtator apertiſſimè, & expreſſim declaraverit, velle ſe legatarium bis conſequi legatum, hoc eſt, non ſolùm rem, ſed etiam ejus æſtimationem, ſolummodò corpus legatum conſequetur, ut de pluribus legatariis ſtatuit Juſtin. in *l. un.* §. 11. *verſ. ſin autem disjunctim C. de caduc. toll.* Aliàs obſtat tum conſtitutio D. Pii: tum natura ipſa legati, & voluntas teſtatoris, cui repugnat, deberi præter corpus quod legavit, etiam æſtimationem quam non legavit. In legato quantitatis multò faciliùs admittitur multiplicatio, ſuffragante tum D. Pii conſtitutio- 2
ne, tum ipſâ ratione: ſumma enim pluries præſtari poteſt *d.* §. *ſed ſi non corpus.* Quocircà, ſi legatarius evidentiſſimis probatio-

nibus demonſtraverit , voluiſſe teſtatorem ſummam legatam ſæpiùs præſtari , eam ſæpius exigere poterit *d.* §. Ecce , ſi à duobus hæredibus nominatim , ac ſeparatim quinque legaverit , ab utroque legatarius quina poterit exigere *l. ſi pluribus* 44. §. *ult. ff. de leg.* 2. Idem traditum & de re legata in *l. quid ergo* 53. §. 1. *ff. de leg.* 1. Sed ibi teſtator rem ſolidam legaverat , adeòque expreſſim declaraverat ab utroque ſolidam partem præſtandam. Rurſus , ſi quingenta Titio legata fuerint in teſtamento , & iterum quingenta legentur in codicillis , poterit Titius quingenta exigere ex codicillis , & tantùmdem ex teſtamento : niſi hæres probaverit ſecundam ſcripturam inanem eſſe , vel quia teſtator oblitus fuerit , ſe ea legaſſe in teſtamento ; vel quia repetere , non multiplicare legatum voluerit *l. quingenta* 12. *ff de probat.* Contrarium autem traditum de re , & corpore legato *l. Mævius* 66. §. *eum qui ff. de leg.* 2.

3 Quòd ſi duorum teſtamentis eadem res eidem fuerit legata , poterit ex utroque teſtamento legatum conſequi. Sed etiam in hoc differt legatum corporis à legato quantitatis. Nam in legato corporis , ſi ex uno teſtamento corpus legatum fuerit conſecutus , non poterit ex alio teſtamento idem corpus petere , imò nec ejus æſtimationem §. *ſi res aliena* 6. *inſt. tit. de legat.* quia placuit duas cauſas lucrativas in eumdem hominem , eamdemque rem concurrere non poſſe *d.* §. *ſi res l. omnes* 17. *l. ex promiſſione* 19 *ff. de oblig. & act. l. ſi ſervus* 108. §. *Stichum* 4. *ff de leg.* 1. *l. nutu* 21. § 1. *ff. de leg.* 3. imò dolo facit , & doli exceptione ſubmovetur , qui petit , id quod ex cauſa lucrativa eſt conſecutus *l.* 4. §. *ſi quis autem* 29. *ff de doli mal. except.* Si autem ex uno teſtamento æſtimationem conſequatur , ex alio rem petere non prohibetur *d.* §. *ſi res aliena.* Nec obſtat , quod ait Julianus in *l. hujuſmodi* 84. §. *ſi Sempronius* 2. *ff. de leg.* 1. quòd qui æſtimationem conſecutus eſt , exceptione repelli poteſt , ſi pretio contentus non ſit. Nam ibi Titius legaverat Mævio purè , quod ipſi debebat ex teſtamento Sempronii poſt biennium. Si legaſſet poſt biennium , inutile eſſet legatum , quia nullum afferret Mævio commodum *l. unum ex familia* 67. *in princ. ff. de leg.* 2. *l. ſi mihi Sempronius* 100. *ff. de leg.* 1. Eatenùs igitur legatum à Titio relictum Mævio creditori valet , quatenùs ei affert commodum repræſentationis , ut poſſit ſtatim exigere , quod non poterat niſi poſt biennium §. *ex contrario inſt. tit. de legat. l ſin autem* 29. *ff. de leg.* 1. *l. Mævius* 66. *in princ. verſ. debitor ff. de leg.* 2. Quapropter , id quod diximus de re duobus teſtamentis legatâ , non pertinet ad legatum relictum à debitore , qui rem , quam legat , ex teſtamento debebat : tunc enim ſemel tantùm debetur. Sed quid rei eſt , cur tam variè decernatur ? nempè quia , qui habet rem , habet etiam ejus æſtimationem, hoc eſt, quanti res eſt : idcircò , ſi rem conſecutus eſt , poſſet etiam conſequi ejus æſtimationem : concurrerent in eamdem rem duæ cauſæ lucrativæ. Contrà qui æſtimationem habet , rem non habet : abſurdum eſt dicere , eum , qui centum habet , habere res omnes , quæ centum æſtimari poſſunt : eſſet enim Creſo longè locupletior *l. tantùm* 83. *ff. de V. S.*

In legato quantitatis aliter ſtatuendum eſt: 4
nam in quantitate ceſſat regula duarum cauſarum lucrativarum *l. Titia Sejo* 87. *in princ. ff. de leg.* 2. Nam ceſſat etiam in teſſera frumentaria , quia in ea magis quantitas , quàm corpus conſideratur *d. l. & mortuo bove* 49. §. 1. *ff. eod.* Quamobrem quantitas ſæpius legata , ſæpiùs debetur : tum quia ſæpiùs præſtari poteſt *l. planè* 34. § *ſed ſi non corpus ff. de leg.* 1. tum maximè , quia non idem legatur : eſt enim par quantitas , non verò idem corpus. Is, cui legata ſunt decem in duorum teſtamentis , conſequitur viginti , non autem bis eadem decem ; ſed alia decem ab uno , alia ab altero. Nec ab utroque teſtatore eadem decem ipſi legata ſunt ; quia cùm decem in genere legata ſint , orationis compendio ſingula , quæ ſunt ejus generis , continentur *l. Mævius* 66. § *non idem ff. de leg.* 1. Quemadmodùm igitur, ſi homo in genere legatus fuerit duorum teſtamentis, ab utroque hærede ſingulos homines conſequi poteſt legatarius , diverſos

diverſos inter ſe, atque diſtinctos *d. l. Mævius.* ità ſi decem in genere legata fuerint, poteſt ab utroque decem conſequi, quia ea decem, quæ ſolvet primus hæres, non ſunt eadem decem, quæ ſolventur à ſecundo: nec legatarius hæc, vel illa decem perſequitur, ac petit, ſed decem in genere. Nam ſi certum corpus nummorum peteret, non rectè ageret *§. ſi quis agens 33. verſ. præterea inſt. tit. de action. l. cùm is cui 32. §. ult. ff. de condict. ind.*

5 Veniamus ad legatum pluribus relictum. In his hoc primùm perpendere oportet: utrum eadem res omnibus legata fuerit: an diverſa ſingulis. Si diverſa, utique ſinguli integram rem legatam conſequuntur, nec ſcinditur inter eos legatum. Ecce, teſtator Titio, & Mævio ſingulos ſervos legavit: vel Titio unum ſervum, alterum Mævio, tam Titius, quàm Mævius integrum ſervum ſibi legatum conſequentur *l. hujuſmodi 84. § quibus ità ff. de leg. 1.* non tamen Mævio deficiente poterit Titius Mævii ſervum petere, quia non ſunt conjuncti, nec ſimul concurrunt propter rei legatæ diverſitatem *d. §. quibus ita.* Idem dicendum, ſi teſtator Titio legaverit partem, ut putà, orientalem fundi Corneliani, Mævio occidentalem. Duæ enim partes diverſæ legatæ, ſeu potiùs duo diverſi fundi *l. ſi quis 6. §. ſi quis partem ff. comm. prædiorum l. rectè dicimus 25. §. 1. ff. de V. S.* Fundi enim hominum deſtinatione conſtituuntur. *l. quod in rerum 24. §. quòd ſi poſt ff. de leg. 1.* Hinc quæritur, an ſi Titio fundum legaverit teſtator, Mævio autem fundi uſumfructum; Mævius totum uſumfructum habere debeat; an verò pro dimidia tantùm parte. Dicendum videtur totum uſumfructum ad Mævium pertinere: nam legando uſumfructum Mævio, videtur illum à Titio in Mævium tranſtuliſſe *l. ſicut 5. ff. de adim. leg.* Placuit tamen pro dimidia tantùm parte ad Mævium pertinere: quia cùm Titio fundum legat, non ſola, & nuda proprietas, ſed proprietas cum uſufructu, legato continetur, etiamſi teſtator ſolam proprietatem errore lapſus legare voluerit: ac propterea in uſufructu conjungit Mævium Titio, eique ipſum communicat *l. ſi quis alii 19. ff. de uſufr. leg. l. ſi tibi decem 6. ff. de uſufr. ear. rer. l. Sempronius Attalus 26. §. 1. ff. de uſufr. leg.* Nec dici poteſt, teſtatorem tranſtuliſſe uſumfructum in Mævium, cùm non legaverit ei uſumfructum facta commemoratione uſusfructûs Titio legati, veluti hoc modo: *uſumfructum, quem Titio legavi, Mævio do, lego,* ut in *d. l. ſicut ff. de adim. leg.* Igitur dimidium tantummodò uſusfructus habere debet Mævius. Idemque eſt, ſi fundus duobus legatus fuerit *d. l. Sempronius in fine,* itemque ſi uni fundus, duobus uſusfructus legetur *d. l. Sempronius. & d. l. ſi tibi decem §. ult.*

Illud controverſum eſt, an, ſi quis ita 6 legaverit: *Titio fundum do, lego, Sejo hoc ampliùs decem.* an Titius totum fundum ſit habiturus, an verò ipſum partiri debeat cum Sejo. Mæcianus in *l. ſi ſic locutus 13. ff. de legat. 3.* ait: *non erit dubitandum, quin Sejus, & fundi partem, & decem ex teſtamento percipere debeat.* Atque id ſecundùm rectam rationem latini ſermonis. Etenim cùm dicimus: *Titius accepit quinque, Sejus hoc ampliùs fundum: Sejum quoque quinque accepiſſe intelligimus l. ſi purè 54. ff. de legat. 3.* Habet enim vim repetendi præcedentia, particula *ampliùs, hoc ampliùs l. 1. §. Divus 22. ff. de quæſt. l. avia 77. in princ. ff. de cond. & dem. l. uxori. 33. §. ult. ff. de leg. 3. l. nomen 34. in princ. eod.* Addit enim aliquid ei, quod ſuprà dictum eſt *l. qui ſaltum 67. ff. de leg. 3.* Verumtamen contrarium 7 omninò reſpondit Africanus in *l. ſi ſervus 108. §. ſi ita ſcriptum ff. de leg. 1.* *Si ita ſcriptum erit: ampliùs, quàm Titio, legavi, hæres meus Sejo decem dato: dubitandum non erit, quin, & Titio ſuum legatum maneat, & Sejo nihil ultra decem debeatur: nam & uſitatum ferè eſt ſic legare: Lucio Titio tot, & hoc ampliùs uxori, & liberis ejus tot.* Quid dicendum? Videntur pugnantia dicere. Uterque pro certo, & indubitato dicit. Ego ita alterum alteri conciliandum eſſe arbitror. Verba *hoc ampliùs* plerùmque, ac præſertim in jure noſtro ſignificant: *inſuper, præterea,*

Digitized by Google

ultrà, ut in *l. qui ita 3. ff. de dot. præl. l. ſi purè 54. ff. de leg. 3. l. avia in princ. 77. ff. de cond. & dem. l. uxori 33. §. ult. l. ſeq. in princ. ff. de leg. 3. l. qui ſaltum 67. ff. eod.*

8 Sed maximè eſt obſervandum, quò ſpectent hæc verba. Si ad legatum; tunc legato legatum adjiciunt; & præter id, quod primo legavit, inſuper ſecundo etiam aliud legatum teſtatorem relinquere voluiſſe demonſtrant. Conſtituunt igitur duo legata diſtincta, ac ſeparata tum ratione perſonarum, tum ratione rerum, quæ inter ſe diverſæ nullâ conjunctione copulantur. Si verò verba illa ſpectent ipſos legatarios: tunc eorum perſonas conjungunt, & oſtendunt teſtatorem vocaſſe ſecundum in partem primi; & legatum cum ſecundo communicare voluiſſe: & ultrà quippiam aliud ei relinquere, quod ipſe totum, atque integrum perciperet. Verba enim *hoc ampliùs: inſuper: ultra*; ſignificant aliquid aliud ei fuiſſe legatum. Quocircà quæſitum fuit: an ſi ei, cui nihil legatum erat, cum hâc adjectione: *hoc ampliùs*: aliquid legetur, valeat legatum; idemque quæſitum eſt etiam de ſtipulatione in *d. l. ſi ſervus §. ſi ei, cui 8. ff. de legat. 1.* Et quia verba ſuperflua non vitiant obligationem, & pro ſupervacuis habentur *l. quæ extrinſecùs 65. in princ. ff. de V. O.* idcircò in *d. §. ſi ei, cui.* valere tum legatum; tum etiam ſtipulationem reſpondit Africanus. His animadverſis manifeſtum eſt in *d. l. ſi ſervus §. ſi ita ſcriptum ff. de legat. 1.* verbum *ampliùs* ad legatum ipſum ſpectare, & teſtatorem non voluiſſe perſonas legatariorum conjungere: ſed adjicere legatum legato, quod Titio anteà reliquerat. *Ampliùs quàm Titio legavi, hæres meus Sejo decem dato.* Utique manet integrum Titio ſuum legatum, nec quicquam ei detrahit legatum Seji. Teſtator enim commemorat legatum Titio datum, non ut ipſum minuat, & cum Sejo communicet: ſed ut legato Titii adjiciat legatum Seji, hæredemque legato jam oneratum, oneret alio legato; cùm verbum *ampliùs* ad legatum Titii manifeſtò referatur non ad perſonam Seji. Tantùm autem abeſt teſtatorem voluiſſe minuere legatum Titii, quin potiùs illud commemorando confirmet. Perindè enim eſt, ac ſi dixiſſet: præter id, quod Titio legavi, hæres meus Sejo decem dato, ut in *l. Sejo 10. § uxori ff. de an. leg.* ubi obſervandum, quod adjectio verborum *præter id, ampliùs quam*, & ſimilium initio poſita ad commemorandum primum legatum, non habet vim repetendi ejus qualitates in ſecundo; nam primum quotannis, ſecundum ſemel tantùm, præſtandum eſt. Licèt repetendi vim habere ſoleat *l. ſi purè 54. ff. de leg. 3. l. ſi avia 77. ff. de cond. & dem.* quod & de particula *item* reſponſum eſt in *l. in repetendis 63. ff. de leg. 3.*

Contrà in *l. ſi ſic locutus 13. ff. de leg. 3.* 9
verba *hoc amplius* ſpectant perſonam legatariorum, atque adeò eos conjungunt, Sejumque participem faciunt legati, quod Titio in eâdem atque unicâ oratione ſimul relinquitur. *Hæres Titio fundum dato: Sejo hoc ampliùs decem.* Perinde eſt ac ſi dixiſſet: *Sejo præter fundum; ultrà fundum* decem dato. Verba enim: *hoc ampliùs* ad Sejum relata vim habent repetendi fundum in perſona Seji *l. ſi pure 54. ff. de leg. 3.* Ibi: *verius eſt verbo ampliùs ſuperiora repeti.* Idque Pomponius duobus confirmat exemplis, quorum poſtremum ad amuſſim noſtro convenit. *Titius accepit quinque, Sejus hoc ampliùs fundum. Sejum quinque quoque accepiſſe intelligimus.* Nimirum verba illa; *hoc ampliùs* ſignificant Sejum præter quinque, quæ etiam Titiùs acceperat, inſuper fundum accepiſſe. Simile eſt exemplum Juliani in *l. qui ita 3. ff. de dot. præleg. Titiæ ampliùs, quàm dotem, aureos tot hæres meus damnas eſto dare.: manifeſtum eſt, dotem quoque relegaſſe.* Licèt enim in noſtra lege non ſit additum: *amplius quàm fundum.* tamen cùm poſt fundi nominationem illico ſubjecerit: *hoc amplius*: idem omninò ſignificavit; nempè *ampliùs fundo, amplius quàm fundum, præter fundum.* Terent. in *Andria act. 1. ſcen. 1. Quid eſt, quòd tibi mea ars efficere hoc poſſit ampliùs*: nempè amplius quàm *hæc curare*, quod ſuprà dixerat Cic. *epiſt. lib. 9. ep. 25. ad Patum. Itaque obtemperare cogito præceptis tuis: hoc ampliùs, navicularum ha-*

Digitized by Google

bere aliquid in ora maritima. & ad Brutum *ep.* 5. *Cui cùm eſſem aſſenſus, hoc ampliùs decrevi &c.*

10 Sed his obſtat exemplum, quo Africanus confirmat ſententiam ſuam in laudata *l. ſi ſervus* 108. *§. ſi ita ſcriptum* Ibi: *nam & uſitatum ferè eſt ſic legare Titio tot, & hoc ampliùs uxori, & liberis ejus tot.* Hoc exemplo convincitur falli eos, qui putant in *d. l.* 13. *ff. de leg.* 3. ita reſponſum à Mæciano fuiſſe propter conjunctionem ſcripturæ: ad quod probandum afferunt *l. ult. ff. de reb. dub.* Etenim nulla major ſcripturæ conjunctio poteſt excogitari eâ, quæ eſt in hoc exemplo Africani. Enimverò non nego plurimùm hâc in re ſcripturæ conjunctionem valere: ſed tamen hæc nodum non ſolvit, nec Mecianum Africano conciliat, quoad hoc exemplum.

11 Ego puto expendenda eſſe illa verba: *nam & uſitatum ferè eſt ita legare: Lucio Titio tot &c.* Uſitatum eſt; quod uſu eſt introductum, remotum à ratione juris, ejuſque regulis; atque ita non ſolùm in jure noſtro, ſed etiam à latinis auctoribus uſurpatur; ut apparet ex *l. item ſi* 17. *§. principaliter ff. de recept. arb.* in *l. ſi quis* 14. *ff. de uſufr. l. ſine hærede* 32. *§. Lucius Titius ff. de adminiſtr. tut. l. illud* 19. *ff. de excuſ. tut.* Uſitatum enim dicitur, quod uſu, & conſuetudine receptum eſt, idque vim legis habet *l. de quibus* 32. *ff. de legib.* Cic. *lib.* 5. *in Verr. Alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: uſitatum eſt.* Eſt hoc contra jus, ſed tamen inter improbos erat in uſu. Idemque pro *A.Cæcin.Nam id quidem, tametſi improbè fit, tamen malitiâ eſt jam uſitatum*: & in *ead. orat. At verò hoc quidem jam vetus eſt, & majorum exemplo multis in rebus uſitatum.* Igitur uſu receptum erat Africani tempore, ut, qui familiæ legare volebat, primùm legaret patrifamilias, & deinceps uxori ejus, & liberis cum illa adjectione: *hoc ampliùs*: quæ legata ſimul conjungebat, quia eidem familiæ relicta erant, non autem conjungebat perſonas legatariorum. Eâ quidem ratione, ut arbitror, quia veriſimile non eſt teſtatorem, qui principaliter honorare voluit familiæ caput; ejuſque reſpectu etiam ejus uxorem liberoſque, voluiſſe eos diminuere legatum patrisfamilias, à quo aluntur, & ſuſtentantur. Honorando uxorem & liberos legato, honorat ſimul & patremfam. non debet igitur hic honor in ejus incommodum, ac detrimentum verti, ac produci *l. nulla juris* 25. *ff. de legib.* Maximè verò quia, cùm liberi acquirant parentibus, legatum relictum liberis vergit in commodum, & utilitatem parentis: non debet igitur ad ejus incommodum, damnumque produci *d. l. nullas & l. quod favore* 6. *C. de legib.* His de cauſis in hujuſmodi legato receptum fuit, ut verba, *hoc ampliùs*, non repeterent, neque minuerent legatum præcedens. Hujus autem exemplo Africanus putavit, non habere diverſam vim in ſpecie à ſe propoſitâ, in quâ ex ipſa verborum ſtructurâ conſtabat, teſtatorem voluiſſe priùs legatum confirmare, non verò minuere, ut demonſtravimus.

Non inſcitè meo judicio addi poſſet, 12 quod ex verbis Africani non apparet, an id uſu receptum eſſet in legato, in quo decem, ut putà, utriuſque relinquebantur; an in quo dena. In hoc enim utriſque decem debentur *l. ſi quis teſtamento* 79. *ff. de leg.* 1. At enim Africani verba ſunt generalia. Ita ſanè. Sed ab uſu, qui tunc invaluerat, & ad quem referuntur, qui particularis erat, reſtringuntur. Præterquàm, quòd *in ambigua voce legis ea, potiùs accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret. l. in ambigua* 19. *ff. de legib.* vitio autem caret, quæ aliis legibus eſt conſentanea *l.* 1. *§. nulla* 8. *l.* 2. *§. contrarium* 15. *C. de vet. jur. enucl.*

CAPUT XXI.

Ad l. 3. in fin. ff. de his, quæ pro non ſcript. hab.

SUMMARIUM.

1 *Occaſio de propoſita regula diſſerendi.*
2 *Regula demonſtrat, ſpectandum eſſe tempus conditi teſtamenti, ut definiatur, an valeat legatum.*

3 *In quibus legatis dies cedat ab adita hereditate.*
4 *Regula locum habet in legatis, in quibus dies cedis à morte teſtatoris. Exempla & n. 5. 6.*
7 *ex contrario locum non habet in iis, quorum dies non cedit à morte teſtatoris. Exempla. & n. 8.*
9 *Regula non pertinet ad hereditates.*
10 *Neque ad contractus, quamvis in his ſervetur regula ſimilis Catonianæ. Exempla in ſtipulatione.*
11 *In manumiſſione.*
12 *Regula non pertinet ad eas diſpoſitiones, quæ collata fuerunt in tempus mortis. Exempla.*
13 *In ſervis, quibus aliquid legatum eſt, non ſpectatur tempus conditi teſtamenti. Et n. 14. 15. 16.*
17 *Qualitas à teſtatore requiſita, ſufficit legatario de tempore mortis. & n. 20.*
18 *Qualitatem quam legatarius habebat tempore teſtamenti ſi poſteà amittat, admittitur ad legatum, & n. 19.*
20 *In legatis præſtandis ob bonorum poſſeſſionem contra tabulas, qualitas requiritur de tempore mortis.*
21 *Exponitur l. cùm ſervus 39. §. ſi Titius ff. de leg. 1.*
22 *Exponitur l. non oportet 52. ff. de leg. 2.*

1 IIs, quæ diximus, laciniam attexere de tempore, quod ſpectandum eſt ad interpretandam diſpoſitionem, alienum non erit. Hâc de re ita diſtinguendum arbitror. Aut quæritur de validitate actûs: aut de re, quæ in diſpoſitionem deducta eſt. Primùm de validitate actûs, quid juris ſit, inquiramus. Quoad validitatem actûs duæ regulæ à veteribus proditæ ſunt. Prima generalis eſt ad omnes actus pertinens: tam ad actus inter vivos, quàm ad ultimas voluntates. *Quæ in eam cauſam pervenerunt, à qua incipere non poterant, pro non ſcriptis habentur l. 3. in fin. ff. de his, quæ pro non ſcrip. hab.* Secunda præcipuè pertinet ad ultimas voluntates: *quod ab initio inutile fuit, ex poſt-facto non convaleſcit l. pen. d. omnia 201. ff. de R. J. l. 1. ff. de Reg. Caton. l. cætera 41. §. 2. ff. de leg. 1.*

2 Hanc ſecundam, quæ naturâ prior eſt, priùs explicemus. A Catone prodita fuit hæc regula, & à Veteribus J C. recepta, & uſu juris communiter approbata. *Quòd ſi facti teſtamenti tempore deceſſiſſet teſtator, inutile foret, id legatum, quandòcumque deceſſerit, non valere. l. 1. ff. de Reg. Caton.* Hæc regula nobis demonſtrat ſpectandum eſſe tempus conditi teſtamenti, ut definiatur, utile ſit, an inutile legatum. Hoc tamen non ſufficit, nam & tempus mortis ſpectandum eſt, propter aliam regulam, quam primo loco ſuprà poſuimus. Si enim poſt conditum teſtamentum devenerit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet, inutilis fit tam inſtitutio, quàm legatum. *l. 3. in fin. ff. de his, quæ pro non ſcrip. hab.* Multùm tamen intereſt inter hæredis inſtitutionem, & legata. Etenim in hæredis inſtitutione tria tempora ſpectantur, conditi teſtamenti, mortis, & aditæ hæreditatis. *§. in extraneis inſtit. tit. de hæred. qual. & differ.* In legatis autem ſpectatur tantummodò tempus conditi teſtamenti, & mortis, quia legati dies cedit à morte teſtatoris *l. ſi poſt diem 5. ff. quand. di. leg. ced.* nec aditio hæreditatis diei ceſſioni moram facit *l. hæreditatis aditio ff. eod.* Regula autem Catoniana non pertinet ad ea legata, quorum dies non cedit à morte teſtatoris, ſed poſt aditam hæreditatem *l. 3. ff. de Reg. Caton.* Sed de his diſtinctiùs eſt dicendum.

Legatorum dies aliquandò cedit à morte teſtatoris, idque plerùmque evenit: aliquandò cedit à die hæreditatis, ut accidit in legato libertatis *l. un. §. libertatibus 6. C. de caduc. tollen. l. nam cum libertas 8. ff. quand. di. leg. ced.* in legato uſusfructûs, habitationis, & aliis, quæ perſonæ cohærent *l. 3. §. 1. in fin. l. ſi habitatio 9. l. ſi uſusfructus 14. ff. eod.* & generaliter in omnibus legatis ſub conditione, vel ſub incerto die relictis, non cedit ante eventum conditionis vel adventum diei *l. 5. §. ſed ſi ſub conditione l. ſi dies 21. l. ſi Titio 22. & paſſim ff. eod.* In legatis enim, quibus dies certus adjectus eſt, cedit à morte teſtatoris, perindè ac in puris, neque dies certus legatum ſuſpendit in incertum eventum *d. l. ſi poſt diem 5. in princ. & d. l. ſi Titio 22. ff. eod.* 3

In legatis igitur, quorum dies cedit à morte teſtatoris, initium ſpectandum eſt, ac ſi illud vitioſum fuiſſet, legatum eſt inutile. Quod ut exemplis enucleatè explicemus, primum exemplum petimus ex *l. cætera 41. §. 1. ff. de leg. 2.* Senatuſconſultum Aviola, & Panſa Conſulibus factum decrevit non 4

Digitized by Google

poſſe legari ea, quæ ædibus juncta ſunt *d. l. cætera* 41. §. 1. Quidam legavit marmora & columnas, quæ ædibus junctæ erant; inutile eſt legatum. Ea poſteà ab ædibus ſeparata fuerunt, & quidem ante mortem teſtatoris. Quæritur, an legatum, quod initio fuit inutile, convaluerit per ſeparationem: & reſponſum eſt, non convaleſcere, quandòcumque ab ædibus ſeparantur. *d. l. cætera §. tractari* 2. Aliud exemplum in eâ lege proponitur: legavi tibi rem tuam: etiamſi poſt teſtamentum factum eam alienaveris, tamen legatum non convaleſcit.

5 Tertium exemplum proponitur in *l. 3. in princ. ff. de his, quæ pro non ſcript. haben.* Legavi in metallum damnato, legatum eſt inutile excepto legato alimentorum: idem ſi legatarius poſt factum teſtamentum in metallum datus fuerit: quia utroque tempore eum capacem eſſe oportet, ut legatum ſuſtineatur, tempore facti teſtamenti & tempore mortis. Media tamen tempora non nocent: nam ſi legatum fuerit civi Romano, & is poſteà fuerit deportatus, & ante mortem teſtatoris reſtitutus, legatum conſequetur, quia & tempore facti teſtamenti, & tempore mortis fuit capax conſequendi legati *l. ſed ſi conditioni* 6. *§. ſolemus ff. de hæred. inſt. l. liber homo* 59. *§ ſi hæres ff. eod.*

6 Quartum eſt in ſervo. Quidam ſervo ſuo legavit non datâ libertate: poſteà libertatem eſt conſecutus: legatum non convaleſcit *l. ſervus* 4. *C. de leg.* Aliud: Legatum eſt ſervo hæredis: is de poteſtate hæredis exiit vivo teſtatore. Legatum nec valet ab initio *l. ſi legatarius* 8. *§. ſervo ff. de leg.* 3. nec convaleſcit eo alienato *§. an ſervo* 32. *inſt. tit. de leg.*

7 In legatis autem, in quibus dies non cedit à morte teſtatoris, regula Catoniana non obtinet *l. 3. ff. de Reg. Caton.* Hujuſmodi legata non unius generis ſunt. Primò occurrunt legata conditionalia. In legatis ſub conditione relictis dies cedit ab eventu conditionis. *l. ſi poſt diem* 5. *§. ſed ſi* 2. *ff. qu. di. leg. eod.* Et ideò hæc legata non impedit regula Catoniana, quia ad ea non pertinet *l. cætera* 41. *§. tractari ff. de leg.* 1. *l.* 1. *§.* 1. *l.* 2. *ff. de reg. Caton.* Sicut non pertinet ad inſtitutiones conditionales *l. ult. ff. de reg. Caton.* Idem omninò dicendum, ſi dies incertus fuerit adjectus: nam in teſtamento dies incertus conditionem facit *l. dies incertus* 75. *ff. de cond. & dem.* & conditio appellatur *l. un. §. ſin autem C. de caduc. toll. l. ſi dies* 31. *ff. qu. di. leg. ced. l.* 1. *§. ult. ff. ut legat. nom. cav.* & dies legati non cedit à morte teſtatoris, ſed cùm venerit dies *d. l. unic. §. ſin autem & d. l. ſi dies* 21. *in princ.*

Secundò occurrit libertas ſervo data, cujus dies non cedit, niſi ab aditâ hæreditate 8 *l. nam cùm libertas ff. quan. di. leg. ced. l. un. §. libertatibus C. de caduc. toll.* Et ideò ſi ſervo proprio cum libertate legetur, dies legati cedit ab aditâ hæreditate, & locum non habet regula Catoniana *l. cum legato* 17. *ff. quan. di. leg. ced. l. ſi optio* 13. *ff. de opt. leg.* Idem ſi ſervus alicui legetur, & ſervo legatum relinquatur *d. l. ſi optio* 13. Monendum tamen eſt, quòd ſi fuerit inſtitutus hæres neceſſarius, tunc dies legati cedit à morte teſtatoris, quia neceſſarius ſtatim acquirit hæreditatem ſine ullâ aditione, & ideò tunc locum habet regula Catoniana *d. l. ſi optio* 13. Illud etiam monendum, quòd ſi quis ſervo ſuo libertatem dedit, utrumque tempus tam conditi teſtamenti, quàm mortis ſpectandum eſt: nam ſi à vivo teſtatore fuerit alienatus, non poteſt conſequi libertatem, quia tempore mortis non eſt capax legatæ libertatis *l. ſervus* 35. *ff. de manum. teſtam.* Non quòd huic obſtet regula Catoniana, quia legatum libertatis ſervo proprio relictæ valet ab initio *§.* 1. *inſtit. de hæred. inſtit.* ſed quia teſtator ſervo alieno libertatem dare non poteſt, & alienando videtur à legato receſſiſſe *d. §.* 1. nec poteſt ſervus obtinere directam libertatem ab eo, qui dominus non eſt *§. ſervi inſtit. tit. de libertin. l. ſervus* 13. *ff. de manumiſſion. l. ſervi* 17. *ff. eod.*

Sed hæc regula plures habet exceptiones: 9
non raró enim ea locum non habet. Ac primùm non pertinet ad hæreditates *l. 3. ff. de reg. Caton.* Non ignoro, Cujacium ſcitè

doctèque, ut ſolet, legem emendare, ac monere legendum: *Catoniana regula non pertinet ad libertates.* Sed poteſt defendi lectio vulgaris. Etenim Catonis regula nominatim concepta eſt de legatis *l. 1. in princ. ff. de reg. Caton.* Et quamvis idem, quod Catonis regula definit de legatis, receptum ſit etiam in inſtitutionibus, nempè quòd in illis etiam ſpectetur tempus conditi teſtamenti, & mortis: tamen id non à regula Catoniana deſumptum videtur, cùm regula, quæ obſervatur in hæreditatibus, latiùs pateat, quia comprehendit etiam tempus aditionis § *in extraneis inſtit. tit. de hæred. qual. & differ. l. ſi alienum §. 1. ff. de hæred. inſtit.* Nec movet, quod ait Ulpianus in *l. 4. ff. de reg. Caton.* quòd Catonis regula ad inſtitutiones conditionales non pertinet. Nam hoc ipſum demonſtrat regulam receptam in inſtitutionibus eſſe diverſam à regula Catoniana. Etenim regula, quæ recepta eſt in inſtitutionibus, obtinet, ſive purè, ſive ſub conditione hæres fuerit inſtitutus, ut docet Imperator noſter in §. *in extraneis inſtit. tit. de hæred. qual. & differ.* Nec novum eſt, quod idem obſervetur etiam, quoad illos actus, ad quos regula Catoniana non pertinet.
10 Quamvis enim regula Catoniana ſolùm quoad ultimas voluntates tradita fuerit: tamen etiam in contractibus ſimilis regula obſervatur. Etenim ſi quis rem ſuam ſtipuletur, inutilis eſt ſtipulatio, etiamſi poſtmodùm fiat aliena, niſi eam fuerit ſtipulatus ſub conditione, & pendente conditione fuerit alienata §. *idem juris inſtit. tit. de inut. ſtipul.* Et ſi quis rem ſacram aut religioſam ſtipuletur, aut uſibus publicis deſtinatam, inutilis eſt ſtipulatio, etiamſi poſteà profana, aut privata fiat: item ſi hominem liberum ſtipuler, iſque poſteà ſervus fiat, non reviviſcit ſtipulatio, quæ ab initio fuit inutiliter contracta *l. inter 83. § ſacram 6. ff. de V. O.* In his autem ſtipulationibus illud eſt omninò ſingulare, quòd ne quidem ſub conditione contractæ valent: quia nefas eſt expectare, aut deſiderare, ut homo liber ſervus fiat; res ſacra, aut religioſa fiat profana *d. l. inter §. ſacram ff. de V. O.* Imò, & ſi quis ſervum ſtipuletur, qui poſteà liber fiat, etiamſi iterum in ſervitutem recidat, tamen ſtipulatio, quæ per libertatem ejus facta erat irrita, non convaleſcit, eo in ſervitutem iterum redacto, licèt Celſus contrà exiſtimaret, exemplo navis adductus, quæ ſi à domino diſſolvatur, & iiſdem tabulis reficiatur, domus, quæ ſi deſtruitur, & ex iiſdem cæmentis rurſus ædificatur, convaleſcit ſtipulatio. Cui argumento reſpondet Paulus in *l. qua res 98. §. ult. ff. de ſolut.* & in *d. l. inter ſtipulantem 83. §. ſacram ff. de V. O.* & teſtatur Celſi ſententiam admiſſam non eſſe: itaque in *l. ſi chorus 79. ff. de leg. 3.* quæ eſt ipſius Celſi, addenda eſt particula *non*: & ita legendum. *Servus quoque legatus, ſi interim manumittatur, & poſteà ſervus factus ſit, peti non poteſt.* Aliter enim ſententia Celſi admittetur, quam admiſſam non eſſe Paulus teſtatur, eamque falſam eſſe demonſtrat in laudata *l. qua res 98. §. ult. ff. de ſolut.*

Aliud exemplum in actibus inter vivos
proponitur à Paulo in *l. ſi ſervo 20. ff. qui* 11
& à quib. man. lib. non fiant. Servum alienum ſine conſenſu domini manumiſi: nulla eſt manumiſſio. Poſteà fio hæres domini; non convaleſcit manumiſſio: nec aditione hereditatis libertatis datio confirmatur.

Sed hæc recepta ſunt non propter regulam Catonianam, quæ pertinet ſolùm ad legata, de quibus expreſsè fuit à Catone prodita: ſed propter aliam regulam generalem traditam in *l. quod initio 29. ff. de R. J.* ubi Paulus ſtatuit hanc regulam. *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.*

Secundò non pertinet ad eas diſpoſitio- 12
nes, quæ collatæ fuerunt in tempus mortis. In his enim ſolum tempus mortis attenditur. Et hoc ideò, quia ante mortem non videtur perfectus actus, qui in tempus mortis eſt collatus ob voluntatem ipſius diſponentis, qui ad mortem ſolummodò reſpicit, & ideò tunc dare videtur, licèt nunc de dando diſponat *l. non videtur 32. ff. de donat. cauſ. mort.* Primum exemplum ſit in donatione cauſâ mortis, in qua ſufficit donatarium capacem eſſe tempore mortis, etiamſi

Digitized by Google

eſſet incapax tempore donationis *l. in mortis* 22. *ff. eod.* Alia duo exempla proponuntur in *l.* 1. *ff. de reg. Caton.* Quidam ita legavit: ſi poſt calendas mortuus fuero, Titio dato. Si ſtatim mortuus fuiſſet, legatum non deberetur: eo mortuo poſt calendas, debetur. Sed legatum debetur, tum quia collatum eſt in tempus mortis; tùm verò maximè, quia ab initio non fuit inutile legatum. Potiùs enim non fuit ab initio datum, quàm datum inutiliter: legatum enim Titio utiliter datur, cùm Titius ſit capax legari. Datum autem ab initio non eſt, propter adjectionem conditionis, quâ id efficitur, ut nihil legatum ſit, ſi teſtator ante calendas moriatur. Quoties legatum ab initio inutiliter datum non eſt, regula Catoniana locum non habet: ut aliàs dicemus. Aliud exemplum proponitur in §. *ult. ejuſd. l.* Legatus tibi fundus eſt, qui ſcribendi teſtamenti tempore tuus erat: ſi eum vivo teſtatore alienaveris, legatum tibi debetur, quòd ſi teſtamenti tempore teſtator deceſſiſſet, non deberetur. Sed in hoc legato ſupponendum eſt, adjectam fuiſſe ſimilem conditionem, videlicèt: *ſi tempore mortis fuerit alienus.* Cæterùm ſi purè fuerit legatus fundus, utique non convaleſcet legatum, etiamſi mortis tempore fuerit alienus. *l. cætera* 41. §. *tractari ff. de leg.* 1. Valet autem adjectâ conditione: *ſi tuus non erit cùm moriar. l. hæredem* 18. *ff. de leg.* 2. *l. mea res* 98. *ff. de cond. & demonſt.* Tertium exemplum proponitur in *l.* 2. *ff. de reg. Caton. Si filia mea Titio nupta erit.* ſpectatur tempus mortis; nam hæ conditiones in tempus mortis conferuntur *l. in conditionibus* 19. *ff. de cond. & dem. l.* 2. *& l. ſcribit* 34. *ff. de aur. & arg. leg.* imò tardiùs etiam producuntur, patrocinante teſtatoris voluntate *d. l. in conditionibus in princ.* Haud aliter eſt conſtitutum in inſtitutione poſthumi: nam & is, qui uxorem non habet poſthumum inſtituere poteſt: imò & qui generare facilè non poteſt, & ſpadones poſſunt poſthumum inſtituere: & inſtituto poſthumo non ſolùm is inſtitutus videtur, qui naſcitur ex ea, quam habet uxore, ſed etiam is, qui, ex quâcumque uxore naſcetur quandòcumque: nam & hæc inſtitutio ultra mortem producitur *l.* 4. 5. *&* 6. *in princ. ff. de liber. & poſt.*

Tertiò, non obtinet regula Catoniana, 13
nec tempus conditi teſtamenti ſpectatur in ſervis, quibus aliquid legatum eſt. Cum ſervis non eſt teſtamenti factio, niſi ex perſona dominorum. *l.* 5. *ff. de ſervit. leg. l. ſi mihi & tibi* 12. *ff. de legat.* 1. Nihilominùs id, quod domino inutiliter legaretur, utiliter ſervo legatur. Rectiſſimè enim Julianus definivit: ſervo alieno legari poſſe, quòd ipſe liber factus capere poſſet. *l. debitor* 82. *ff. de legat.* 2. Spectatur igitur in legatis potiùs perſona ſervi, quàm domini, quia ex perſona ſervi legatum conſiſtit *d. l. debitor* 82. §. *ult. ff. de leg.* 2. in qua duo proponuntur exempla. Legaſti ſervo alieno rem domini. Utique ſi ipſi domino legaſſes, inutile eſſet legatum §. *ſed ſi rem* 10. *inſt. tit. de leg. l. Mævius* 66. §. *fundo verſ. ſin autem ff. de leg.* 2. *l. cùm quis decedens* 37. *in princ. ff. de leg.* 3. Sed cùm ſervo ejus legaveris, utile eſt legatum *d. l. debitor in fin.* Rurſus legaſti ſervo alieno, quod domino ejus purè debebas: valet legatum. Quòd ſi domino ejus legaſſes, non valeret §. *ex contrario* 14. *inſtit. tit. de legat. d. l. debitor.* Sed ita demùm valent hæc legata, ſi ſervus liber ſit, cùm dies legati cedit. In his igitur legatis ſpectatur tempus legati cedentis, non tempus conditi teſtamenti. Nam ſi eo tempore deceſſiſſet teſtator, legatum non valuiſſet, quia tunc ſervus erat legatarius, ac ſibi acquirere non poterat, nec domino ſuo.

Simile exemplum proponitur in *l. ſi ſer-* 14
vus 82. *ff. de acquir. hered. ſi ſervus ejus, qui capere non poteſt, heres inſtituatur, & antequam juſſu domini adeat hereditatem, manumiſſus alienatusve ſit, & nihil in fraudem legis factum eſſet, ipſe admittitur ad hereditatem.*

Aliud in *l. ſi deportati* 7. *in princ. ff. de* 15
leg. 3. Si deportati ſervo fideicommiſſum fuerit adſcriptum, ad fiſcum pertinere dicendum eſt: niſi ſi eum deportatus vivo teſtatore alienaverit, vel fuerit reſtitutus, tunc enim ad ipſum pertinebit. Deportatus inſtitui non poteſt, nec eſt cum eo teſtamenti

factio *l. 1. C. de hered. inſtit.* Servus autem teſtamenti factionem habet ex perſona domini *l. ſi alienum 49. §. in extraneis l. non minus 31. ff. de hered. inſtit.* Igitur ſi ſpectandum eſſet tempus conditi teſtamenti fideicommiſſum non valeret, nec domino ejus poſſet acquiri. Valet autem in his duobus exemplis inſtitutio & fideicommiſſum, quia qui inſtituit incapacis ſervum, non tam reſpicit domini perſonam, quàm ipſius ſervi, quem ſcit domino acquirere non poſſe. Cùm igitur ille, qui ſervum alienum inſtituit, ea animo inſtituat, ut aut ſervus ipſe ſit heres, aut dominum heredem faciat *l. ſi paterfam. 11. de hered. inſtit.* hìc autem non poſſit animum intendere ad dominum præſentem, quem ſcit capere non poſſe: neceſſe eſt eo animo eſſe, ut aut ſervus ipſe ſit heres, ſi manumittatur, aut dominus ad quem pervenerit, & capax ſit hereditatis, quicumque ille fuerit, etiamſi is, qui in præſens dominus eſt. Licet etiam incapacem heredem ſcribere ſub conditione, cùm capax erit. *l. in tempus 62. ff. eod.* Et ad hanc ſententiam amplectendam eò procliviores fuiſſe Juriſconſultos arbitror, tum ad declinandum odium legis Papiæ caducariæ, argumento *l. interpretatione 42. ff. de pœn.* tum propter exemplum legatorum, de quibus paulò antè diximus.

16 A ſervis non diſcedamus. Is demùm poteſt directam libertatem ſervo dare, qui utroque tempore, & quo teſtamentum fit, & quo moritur, teſtatoris fuit *l. Servius 35. ff. de manum. teſtam.* Et hoc conſentaneum eſt regulæ Catonianæ. Aliquandò tamen ab hâc regula receditur. Et primùm in *l. generaliter 24. §. ſi homini libero ff. de fideicomm. libert. Si homini libero fuerit libertas per fideicommiſſum adſcripta: & is in ſervitutem redactus proponatur, petere poteſt libertatem, ſi modò mortis tempore, vel conditionis exiſtentis inveniatur ſervus.* Homini libero libertas inutiliter datur; itaque ſi ſpectemus tempus conditi teſtamenti, inutile eſt fideicommiſſum: ſpectatur autem ſolummodò tempus mortis, & ceſſat hoc caſu regula Catoniana. Secundò in *l. ſi ſervi 30. ff. de manum. teſtam.* neutrum tempus ſpectatur. *Si ſervi, qui apud hoſtes ſunt, liberi eſſe juſſi ſunt, ad libertatem perveniunt, quamvis neque teſtamenti, neque mortis tempore, teſtantis, ſed hoſtium fuerunt.* Sed hæc benignè recepta ſunt favore libertatis *l quoties dubia 20. ff. de reg. jur.* Huc tamen omninò non pertinet *l. verum 58. ff. de manum. teſtam.* quia ibi ſpectatur tempus conditi teſtamenti, & aditionis, quia libertatis ſervo proprio relictæ dies cedit ab adita hereditate *l. heredis 7. in fin. cum leg. ſeq. ff. quan. di. leg. cedit l. un. §. libertatibus C. de caduc. toll.* & licèt medio tempore fuerit alienus, tamen media tempora non nocent *l. ſi alienum §. 1. ff de hered. inſt. §. in extraneis inſt. tit. de hered. qual. & diff.* Præterquàm quòd regula Catoniana non pertinet ad legata, quorum dies non cedit à morte teſtatoris *l. 3. ff. de reg. Caton.*

Quarto loco ceſſat regula Catoniana, & 17
mortis tempus attenditur, non conditi teſtamenti, quando legatum non eſt vitioſum, nec ab initio inutile: ſed tantùm quæritur de perſona, quæ non habebat tempore teſtamenti qualitatem requiſitam à teſtatore, quàm poſteà acquiſivit. Exemplum in *l. ſi cognatis 19. ff. de reb. dub.* Teſtator legavit cognatis ſuis. Titius non erat cognatus tempore teſtamenti: poſteà per adrogationem factus eſt cognatus, ita, ut mortis tempore cognatus eſſet teſtatoris. Admittitur ad legatum, licèt tempore teſtamenti cognatus non eſſet. Nec tamen ei obſtat regula Catoniana, quæ de vitio legati loquitur, quod reddit inutile legatum, ſi teſtator ſtatim decedat, non de deficiente qualitate legatarii. Si ſtatim deceſſiſſet teſtator, utique legatum relictum cognatis conſtitiſſet, licèt ille, qui poſtea factus eſt cognatus, non fuiſſet admiſſus. Hìc igitur quæſtio exiſtit, non de validitate legati, de qua prodita eſt regula Catoniana: ſed de perſonis, quæ admittendæ ſunt ad legatum. Contrà, ſi Titius 18
erat cognatus tempore teſtamenti, poſtea tamen cognatus eſſe deſiit, nihilominùs ad legatum admittetur *d. l. ſi cognatis in princ.* modò in civitate manſerit. Nam ſi eſſet deportatus

portatus non admitteretur *d. l. ſi cognatis & l. eum qui poſt.* 104. *ff. de cond. & demonſt.* Nec his obſtat altera regula, quòd vitiatur id, quod initio valebat, ſi reciderit in eum caſum, à quo incipere non poterat, *l. 3. in fin. ff. de his, quæ pro non ſcript. hab.* Etenim ea quoque regula pertinet ad validitatem actûs, non ad perſonas, quas voluit comprehendere teſtator. Si Titius civitatem amiſiſſet; atque ideò factus eſſet incapax legati, non poſſet capere ex teſtamento, utique non valeret in ejus perſonâ legatum *l. 3. in princ. ff. de his, quæ pro non ſcript. l. 1. C. de hered. inſtit.* Sed cùm civitatem non amiſerit, nec ſit incapax capiendi ex teſtamento defuncti, ſolummodò quæritur de voluntate teſtatoris, an ipſum voluerit comprehendere nomine cognatorum, in quorum numero erat, cùm teſtatus fuit, licèt poſteà eſſe deſierit. Eſt igitur animadvertendum, quòd in ſimilibus cauſis alterum tantummodò tempus ſufficit ſive facti
19 teſtamenti, ſive mortis teſtatoris. Contrarium tamen conſtitutum eſt in legatis, quæ præſtanda ſunt à filio, qui obtinuit bonorum poſſeſſionem contra tabulas. Prætor datâ hâc bonorum poſſeſſione conſervat legata relicta in teſtamento liberis, & parentibus, uxori, nuruique dotis nomine *l. 1. in princ. ff. de leg. præſt.* Hos autem omnes habere hanc qualitatem à Prætore requiſitam oportet tempore mortis, quo dies legati cedit *l. intervenit 24. l. ſed etſi pro dote 10. in princ. & §. 1. ff. de legat. præſt.* Ergo in hâc cauſa ſolum tempus mortis ſpectandum eſt. Idem conſtitutum eſt in fideicommiſſo familiæ relicto *l. cùm ita 32. aliàs l. omnia 32. §. ult. ff. de leg. 2.*

20 Aliud exemplum in *l. in ſubſtitutione 31. ff. de vulg. & pupill.* In ſubſtitutione filio factâ his verbis: *quiſquis mihi ex ſuprà ſcriptis heres erit, idem filio heres eſto*: ſufficit aliquem quandoque heredem fuiſſe, quamvis eo tempore, quo moritur pupillus, non ſit ampliùs heres, fortè remotus ex cauſa de inofficioſo: niſi adjecta fuerit aliqua particula extremitatem temporis demonſtrans, ut in §. 1. *ejuſdem legis.* Sed & hoc caſu eadem ratio. Non enim quæritur de validitate ſubſtitutionis, ſed de tempore, quo adeſſe debeat qualitas à teſtatore requiſita in eo, quem vocavit ad ſubſtitutionem.

Sunt & aliæ cauſæ, in quibus ſubſiſtit ul- 21
tima voluntas, nec inſpicitur tempus facti teſtamenti. Elegantiſſimum exemplum affertur in *l. cùm ſervus 39.* alias *l. apud Julianum.40. §. ſi Titius ff. de leg. 1.* Titius à me fundum emit, & antequam ei traderem, eum mihi legavit: mox ei tradidi, & pretium recepi. Videtur prima facie non conſiſtere legatum, quòd rem meam mihi legaſſet: ut ait ibi JC. Nam venditor, qui nondum tradidit emptori rem venditam, ejus rei dominus eſt *§. cum autem, in fin. inſt. tit. de empt. & vend.* traditionibus enim, non nudis pactis dominia rerum transferuntur. *l. traditionibus 20. C. de pact. §. per traditionem 40. inſt. tit. de rer. diviſ.* Nihilominùs tamen reſponſum eſt à Juliano, legatum valere, & poſſe rem legatam vindicare: imò, ſi pretium ei à Titio ſolutum non fuerit, ex vendito aget, ut pretium conſequatur: & ex teſtamento, ut recipiat rem, quam vendidit, & tradidit. Sed hoc ita conſtitutum arbitror, quia licèt venditor ſit dominus, antequàm rem tradat, tamen tenetur eam tradere, & emptor habet actionem ad rem conſequendam: qui autem actionem habet, rem ipſam habere videtur *l. is qui actionem 15. ff. de reg. jur.* & res ejus dicitur, qui actionem habet ad rem conſequendam *l. magis puto 5. §. fundum ff. de reb. eor. l. ſi partem 19. in fin.* Ibi: *quia ſcilicet tua eſſe cœperat ff. quemadm. ſervit. amit. l. quæſitum 91. §. penult. ff. de leg. 1.* & perveniſſe res dicitur ad eum, qui rem perſequi poteſt, licèt poſſeſſionem ejus nactus non ſit *l. 2. §. perveniſſe ff. de hered. vel act. vend.* Itaque Titius de re emptâ diſponit tamquam de re ſuâ, cùm in ejus arbitrio ſit, quandòcumque eam ſoluto pretio conſequi.

Alterum exemplum eſt in *l. non oportet 52.* 22
ff. de leg. 2. quæ deprompta eſt ab libro tertio Clementis ad legem Juliam & Papiam, & connectit cum lege antecedenti, quæ eſt Ulpiani ex libro octavo ad eamdem legem.

Digitized by Google

Hâc lege inter alia ſanciebatur, ut relicta incapaci ad fiſcum devolverentur. *l. un.* §. *pro ſecundo C. de caduc. toll. l. edicto* 13. *ff. de jure fiſci*. Sed hæc incapacitas non æſtimatur de tempore teſtamenti : ſed de tempore, quo hereditas, legatumve ad fiſcum pertineat. Ratio eſt, quia incapacitas præcedens vitiat quidem legatum, & inſtitutionem, ſed ita, ut pro non ſcriptis habeantur, non ut ad fiſcum perveniant *l.* 3. *ff. de his, quæ pro non ſcript. l. ſunt quidam* 17. *ff. de pœn. l. ſi quis mihi bona* 25. §. *Si quis plane* 3. *ff. de acquir. vel omit. hæred. l. in metallum* 12. *ff. de jure fiſci*, ubi verbum *poſteà* non ſignificat *quandòcumque*, ſed poſt conditum teſtamentum uſque ad mortem. Itaque quoad fiſcum in cauſa caduci ſpectatur tempus, quo legatum vel hæreditas ad fiſcum devolvitur.

CAPUT XXII.

Ad l. quod initio 29. ff. de reg. jur.

SUMMARIUM.

1 *Regula : quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcit : pertinet propriè ad contractus.*

2 *Servus, ſi tempore, quo cedit dies, ſit manumiſſus, ſibi acquirit hæreditatem aut legatum : non ita eſt in ſtipulatione.*

3 *Servus hæreditarius uſumfructum ſtipulari non poteſt neque purè neque ſub conditione, ei autem legari poteſt.*

4 *Servus ſtipulari poteſt viam ad fundum domini : illi autem legari non poteſt.*

5 *Filius & ſervus de debito etiam conditionali non poſſunt paciſci de non petendo : poſſunt verò de legato conditionali.*

6 *Obligatio conditionalis tranſit ad hæredes, creditore decedente ante eventum conditionis, non idem eſt in legato.*

7 *In legatis conditionalibus conditio non retrotrahitur. In contractibus retrotrahitur ad tempus celebrati contractûs.*

8 *Initium contractûs vitioſum reddit vitium intrinſecum, non impedimentum accidentale.*

9 *Impedimento extrinſeco remoto contractus convaleſcere poteſt. Exempla. & n.* 10. 11 12. 13.

10 *Provinciam adminiſtrantes in ea nubere prohibebantur. Poſt depoſitum officium nuptiæ convaleſcebant. Senatores uxorem libertinam ducere non poterant : dignitate omiſſâ valebat matrimonium.*

11 *Venditio fundi dotalis à marito facta convaleſcit, uxore defunctâ in matrimonio.*

12 *Venditio rei furtivæ convaleſcit, venditore exiſtente hærede rei domino.*

13 *Rei alienæ pignus convaleſcit ſi oppignerans ejus dominium acquirat.*

14 *Pignus in re, in quâ nullum jus habemus, conſtituere non poſſumus. Conciliatur L. rem alienam* 41. *ff. de pignorat. act. cum L. ſi Titio* 21. *ff. de pignor. & n.* 15.

15 *Pignus rei alienæ an ullam obligationem pareret, veteres dubitarunt.*

16 *Exponitur L. gerit* 88. *ff. de acq. hæred. & n.* 17. 18.

17 *Hæreditas jacens detinet omnia bona defuncti, & etiam poſſeſſionem.*

18 *Et uſucapio non interrumpitur, imò tempus, quo jacet, computatur ad eam complendam.*

19 *Precario rem habens, aliquo modo poſſidet.*

20 *Hæres impugnare non poteſt factum defuncti.*

FIdem meam liberabo, & munus promiſſi 1
omne conficiam. Quod initio vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcit *l. quod initio* 29. *ff. de reg. jur.* Hæc regula generalis eſt, potiſſimè tamen pertinet ad contractus : ſicut regula Catoniana propria eſt de legatis. Nam in contractibus initium ſpectamus *l. ſi procuratorem* 8. *in princ. ff. mandat. l. ſi id quod* 58. §. *ſi filiusfam.* 78. *in princ. ff. de V. O.* Imò & in quaſi contractibus *l. Pomponius* 15. *ff. de negot. geſt.* & etiam in delictis *l.* 1. *in princ.* §. 1. *&* 2. *ff. de pœn.* ac propterea, ſi initium vitioſum eſt, non poteſt valere contractus. In legatis autem non initium ſpectamus, ſed tempus, quo dies legati cedit *l. uſusfructus* 26. *ff. de ſtipul. ſervor.* Ratio differentiæ eſt, quia in contractibus aut ſtatim naſcitur obligatio, aut ſaltem neceſſitas, per quam non poſſunt contrahentes ampliùs à contractu recedere *l ſicut* 5. *C. de oblig. & act. l. quamvis* 39. *C. de tranſact.* Contrà in legatis neque ab initio ulla naſcitur obligatio, nec ulla neceſſitas adſtringit teſtatorem, quia poteſt pro arbitrio mutare voluntatem, & legata adimere, & transferre, & nolle quod ſemel voluit : eſt enim ejus voluntas ambulatoria uſque ad extremum vitæ ſpiritum *L.*

cùm hic ſtatus 32. §. *pœnitentiam ff. de donat. inter vir. & uxorem l. quòd ſi iterum* 4. *ff. de adim. vel transf. leg.* Atque diſcrimen perſpicuè dignoſcitur ab effectis, quæ breviter exponenda ſunt, ut, quod tempus ſpectari debeat, intelligamus.

2 I. Si ſervus meus pro parte hæres fuerit inſtitutus purè, pro aliâ parte ſub conditione, & juſſu meo adiverit partem hæreditatis, in qua purè fuit inſtitutus, eam partem mihi acquirit: quòd ſi conditio alteri parti adjecta extiterit poſtquàm manumiſſus fuerit, non mihi acquirit illam portionem, ſed ſibi *l. ſi ſolus* 80. §. 1. *ff. de acquir. hæred.* Hoc ideò, quia non attenditur, cujus conditionis fuerit tempore inſtitutionis aut tempore mortis, ſed præſens tempus delatæ hæreditatis. Animadvertendum tamen eſt, quòd neceſſe eſt, ut habuerit cohæredem, aut ſubſtitutum: ſi enim hæres eſſet in tota hæreditate, adeundo partem purè relictam, acquireret etiam aliam partem non expectatâ conditione *l. cùm hæres* 52. §. 1. *ff. eod.* adeòque tunc tota domino acquireretur. Ad rem redeamus. Idem obtinet in legatis: ſi legatum ſit ſervo, vel filiofam. & is tempore, quo dies legati cedit, ſuæ poteſtatis ſit, ei acquiritur legatum: contrà ſi ſtipulatus ſit ſervus vel filius, acquirit domino vel patri, etiamſi tempore exiſtentis conditionis, quo tempore naſcitur obligatio, ſui juris ſit *l. quæ legata* 18. *in fin. ff. de reg. jur. l. ſi filiusfam.* 78. *ff de V. O.* quia in contractibus inſpicitur tempus, quo contrahitur *l. non omne* 144. *ff. de reg. jur.*

3 II. Servus hæreditarius uſumfructum ſtipulari non poteſt, neque purè, neque ſub conditione. Non purè, quia nulla eſt perſona, cui adhæreat, uſusfructus tamen ſine perſona eſſe non poteſt. Non ſub conditione, quia licèt conditio poſſit exiſtere poſt aditam hæreditatem, quo caſu poſſet hæredi acquiri, & non deeſſet perſona, cui inhærere poſſet: tamen cùm ſtipulatio vires capiat ex præſenti, non poteſt valere ſtipulatio. Contrà legatum valet ſive purè, ſive ſub conditione relictum, quia ex præſenti vires non accipit, ſed cùm dies ceſſerit, & poteſt dies cedere ab aditione hæreditatis, cùm ſervus hæredis factus eſt *l. uſusfructus* 26. *ff. de ſtipul. ſerv.* Imò etſi ſervus in tempus alienationis, vel manumiſſionis contulerit obligationem, vel filius in tempus emancipationis, nihilominùs domino, & patri acquiritur obligatio *l. ult. ff. eod.* niſi id bonâ fide fecerit, ut in *l. quidam* 46. *ff. de hæred. inſtit.* Contrà legatum & expreſſè, & etiam tacitè conferri poteſt in tempus manumiſſionis & emancipationis, atque etiam hæreditas, ita ut manumiſſo vel filio acquiratur *l. cum filiofam.* 50. *in princ.* & in §. *ex his, ff. de leg.* 3. *l. ſi ancilla* 58. *l. duos* 70. *l. avia* 77. *l. ſi cui legatum* 92. *cum ſeq. ff. de cond. & demonſtr.*

III. Non poteſt ſervo legari via ad fun- 4
dum domini *l.* 5. *ff. de ſervit. leg.* Contrà verò ſervus viam ſtipulari poteſt, ſicut etiam iter, & actum, & eas ſervitutes domino acquirere *l. proindè* 7. *in fin. l. ſi communis* 17. *ff. de ſtipul. ſervor. l. ſi unus ex ſociis ff. de ſervit. ruſt. prædior.* Valet ſtipulatio, quia ex præſenti vires capit, & ideò via acquiritur domino ſervi, qui ſtipulatur, eique acquiri poteſt, cùm ſit dominus fundi, ad quem viam, iter, actum ſervus ſtipulatus eſt. §. *ideò autem inſt. tit. de ſervit. ruſt. & urban. præd. l.* 1. §. 1. *ff. commun. prædior. l. ſi quis duas* 8. *ff. eod.* Non valet legatum harum ſervitutum ſervo relictum, quia non accipit vires ex præſenti, ſed cùm dies legati cedit: hoc autem tempore fieri poteſt, ut qui ſervus erat tempore conditi teſtamenti, modò ſit liber, quo caſu nec domino poteſt acquirere ſervitutem, quia ſervus ampliùs ejus non eſt, nec ſibi, quia prædium non habet *d. l. qui duas* 8. *ff. de ſervit. ruſt. præd.* Ut autem valeat legatum ſervo relictum, neceſſe eſt, ut ejuſmodi legatum liber factus ſibi poſſit acquirere. Licèt enim teſtamenti factionem habeat ex perſona domini, tamen legatum conſiſtit ex perſona ſervi *d. l.* 5. *ff. de ſervit. leg. l. debito* 82. §. *ult. ff. de leg.* 2.

IV. Filiusfam. & ſervus non poſſunt pa- 5
ciſci de non petendo id, quod patri, & do-

mino debetur, niſi ex cauſa peculiari debeatur *l. contrà* 28. *in fin. ff. de pact.* nequidem ſi ex contractu conditionali debeatur, quia patri acquiritur obligatio & actio, etiamſi conditio extiterit, poſtquàm à poteſtate fuerint liberati *l. ſi filiusfam.* 78. *ff. de V. O.* poſſunt tamen paciſci de legato conditionali *l. & hæredi* 21. §. *item filiusfam. ff. de pact.*

6 V. Contractus conditionales tranſeunt ad hæredes, eisque acquiritur obligatio, ſi conditio exiſtat poſt mortem creditoris conditionalis §. *ſub conditione* 4. *in fin. inſt. tit. de V. O.* quia obligatio ex contractu conditionali ex præſenti vires accipit *l. uſusfructus ff. de ſtipul. ſervor.* etſi nondum nata, ſaltem concepta eſt obligatio, quæ ſpem non inanem producit, eaque conſtituit creditorem *l. is cui* 42. *ff. de oblig. & act. l. conditionales* 54. *ff. de V. S.* & illa ipſa ſpes ad hæredem tranſmittitur *d.* §. *ſub conditione.* Contrà legatum conditionale ad hæredem non tranſit *l. legata* 41. *ff. de cond. & dem. l. cùm hæres* 4. *& ſeq. ff. qu. di. leg. ced.* Etenim pendente conditione non eſt creditor *l. is cui* 42. *ff. de obl. & act.* quo fit, ut nec ſpem habeat, quam poſſit ad hæredem tranſmittere, argumento *l. creditores* 54. *ff. de V. O.* Ex hoc promanat alter effectus; quòd ſtipulatio in annos ſingulos una eſt, & perpetua, & ad hæredes tranſit *l. ſi Stichum* 16. §. 1. *ff. de V. O.* Legatum in annos ſingulos non unum eſt, ſed plura *l. cùm in annos* 10. *ff. qu. di. leg. ced.* & ſingulis annis capacitas inſpicitur *l. cùm in annos* 11. *ff. de ann. leg.* & ideò ſervo relictum domino acquirit, quamdiu ſervus eſt; ſi liber fiat, ſequentium annorum ſibi acquirit *l. nec ſemel.* 12. §. *indè Julianus ff. qu. di. leg. ced.* Et hoc legatum morte legatarii expirat *l. ſi in ſingulos* 4. *ff. de ann. leg.*

7 VI. In legatis conditionalibus non retrotrahitur conditio ad tempus conditi teſtamenti, quia vires accipit à morte teſtatoris: in contractibus retrotrahitur ad tempus celebrati contractûs: ac propterea potior eſt in pignore creditor, qui ſub conditione contraxit, eo, qui purè poſteà contraxit antè eventum conditionis *l. potior* §. 1. *ff. qui pot. in pignore.*

8 Ex his efficitur, hanc regulam propriè pertinere ad contractus, in quibus initium ſpectamus: quòd ſi vitioſum fuerit, contractus conſiſtere non poteſt. Quod tamen intelligendum eſt de vitio intrinſeco, quod ſubſtantiam contractûs inficit: non de impedimento accidentali, quo remoto contractus poteſt ſubſiſtere. Utrumque explico. Res Sacræ, Religioſæ, publicis uſibus deſtinatæ, liber homo, ſunt extra commercium §. *non ſolùm* 4. *inſtit. de legat. l. cùm ſervus* 32. §. *ult. ff. de leg.* 1. *l. ſi in emptione* 34. §. 1. *ff. de contr. empt.* ſine re autem, quæ in obligationem deducatur, nulla eſt ſtipulatio. Quamobrem nec valet harum rerum ſtipulatio ab initio, nec convaleſcit, ſi in commercio eſſe cœperint. Laborat enim vitio intrinſeco, quod ejus ſubſtantiam inficit *l. inter* 83. §. *rem ſacram ff. de V. O.* Idem obtinet in ſtipulatione rei noſtræ. Stipulamur enim, ut res noſtra fiat: res autem noſtra ampliùs noſtra fieri non poteſt. §. *ſed ſi rem.* 10. *inſt. de leg. l. non ut ex pluribus* 159. *ff. de reg. jur. l.* 3. §. *ex plurimis ff. de acquir. poſſeſ.* & quod noſtrum eſt, nobis dari non opportet §. *ſic itaque* 14. *inſt. tit. de action.* Dare enim non videtur, qui rem non facit accipientis *l. non videntur* 167. *ff. de R. J.* Quamobrem qui promittit ſe daturum, omnimodò debet rei promiſſæ dominum efficere ſtipulatorem *l. ubi autem* 75. *in fin. ff. de V. O.* Igitur, qui promittit ſe mihi daturum rem meam, promittit rem impoſſibilem, adeòque vitioſa eſt ſtipulatio, & vitium eſt intrinſecum, & ſubſtantiale, nec poteſt tractu temporis convaleſcere ſtipulatio §. *idem juris inſtit. tit. de inut. ſtipul.* Non aliter ſe res habet in ſervo alieno manumiſſo: natura enim omninò repugnat, ut quis libertatem det ſervo, cujus dominus non eſt: ſervitus enim ea eſt, quæ hominem dominio noſtro ſubjicit §. *ſervitus inſt. tit. de jur. perſon. l. libertas* 4. §. 1. *ff. de ſtat. hom.* Non poteſt igitur quiſquam eum à ſervitute liberare, niſi à ſe avellendo dominium, quod habet, quodque ei tribuit

ſervitus: nec poteſt avellere à ſe dominium, ſi nullum in eo homine dominium habet. *l. nemo plus juris* 54. *ff. de reg. jur. l. nemo plus commodi* 120. *ff. eod.*

9 Quòd ſi contractus ſit inutilis propter aliquod vitium extrinſecum, hoc eſt, propter aliquod impedimentum, quod ſpecialis aliqua lex ipſi oppoſuit; remoto poſteà impedimento, quod obſtabat contractui, ſolet confirmari, & convaleſcere, cùm nihil amplius obſtet, quin valeat. Hoc etiam exemplis eſt explicandum. Primum exemplum habemus in nuptiis. Ex mandatis Principum, qui provinciam adminiſtrant prohibentur in ea provincia uxorem ducere. Si matrimonium in ea provincia contraxerint contra mandata principum, matrimonium nullum eſt. Sed ſi poſt depoſitum officium in eâdem voluntate manſerint, nuptiæ juſtæ efficiuntur, & ideò liberi poſteà nati legitimi ſunt: quia nati ſunt ex juſto matrimonio, quod poſt depoſitum officium convaluit, remoto impedimento legis *l. eos* 65. *ff. de rit. nupt.* & hoc Pauli reſponſum totidem ferè verbis confirmat Imperator Gordianus in *l. etſi contra* 6. *C. de nupt.* Sed eſt animadvertendum, quod tam Paulus, quàm Gordianus aïunt, liberos poſteà natos eſſe legitimos: non autem eos, qui nati fuerunt ante depoſitum officium, quia hi non fiunt legitimi, etiamſi matrimonium convaluerit. Matrimonium convaleſcit, quia non laborat vitio intrinſeco, quod matrimonii ſubſtantiam inquinaret. Sed ratio potentatùs ipſum prohibuerat, ut ait Papinianus in *l. præfectus* 63. *ff. de ritu nupt.* Liberi nati ante depoſitum officium, eo depoſito non fiunt legitimi, quia vitio intrinſeco laborant, cùm ex vetito, & illegitimo matrimonio nati ſunt. Quamobrem licèt nati ex concubina per ſubſequens matrimonium legitimi fiant §. *ult. inſt. tit. de nupt.* tamen nati ex illo matrimonio non fiunt legitimi, etiamſi matrimonium convaluerit. Ratio eſt, quia illi vitium non contraxerunt; neque enim progeniti fuerunt ex conjunctione legibus interdictâ *l. cùm quis* 14. *C. de natural. liber.* hi autem, cùm progeniti fuerint ex conjunctione legibus interdictâ, vitio intrinſeco laborant.

Aliud in nuptiis exemplum nobis ſuppeditat Ulpianus in *l. ſi quis* 27. *ff. de rit. nup.* 10
Lex Julia vetuit, ne ſenator, ejuſve filius, aut nepos libertinam uxorem duceret *l. lege Juliâ* 44. *ff. de ritu nuptiar.* tamen ſi eam contra præceptum legis duxerit, & poſteà amiſerit dignitatem, ea, quæ ante amiſſam dignitatem uxor non erat, quia matrimonium illegitimè contractum erat: poſt amiſſam à viro dignitatem uxor eſſe incipit. *d. l. ſi quis* 27. Nimirum quia hujuſmodi matrimonium vitio extrinſeco laborat; quod tollitur amiſſâ dignitate: nam prohibitio legis eò tantùm pertinet, ne dignitas ſenatoria contaminetur. Hoc impedimento remoto nulla cauſa eſt, cur matrimonium non debeat ſubſiſtere *l. ſenatoris* 47. *ff. eod.* Non abſimile exemplum habetur in *l. ſi quis tutor* 60. §. *quid ergo ſi adoptivus ff. de rit. nupt.* Senatuſconſulto cautum eſt, ne tutor pupillam vel filio ſuo, vel ſibi nuptum collocet *l. Senatuſconſulto* 59. *ff. eod.* Tutor filio ſuo adoptivo pupillam ſuam nuptum collocavit: poſteà filium emancipavit; matrimonium ab initio illicitè contractum convaleſcit: quia poſt emancipationem in totum adoptivæ familiæ filii obliviſcuntur *d. l. ſi quis tutor.* Nimirum quia removetur impedimentum, propter quod hujuſmodi nuptiæ ſunt inter dictæ: videlicèt, ne pupillæ in re familiari circumſcribantur ab his, qui rationes eis geſtæ tutelæ reddere compelluntur. *l. libertum* 64 §. 1. *ff. eod.*

Alia exempla proponuntur in venditione 11
à Papiniano in *l. cùm vir.* 42. *ff. de uſurp. & uſucap.* Maritus non poteſt vendere prædium dotale, id prohibente lege Juliâ de fundo dotali *l. lex Julia* 4. *l. ſi fundum* 16. *ff. de fund. dot. princ. tit. inſt. quib. alien. lic. vel non.* & ſi vendiderit, venditio non valet. *l. cùm vir. prædium* 42. *ff. de uſurp. & uſucap.* Sed ſi defunctâ in matrimonio muliere dos lucro mariti ceſſerit, adeòque liberum dominium fundi acquiſiverit, venditio, quæ ab initio erat inutilis, convaleſcit, & confirmatur *d. l. cùm vir.* 42. Meritò. Fundus enim dotalis durante matrimonio mariti eſt. *princ. tit.*

inſtit. quib. alien. licet vel non. Proindè ex vi dominii poteſt res dotales alienare, ſicut & ſervum dotalem etiam invitâ uxore manumittere *l. dotalem* 61. *ff. ſol. matrim.* Sed ut caveatur uxori, lex Julia ejus fragilitati indulgens, ne indotata remaneat, prohibuit fundum dotalem à marito alienari, quod etiam conſentiente uxore fieri vetuit Juſtinianus *d. princ. tit. inſt.* Ceſſat autem hoc impedimentum, hæc prohibitio, quoties dos lucro mariti ceſſit. Dominium, quod habebat conſtante matrimonio, & quod ne quidem ab uxore poterat ab eo avelli *l. ſi prædium* 23. *C. de jure dot.* ſed tamen erat revocabile, per matrimonii diſſolutionem, fit irrevocabile, & liberum, & pleno jure apud eum reſidet, cùm dos ejus lucro cedit. Non fuit ab initio inutilis venditio propter aliquod vitium intrinſecum, ſed propter extrinſecùm impedimentum legis dotibus faventibus. Itaque etiam mortuo marito, licèt tunc dominium ad uxorem revertatur, & prædium dotale poſſit vindicare *l.* 3. *C. de rei vindic.* tamen ſi legatum à marito acceperit, & hoc ampliùs maritus emptorem prædii rogaverit, ut pretium ei reſtitueret; oblato uxori ab emptore pretio, ſi mulier prædium vindicet, repellitur exceptione doli mali *l. cùm pater* 77. §. *qui dotale* 5. *ff. de leg.* 2. Sed hoc caſu convaleſcit venditio, non ipſo jure, ſed ope exceptionis, quia maritus ampliùs dominus non eſt, & ſola voluntas mariti non ſufficit ad confirmandam venditionem: quare ſi mulier legatum repudiaſſet, poſſet ſuum fundum vindicare, nec ei obſtaret exceptio.

12 Aliud exemplum proponit Papinianus in laudata *l. cùm vir.* 42. *ff. de uſurp. & uſucap.* in venditione rei furtivæ. Res furtiva, antequàm vitium purgetur, uſucapi non poteſt, id prohibente lege Atiniâ *l. ſequitur* 4. §. *quod autem l. non ſolùm* 33. *in princ. ff. eod.* §. *furtiva inſtit. tit. de uſucap.* Quidam vendidit rem furtivam, poſteà extitit hæres domino ejus rei; adeòque ipſius dominium acquiſivit: convaleſcit venditio, & emptor incipit uſucapere *d. l. cùm vir.* 42. ſed id obtinet, quia vitium purgatum eſt, cùm domino ſit ſatisfactum *l. ſequitur* 4. §. *tunc in poteſtatem* 10. *cum ſeq. ff. eod.* nam vitium purgatum eſt, & in poteſtatem domini veniſſe res dicitur, cùm ejus vindicandæ poteſtatem habuerit *l. poteſtatis* 215. *ff. de V. S.* Confirmatur autem venditio aut ipſo jure, ſi rem non vindicat ab emptore, aut ope exceptionis doli mali, ſi vindicet. Exiſtimaverim tamen, quocumque modo convaleſcere venditionem ipſo jure: quia hæres adeundo hæreditatem approbat omnia, quæ geſſit defunctus, & ad ea ſervanda obligatur *l. ſi ab eo C. de liber. cauſ.* Cùm autem venditio ſolo conſenſu contrahatur *l.* 2. *ff. de oblig. & act.* multò magis poteſt confirmari: ſufficit enim conſentire emptorem, ac venditorem ad contrahendam emptionem *d. l.* 2. §. 1. ergo multò magis ad eam confirmandam.

Aliud exemplum eſt in pignore. Rem alienam pignori obligare non poſſum *l. aliena* 20. *ff de pignor. act.* Quòd ſi rem alienam pignori dedero, & poſteà ejus dominium ſim conſecutus, quia hæres extiti dominio rei, pignus convaleſcit, non quidem directò, ſed per utilem actionem pignoratitiam, quæ datur creditori. Sed hìc quoque pignus non laborat vitio intrinſeco, licèt enim res aliena pignori dari non poſſit, tamen etiam res futuræ veniunt in pignore generali, quas poſteà debitor acquiſiverit *l. & quæ nondum* 15. §. 1. *ff. de pignor. l. ult. C. de remiſ. pignor.* Præterea pignorantem non eſt neceſſe dominium habere rei pignoratæ, nec enim dominium transfert in creditorem, ſed ſufficit rem eſſe in bonis ejus *d. l. & quæ nondum* §. 1. Itaque poſſum obligare rem mihi debitam, ſeu nomen debitoris *l.* 3. §. 1. *ff. qui potior. in pignor. l. nomen C. quæ res pign. oblig. poſ.* & rem pignoratam *l. grege* §. *cùm pignori ff. de pignor.* rem, in qua habeo uſumfructum *l. & quæ nondum* 15. *in princ. l. ſi is qui* 11. §. *uſusfructus ff. eod.* vel jus ſuperficiarium, aut emphyteuticum *l. tutor* 16. §. *ult. ff. de pignor. action. l etiam ſuperficies* 15. *ff. qui pot. in pign. hab.* imò etiam rem, quam bonâ fide poſſideo *l. ſi ab eo* 18. *ff. de pignor.* Ex quibus efficitur, dominium rei non eſſe 13

de natura pignoris, cùm etiam ſine illo poſſit pignus conſiſtere : ac propterea ejus defectum reddere quidem inutile pignus, non tamen vitioſum ita, ut non poſſit convaleſcere. Verum tamen cum non poſſit aliquis in re, in qua nullum jus habet, conſtituere jus pignoris : idcircò valdè apud veteres controverſum fuit, an acquiſito dominio pignus convaleſceret. Primùm enim Papianus in *l. 1 in princ. ff. de pignor.* ait *debitori dominio quæſito, difficiliùs creditori, qui non ignoravit alienum, utilis actio dabitur, ſed facilior erit poſſidenti retentio.* Si creditor cùm pignus accepit, ſciebat alienum eſſe, putat non eſſe dandam ei pignoris perſecutionem : non tamen audet eam ipſi abſolutè denegare; ſed ait quòd difficiliùs ei dabitur perſecutio, ſi non poſſideat, quàm retentio ſi poſſideat. Paulus autem in *l. rem alienam 41. ff. de pignor. act.* ſine hæſitatione ait, quòd ſi dominus rei, quam Titius ſine ejus voluntate pignori dedit, eidem Titio hæres exiſtat, licèt idem ſit dominus rei, & debitor nihilominùs pignus non convaleſcit, nec creditor habet utilem actionem ad rem pignoratam perſequendam. Itaque Papinianus non dat actionem ſcienti creditori: Paulus eam denegat, quando dominus ſucceſſit debitori pignoranti. Contrà Modeſtinus eodem caſu dat eam creditori in *l. ſi Titio 22. ff. de pignor.* Peliam lavant, qui duas haſce leges conciliare contendunt. Veriſſimum puto, quod admonuit doctiſſimus Cujacius, Modeſtinum, qui multò poſt Papinianum, & Paulum floruit, controverſiam, quæ olim extabat hâc de re, ſuſtuliſſe, quod procedente tempore obtinuiſſet ſententia, actionem perſecutionemque pignoris dandam eſſe creditori, quoties quæſitum eſt debitori dominium, ex æquitate, cùm hæres probare teneatur factum defuncti, ut ad ſuperius exemplum diximus *l. 3. C. de reb. alien. non alien.* Quantùm autem ad rem noſtram attinet,
15 videntur veteres etiam dubitaſſe, an ulla obligatio naſceretur ex pignore rei alienæ. Certè Tryphoninus id abſolutè denegare non audet: Ibi : *quali quali obligatione à debitore interpoſita l. reſcriptum §. 1. ff. de diſtr. pign.* Neque enim poſſum aſſentiri doctiſſimi viri interpretationi, qui ita explicat *qualis qualis*, id eſt, *nulla*. Qui *qualem qualem* obligationem dicit; nihil quidem certò affirmat, cujuſmodi ſit ea obligatio, ſed tamen aliquam eſſe ſupponit, vel ſaltem eſſe poſſe. *Qualis qualis*, id eſt, *qualiſcumque*, vel ut Cicero ait, *qualislibet*. In *l. 2. §. 1. ff. de bon. poſſeſ. ſec. Tab. Si ſub conditione hæres inſtitutus filius ſit, Julianus peræquè putavit ſecundùm tabulas competere ei, quaſi ſcripto, bonorum poſſeſſionem, qualis qualis conditio ſit, etiam ſi hæc : ſi navis ex Aſia venerit.* In *l. eum qui 5. in fin. ff. de conſt. pecun. qualem qualem ſervum domino acquirere obligationem.* In *l. is qui hæres 13. in princ. ff. de acquir. vel om. hæred. Caterùm hæres inſtitutus ſub conditione, ſi ante exiſtentem conditionem repudiavit, nihil egit qualis qualis conditio fuit: etſi in arbitrium collata eſt.* Nec quicquam pro doctiſſimo viro facit *l. gerit 88. ff. eod.* 16
Pro hærede gerit, qui animo agnoſcit ſucceſſionem, etiamſi nihil attingat hæreditarium : unde etſi domum pignori datam, ſicut hæreditariam retinuit, cujus poſſeſſio qualiſqualis fuit in hæreditate, pro hærede agere videtur. Etenim licèt veriſſimum ſit, quòd hæreditas non poſſidet *l. 1. §. Scævola ff. ſi is, qui teſtam. liber.* tamen obſervandum eſt, quòd ibi Paulus nec affirmat hæreditatem qualemqualem habere poſſeſſionem, nec eſſe in poſſeſſione : neutrum enim de hæreditate dici poteſt, nam poſſeſſio facti eſt ; & animi *d. §. Scævola*, animi, & corporis *l. quemadmodùm 8. ff. de acquir. poſſeſ.* hæreditas autem neque corpus habet, neque animum : eſt enim nomen juris, & in jure conſiſtit *l. bonorum 208. ff. de V. S. l. 3. §. hæreditatis ff. de bonor. poſſeſ. l. 1. §. quædam ff. de rer. diviſ.* Plus eſt poſſidere, quàm in poſſeſſione eſſe *l. ſi quis antè 10. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſ.* Hæreditas neque poſſidet res hæreditarias : neque in earum poſſeſſione eſt. Sed neutrum Paulus innuit in laudata *l. gerit 88. ff. de acquir. hæred.* Sed ait : *cujus poſſeſſio qualis qualis fuit* in hæreditate. Non hæreditas fuit in poſſeſſione, nec habet poſſeſſionem : ſed poſ-

ſeſſio fuit in hæreditate, & quidem non, non vera, non propria poſſeſſio: ſed qualis qualis poſſeſſio.

17 Id autem ego ſic interpretor. Defunctus, cui res erat pignorata, ejus poſſeſſionem habebat *l. per ſervum 37. ff. de acquir. rer. dom.* hæreditas ejus antequàm adeatur perſonam defuncti ſuſtinet *l. hæreditas 34. ff. de acquir. rer. domin.* & quaſi domina tenet omnia bona defuncti, eaque complectitur *l. non minùs 31. §. 1. ff. de hæred. inſtit.* Itaque ſervus hæreditarius ipſi tamquam dominæ res omnes hæreditarias comprehendenti, ac detinenti acquirit *l. in eo 33. §. ult. ff. de acquir. rer. domin.* & acquirit etiam poſſeſſionem *l. qui à ſervo 16. in fin. ff. de oblig. & action.* Quamobrem ſicut alia omnia bona defuncti qualiacumque fuerint (exceptis illis, quæ morte finiuntur & extinguuntur ut ſervitutes perſonales) ſunt in hæreditate, ab hæreditate tamquàm omnium dominâ detinentur: ergo poſſeſſio defuncti in hæreditate eſt: non quidem vera, & propria, qualis erat penès defunctum, quia cùm facti ſit, & veram detentionem requirat, id verè præſtare non poteſt hæreditas; ſed *qualisqualis*: hoc eſt, ejuſmodi, ut poſſit jungi cum poſſeſſione futuri hæredis, nec per defuncti mortem interrumpatur *l. cùm miles 30. in princ. ff.*
18 *ex quib. cauſ. major.* Argumento eſt, quòd quantocumque tempore jacuerit hæreditas, non interrumpitur uſucapio, & illud tempus computatur hæredi ad complendam uſucapionem *l. numquam 31. §. vacuum l. juſto 44. §. nondum ff. de uſurp. & uſucap.* imò, & à jacente hæreditate completur uſucapio, quæ ſine poſſeſſione compleri non poteſt *l. cœptam 40. ff. eod.* & *d. l. cùm miles 30. ff. ex quib. cauſ. major.* Confirmat id Africanus in *l. ſi de eo fundo 40. §. 1. ff. de acquir. vel om. poſſeſ.* Si fortè colonus, per quem dominus poſſideret, deceſſiſſet: propter utilitatem receptum eſt, ut per colonum poſſeſſio & retineretur, & continuaretur. Si dominus retinet, & continuat poſſeſſionem per colonum jam mortuum, hoc eſt, per ejus hæreditatem: ergo poſſeſſio defuncti eſt in hæreditate: videlicèt quia perindè habetur, ac ſi hæreditas detineret rem illam, quam colonus defunctus detinebat, per quam detentionem dominus detinebat, ac poſſidebat: nunc autem poſſidet per detentionem hæreditatis, quamdiu poſſeſſionem non neglexerit adipiſci *d. l. ſi de eo fundo §. 1.*

Neque me movet, quòd is, qui precario eſt in 19
poſſeſſione, dicitur qualiter qualiter poſſidere in *l. is qui in puteum 11. §. ergo ſi poſt ff. quod vi aut clam.* qui tamen non poſſidet *l. certè 6. §. is qui ff. de precar.* Etenim falſiſſimum eſt, quòd qui precario rem habet, eam aliquo modo non poſſideat *l. 4. §. 1. ff. de precar.* Ibi: *meminiſſe autem nos oportet eum, qui precario habet, etiam poſſidere*: & in *§. ult.* ejuſdem *l.* & in *l. & habet 15. §. eum qui*, & in *l. 2. in fin. ff. eod.* in *l. qui pignori ff. de acquir. poſſeſ.* Nec obſtat id, quod dicitur in *d. l. certè 6. ff. de prec.* Nam ibi agit de verâ, ac propriâ poſſeſſione, cùm id probet exemplo fructuarii, qui licèt in prædio ſit, tamen non poſſidet, & tamen certum eſt fructuarium aliquo modo poſſidere, licèt poſſeſſio ei non proſit ad uſucapionem *l. per ſervum 37. ff. de acquir. rer. domin.* Ad ſummam ſic concludi licet. Verba illa *qualis qualis*, aliquandò quodcumque genus comprehendunt ejus rei, cui adjecta fuerunt, ut in *l. 2. ff. de bonor. poſſeſ. ſecun. tab.* in *l. 5. in fin. ff. de conſtit. pec.* in *l. is qui hæres 13. in princ. ff. de acq. vel om. hæred.* aliquando ſignificant ac demonſtrant rem impropriè talem, ut in *d. l. gerit. ff. eod.* & in *l. is qui in puteum ff. quod vi aut clam.*

Sed jam eò, undè digreſſi ſumus, rever- 20
tamur. Alia exceptio regulæ, quam initio probavimus, habetur in *l. ſi ab eo 7. C. de liber. cauſ. Si ab eo, cujus ſervus fuiſti, manumiſſus es, fruſtrà libertatis controverſiam ſuſtines, maximè ab hærede ejus, qui te manumiſit: cùm etſi jure libertas non proceſſerit, reſpectu tamen aditæ hæreditatis voluntatem defuncti ſuo conſenſu firmare debuit.* Idem ferè antè traditum erat ab Ulpiano in *l. filium 31. ff. de liber. cauſa. Filium ob hoc, quòd patri hæres extitit, prohiberi à patre ſuum ſervum manumiſſum in ſervitutem petere.* Hujus exceptionis ratio in ipſis legibus declaratur

Digitized by Google

tatur, illis verbis: *reſpectu tamen aditæ hæreditatis voluntatem defuncti ſuo conſenſu firmare debuit*: imò firmavit eo ipſo, quo hæreditatem adivit: adeundo enim ſe obligavit ad ſervandam voluntatem defuncti, & illam tacitè approbavit *l. 3. C. de reb. alien. non alienan.* Rectiùs igitur Ulpianus dixit *ob hoc, quòd patri heres extitit*. Hoc enim ipſo, quòd hæres eſt, prohibetur voluntatem defuncti infringere, & revocare: concurrit enim tacita ejus voluntas cum expreſſa voluntate defuncti.

CAPUT XXIII.

Ad l. non poteſt videri 23. ff. de judic.

SUMMARIUM.

1 In judiciis ſpectatur tempus rei judicatæ.
2 Ut reus condemnetur, ſufficit rem peti poſſe tempore rei judicatæ. Exemplum in actione mandati.
3 In actione depoſiti.
4 In actione de peculio, & petitione hæreditatis.
5 In actionibus in rem.
6 Non ſolùm quoad ipſam rem, ſed etiam quoad ea, quæ rei accidunt, vel decedunt.
7 Judicium non expletur momento temporis, ſicut contractus, ſed tractum temporis habet.
8 In judicium non venit quidquid accidit poſt illud acceptum: ſed nova interpellatione opus eſt. Explicatur textus noſter.
9 Obligatio futura in judicium deduci non poteſt.
10 Exponitur l. in lege 40. ff. ad leg. Aquil.
11 In judiciis generalibus veniunt etiam ea, quæ poſt judicium acceptum acciderunt.
12 In quolibet judicio veniunt ea, quæ ſunt connexa cum eo, quod petitum fuit, licèt acciderint poſt acceptum judicium.
13 In contractibus, in quibus, juſſus vel mandatum requiritur, ſi non intervenerit, ratihabitione ſuppletur, & contractus convaleſcunt. Exempla. & n. 14 15.
16 Secùs eſt in juſſu adeundæ hæreditatis, & in auctoritate tutoris.
17 Taciturnitas cum ſcientia pro ratihabitione habetur.
18 Ratihabitio aliquando non retrotrahitur ad tempus, quo actus geſtus eſt. Exempla in nuptiis.
19 In dotis promiſſione.
20 In donationibus.

1 NOn temerè, neque inconſultè dixi in contractibus initium eſſe ſpectandum, atque adcò ad ipſos potiſſimùm pertinere regulam traditam in *l. quod initio 29. ff. de R. J. quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere*. Certè, ea in judiciis non obtinet: in his enim potiùs rei judicatæ tempus attendimus, quàm cœpti judicii. *l. quæſitum 30. in princ. ff. de pecul. l. quòd ſi in diem 16. ff. de petit. hæred.* Ibi: *Rei planè judicatæ tempus ſpectandum eſſe.*

2 Itaque ſi mandavero tibi, ut à Titio decem exigeres, & ante ea exacta mandati tecum egerim: ſi ante rem judicatam exegeris, condemnandum te eſſe conſtat. *l. ſi mandavero 17. ff. mand.* Non poteſt agi vi mandati, ut decem ſolvas, quæ nondum exegiſti, quia de futura obligatione judicium inſtitui non poteſt, & de eo, quod nondum debetur *l. non quemadmodùm 35. ff. de judic.* Verumtamen, ſi actum fuerit, & inter moras judicii reus decem exegerit, condemnandus eſt, quaſi per exactionem judicio convaleſcente.

3 Idem omninò traditum de judicio depoſiti in *l. 1. §. inde ſcribit. 21. verſic. idem Neratius ff. depoſiti. Idem Neratius ait, quamvis tecum depoſiti actum ſit cùm reſtituendi facultatem non habeas, horreis fortè clauſis: ſi ante condemnationem reſtituendi facultatem habeas, condemnandum te, niſi reſtituas, quia res apud te eſt: tunc enim quærendum, an dolo malo feceris, cùm rem non habes.* Rectè monet, hîc non eſſe quærendum, an dolo malo feceris, quia in actione depoſiti non tantùm venit dolus præteritus, ſed etiam futurus. *ead. l. 1. §. non tantum 20. ff. depoſit.* Sed cùm rem habeat, non eſt quærendum de dolo, ſed condemnandus eſt ad reſtituendum, licèt eam non haberet tempore litis conteſtatæ, vel ſaltem non haberet ejus reſtituendæ facultatem. Quocircà ſi hanc facultatem antè ſententiam non fuiſſet conſecutus, tunc de dolo quærendum fuiſſet, an dolo eam facultatem amiſiſſet.

4 Idem reſponſum eſt, de actione de peculio in *l. quæſitum 30. ff. de pecul.* & de petitione hæreditatis in *l. quòd ſi in diem 16. in princ. ff. de petit. hæred.*

5 Id ipſum obtinet in actionibus in rem. Actionem in rem parit poſſeſſio adverſarii

l. 1. *C. ubi in rem act.* eaque datur ex præſenti poſſeſſione *l. non aliter* 24. §. *ult. ff. de judic.* itaque ſemper eſt adverſus eum, qui poſſidet *l. actio num* 25. *in princ. ff. de obl. & act.* quinimò non ſolùm litis conteſtatæ tempore debet reus poſſidere, ſed etiam tempore rei judicatæ, ut poſſit condemnari *l. ſin autem* 27. §. 1. *ff. de rei vindic.* tamen, ſi litis conteſtatæ tempore non poſſedit, quo autem judicatur, poſſidet, omnimodò condemnandus eſt non ſolùm ad reſtituendam rem ipſam, ſed etiam fructus, ex quo cœpit poſſidere *eâd. l. ſin autem* §. 1. *ff. de rei vindic.* Magis igitur ſpectatur tempus rei judicatæ, quàm litis conteſtatæ: nam ſi litis tempore conteſtatæ poſſidebat, non poſſidet autem tempore rei judicatæ, quia inter moras judicii ſine dolo malo amiſit poſſeſſionem, abſolvendus eſt *d. l.* §. 1. ſin autem non poſſidebat tempore litis conteſtatæ: poſſidet autem tempore rei judicatæ, condemnandus eſt. Idem reſponſum eſt etiam de actione ad exhibendum in *l. quæſitum* 30. *in princ. ff. de pecul.*

6 Non ſolùm autem, quoad rem ipſam, quæ in judicium deducitur, rei judicatæ tempus ſpectatur, ſed etiam, quoad acceſſiones & fructus, & quoad incrementa, & deceſſiones rei petitæ *l. ſi ex duobus* 32. §. *in hoc & l. ſi filius & ſervus* 57. *ff. de pecul. l. fin. ff. quando de pecul. act. l. ſin autem* 27. §. 1. *ff. de rei vindic. l.* 2. *ff. de uſur.* §. 2. & 3. *inſtit. tit. de offic. judic.* Actor enim habere debet id omne, quod habiturus fuiſſet, ſi ſtatim ei res fuiſſet reſtituta *l. Julianus* 17. §. 1. *l. præterea* 20. *l. fructus* 33. *l. & ex diverſo* 35. §. 1. *l. qui reſtituere* 68. *l. ſi ejus fundi* 78. *cum ſeq. ff. de rei vind.*

7 Ratio autem cur judicium, quod initio inutiliter fuerat inſtitutum, ex poſt facto convaleſcat, ea eſt, quia judicium non expletur ac perficitur momento temporis, ſicut contractus: ſed habet tractum temporis, & non modicas moras, atque utinam non longiſſimas, ut hodiè uſuvenire ſolet. Quamobrem cum petitio actoris duret, & continuetur toto tempore judicii, uſque ad rem judicatam, ſi tempore rei judicatæ, quo terminatur judicium, actoris petitio juſta fuerit, & injuſta rei tergiverſatio, & contradictio: non poteſt judex contra juſtitiam abſolvere reum, detrectantem ſolvere quod debet, aut reſtituere rem alienam, quam poſſidet. *l. placuit* 8. *C. de judic. l. etſi quis* 14. §. *idem Labeo* 13. *ff. de relig. & ſumpt. funer.*

8 Neque his contrarium eſt, quod traditur in *l. non poteſt videri* 23. *ff. de judic.* in qua explicanda plerique implicantur: &, cùm eam ſatagunt declarare, involvunt obſcuritate. Inquit Paulus. *Non poteſt videri in judicium veniſſe id, quod poſt judicium acceptum accidiſſet: ideòque novâ interpellatione opus eſt.* Quod poſt judicium acceptum accidiſſet, adeòque ab actore petitum non fuit in libello, non poteſt videri in judicium veniſſe: neque enim venit in judicium, niſi quod actor petit, & de quo actor inſtituit actionem, quæ ſpeciem futuræ litis demonſtrat *l. edita actio C. de edend.* Nec poteſt judex pronunciare de eo, quod petitum non fuit, quia ſententia debet eſſe conformis libello *l. ut fundus* 18. *ff. comm. divid. l. ult. C. de fideicom. libert.* Putà actor convenit venditorem actione ex empto: inter moras judicii ab eo ſtipulatus eſt centum ex alia cauſa, vel aliud quid ei vendidit: non videntur hæc in judicium veniſſe, cùm poſt judicium acceptum acciderint, nec petita fuerint ab actore in libello: itaque novâ interpellatione, novâ petitione opus eſt, novo judicio. Explicat hoc ipſum clariùs, atque diſtinctiùs idem Paulus in *l. de his rebus* 46. *ff. de arbitr. De his rebus, & actionibus, & controverſiis judicare arbiter poteſt, quæ ab initio fuiſſent inter eos, qui compromiſerunt, non quæ poſteà ſupervenerunt.* De hoc eodem caſu loquitur Paulus in laudata *l. non poteſt videri* 23. *ff. de judic.*

9 Non abſimile eſt Modeſtini reſponſum in *l. non quemadmodùm* 35. *ff. de judic.* ubi ait judicium, antequàm aliquid debeatur, accipi non poſſe, neque de his rebus, quæ poſteà in obligationem adventuræ ſunt. In hoc tamen diſcrepant Pauli, & Modeſtini

reſponſa, quòd Paulus agit de his rebus, quæ poſt judicium acceptum ſupervenerunt, quæ cùm in judicium non venerint, novâ interpellatione, novoque judicio opus eſt. Modeſtinus agit de eo, qui petit, quod ſibi nondum debetur, & futuram obligationem in judicium deducit: quod fieri non poteſt. Inter utrumque autem caſum hoc diſcriminis intercedit; quòd primo caſu id, quod poſteà accidit, in judicium veniſſe non potuit, cùm libello comprehenſum non fuerit, & ideò novâ interpellatione opus eſt: ſecundo caſu, cùm futura obligatio in judicium deducta fuerit, licèt id non legitimè, & inutiliter factum fuerit, tamen ſi inter moras judicii naſcatur obligatio, convaleſcit judicium, & reus condemnandus eſt, nec opus eſt aliâ interpellatione.

10 Neque cuiquam ſcrupulum injiciat ejuſdem Pauli deciſio in *l. in lege* 40. *ff. ad leg. Aquil.* quaſi exiſtimaverit, etiam de futura obligatione rectè judicium inſtitui poſſe. Etenim ibi non agitur de actione, quæ naſcitur ex obligatione conditionali, de qua agi non poteſt antè eventum conditionis *l. cedere diem ff. de V. S.* ſed de actione ex lege Aquiliâ, quæ naſcitur ex damno dato, quod utique præſens eſt, & jam datum, cùm deletum fuit chirographum. Hoc autem damnum ſarciendum eſt, & quia damnum in eo conſiſtit, ut ſi teſtes mortui fuerint tempore exiſtentis conditionis, creditor ob deletum chirographum, probare non poterit creditum, illudque conſequi: idcircò judex reum condemnare debet ad ſolvendum debitum veniente conditione: quæ condemnatio nulla erit, ſi conditio defecerit. Idipſum ferè, ſed non adeo perſpicuè tradidit Paulus in *l. quidam.* 32. *ff. de furt.* ubi etiam de tabulis furto ſubreptis agit, quidve actione furti conſequi poſſit creditor, accuratè expendit. Sed hæc ad rem noſtram non pertinent. Illud monendum, quòd ſi præſens ſit obligatio, & rectè judicium inſtitutum, poteſt judex, ſi res ita ferat, reum condemnare ad cavendum etiam de futuro, ut in *l. harum* 7. & in *l. egi* 12. *ff. ſi ſervit. vindic.*

11 Porrò in judiciis generalibus venit etiam id, quod poſt judicium acceptum accedit, nec novâ interpellatione opus eſt. Paulus in *l.* 4. *ff. de petit. hæred. Si hæreditatem petam ab eo, qui unam rem poſſidebat, de qua ſola controverſia erat, etiam id, quod poſteà cœpit poſſidere, reſtituet.* Ratio eſt, quia in petitione hæreditatis actor non petit unam aliquam rem certam, rem ſingularem; ſed intendit hæreditatem ſuam eſſe. *l. licèt* 10. §. 1. *ff. eod.* ac propterea petit omnes res hæreditarias quæ à reo poſſidentur: nam omnes res hæreditatis appellatione continentur: idcircò veniunt in hoc judicium univerſæ res hæreditariæ *l. item videndum* §. *penult. ff. eod.* eſt enim de bonorum univerſitate, quam hæreditas comprehendit *l.* 1. *ff. de rei vindic. l.* 1. §. 1. *ff. quorum bon.* Quamobrem in petitione continetur etiam id, quod poſteà reus conventus cœpit poſſidere: & ſi id continet actoris petitio, id ipſum continere debet etiam judicis condemnatio *l. item veniunt* 18. §. *pen. ff. de petit. hæred. l. ſi quo tempore* 41. *ff. eod.* Idem traditum eſt de peculio, ejuſque judicio in *l. quæſitum in princ. ff. de pecul.* Licèt enim actio de peculio, non ſit de univerſitate bonorum, ſicut petitio hæreditatis: tamen qui agit de peculio petit omne id, quod eſt in peculio; adeòque hâc petitione complectitur omnes res peculiares. Perſequitur enim, quantùm eſt in peculio, cùm hæc actio detur, quatenùs eſt in peculio §. *actiones* 10. *inſtit. tit. de action.* §. *præterea inſtit. tit. quod cùm eo qui in al. pot.* Peculium autem continet omne id, quod ſervus domini permiſſu ſeparatim à rationibus dominicis habet, deducto indè ſi quid domino debetur *l. depoſiti* 5. §. *ult. ff. de pecul.*

12 Alia quoque occurrit exceptio: ſi id, quod poſt litem conteſtatam accidit, ita connexum ſit cum eo, quod petitum fuit, ut ab eo ſeparari non poſſit. Exemplum proponitur in *l. Antæus* 14. *in fine cum l. ſeq. ff. de aq. & aquæ pluviæ arc.* Si aquæ pluviæ arcendæ actum ſit Paulus ait: *de eo opere, quod poſt litem conteſtatam factum eſt; novo judicio agendum eſt:* & hoc conſentaneum eſt ei, quod ſcripſerat in *l. non poteſt* 23. *ff. de judic.* Subdit tamen in *l. ſeq. ſed in-*

Digitized by Google

terdum opus, & quod poſt litem conteſtatam factum eſt, tolletur, ſi id, quod anteceſſit, tolli ſine eo non poteſt.

13 Hactenùs de judiciis, in quibus non tam litis conteſtatæ tempus ſpectatur, quàm rei judicatæ: adeòque non ſervatur regula: *quod initio non valet, tractu temporis non convaleſcit.* Modò ad contractus revertamur. In his quoque non obſervatur quoad juſſum, & mandatum, quod in ipſis aliquando requiritur. Non quod etiam in juſſu, mandatoque ea locum non habeat: nam *ſi juſſu meo cum alieno ſervo tractatum fuerit, eumque poſteà redemero, quod juſſu non teneor, ne actio, quæ ab initio inutilis fuerit, eventu confirmetur.* Sunt verba Pauli in *l. 2. §. ſi juſſu ff. quod juſſu.* qui hanc regulam ubique nobis obtrudit. Sed quod ratihabitio ſupplet defectum mandati, & cùm retrotrahatur ad initium, perindè eſt, ac ſi ab initio mandatum interveniſſet *l. ult. in princ. C. ad S C. Macedon. l. vero 12. ff. de ſolut. l. ſi fundus 16. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.* Igitur ſi in aliquo actu neceſſarium erat mandatum vel juſſus, & initio non intervenerit, actus convaleſcit, ſi poſteà ratihabitio ſubſequatur. Itaque cùm nemo poſſit rem meam ſine meo mandato pignori opponere; tamen ſi oppoſuerit, & ego poſteà id ſciens ratam habuero pignoris obligationem, pignus convaleſcit, quaſi ab initio voluerim rem illam pignori opponi, idque pigneranti mandaverim *l. ſi fundus 16. §. 1. ff. de pignor.* Item, vero procuratori rectè ſolvitur, non autem falſo procuratori, hoc eſt, qui non habet mandatum à creditore, nec ſi ei ſolvatur, contingit liberatio *l. vero 12. ff. de ſolut.* ſed, ſi creditor poſteà ratam habuerit ſolutionem, liberatio contingit, quia mandato comparatur *d. l. vero §. ult.*

14 Non aliter evenit in filiofam. mutuum accipiente contra S C. Macedonianum, qui ex mutuo non obligatur *l. 1. & tot. tit. ff. & C. de S C. Macedon.* Tamen ſi pater aut juſſerit, aut mandaverit filio ſuo credi, non obſtat Senatuſconſultum *l. item ſi 7. §. hoc ampliùs penult. l. ſi tantum 11. ff. de S C. Macedon.* Quòd ſi initio neque juſſerit, neque mandaverit, neque ſciverit mutuum à filio accipi (nam & ſcientia ſufficit *d. l. ſi tantùm in princ.*) mutuum non ſubſiſtit: convaleſcit autem patre poſteà ratum habente *l. ult. C. ad S C. Maced.* Contrà verò, ſi pater juſſerit filio credi, deindè ignorante creditore voluntatem mutaverit, locus ſenatuſconſ. non erit, quoniam initium contractùs ſpectandum eſt *d. l. ſi tantùm 12.* Idemque reſponſum eſt de mandato ſolvendi in *d. l. vero 12. §. ſed etſi quis ff. de ſolut.* Adeò verum eſt, in contractibus initium eſſe ſpectandum: eatenùs autem deficiente initio mandati convaleſcit contractus ſubſequente poſteà ratihabitione, quatenùs ratihabitio & mandato comparatur, & retrò recurrit ad initium: adeòque perinde eſt, ac ſi ab initio mandatum interveniſſet *d. l. ult. C. ad S C. Maced. d. l. ſi fundus 16. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.*

Idem traditum eſt etiam de actione, quòd juſſu Dominus, & pater ex contractu ſervi ac filii non obligantur, neque ex eorum perſonâ poſſunt conveniri, ſive filius in poteſtate fuerit, ſive ſui juris *l. 1. C. ne fil. pro patre §. actiones 10. inſt. tit. de action.* nequidem ex cauſa decurionatûs *l. 3. C. eod.* Sed, ſi domini, aut patris juſſus in contrahendo intervenerit, adverſus eos in ſolidum judicium datur: nam quodammodò cum eo contrahitur, qui jubet *l. 1. in princ. ff. quod juſſu.* Quòd ſi dominus, aut pater initio non juſſerint, ſed poſteà ratum habuerint, quod ſervus, & filius geſſerunt, eodem modo in ſolidum actione quod juſſu poſſunt conveniri *d. l. 1. §. ſi ratum.* Et ne pluribus rem perſpicuam declaremus: id in omnibus ſimilibus uſu venire ſolet. 15

Duo tamen excipiuntur: juſſus de adeunda hæreditate: & auctoritas tutoris. Filius, & ſervus non poſſunt adire hæreditatem ſibi delatam ſine juſſu patris, ac domini, ne eos invitos obligent æri alieno. *§. item vobis inſtit. tit. per quas perſon. cuique acquir. l. acquiritur. 10. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. l. qui in aliena 6. ff. de acquir. hæred.* Juſſus autem præcedere debet aditionem. *l. ſi quis mihi bona 25. §. juſſum ff. eod.* Imò, ſi ſub conditione fuerit interpoſitus, & ante im- 16

pletam conditionem adiverit, nulla eſt aditio: veluti, ſi pater juſſerit filio, ut adeat hæreditatem, ſi diligenter ejus viribus exploratis idoneam eſſe compererit. Nam, ſi filius adeat non exploratâ hæreditate, cùm perſuaſum habeat, eam eſſe idoneam, aditio nulla eſt *l. eum qui duobus* 51. §. 1. *ff. eod.* Poteſt tamen & per epiſtolam, & per internuntium fieri *d. l. ſi quis mihi bona* §. *juſſum.* Auctoritas verò tutoris nec præcedere poteſt actum à pupillo geſtum *d. l. ſi quis* 25. §. *juſſum*: nec poteſt poſt actum ex intervallo interponi, imò nec per epiſtolam, nec per internuncium interponi, nec tacitus conſenſus ſufficit: ſed tutor præſens eſſe debet, & ſtatim perfecto negotio verbis expreſſis auctoritatem interponere *d.* §. *juſſum*, & §. *tutor inſtit. tit. de auctor. tutor. l. obligari* 9. §. *tutor ff. eod.* & ſub conditione interponi non poteſt, ut de juſſu diximus *l. etſi conditionalis* 8. *ff. eod.*

17 Quantùm autem ad ratihabitionem attinet, illud animadvertendum eſt, quòd plerùmque etiam tacitus conſenſus ſeu ipſa taciturnitas cum ſcientiâ conjuncta pro ratihabitione habetur, & confirmat actum, qui ab initio erat inutilis. Ut putà filius in poteſtate patris exiſtens nuptias ſine ejus conſenſu contraxit: nullum eſt de jure civili matrimonium *princ. tit. inſtit. de nupt. l. Paulus* 11. *ff. de ſtat. hom. l. oratione* 16. §. 1. *l. nuptia* 18. *l. filiusfam.* 35. *ff. de ritu nupt.* ſi tamen pater cognitis nuptiis non contradixit, matrimonium confirmatur *l. ſi ut proponis* 5. *C. de nupt.* Idem traditum de filiofam. mutuum accipiente contra S C. nam ſi pater ſciverit mutuum ab eo acceptum, & non proteſtetur, & non contradicat, mutuum confirmatur *l. ſi tantùm* 12. *in princ. ff. de S C. Maced.* Idem quoque traditum eſt de ſponſalibus in *l. ſponſalibus* 7. *ff. de ſponſal.* In his quoque conſenſus patris requiritur, ſed conſentire videtur, ſi evidenter non diſſentiat.

18 Illud etiam notandum, quòd licèt ratihabitio retrotrahatur ad initium, aliquandò tamen non retrotrahitur, & valet actus de tempore, quo ratus habetur. Hoc evenit in nuptiis, quas ſi pater ex poſtfacto ratas habuerit, convaleſcunt, non à tempore, quo contractæ fuerunt, ſed à tempore, quo eas pater confirmavit *l. quid ergo* 13. *in princ. ff. de his, qui not. infam. l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis uxorem* 6. *ff. ad leg. Jul. de adult.* Et ratio eſt, quia in nuptiis requiritur juſſus patris, qui nuptias præcedere debet *princ. tit. inſtit. de nupt.* Si autem conſenſus patris retrò curreret ad tempus nuptiarum, conſenſus non præcederet nuptias: quia nuptiæ valerent ab eo tempore, quo fuerunt contractæ, conſenſus autem multò poſt fuit interpoſitus. Itaque hic conſenſus potiùs habet naturam juſsûs, quàm ratihabitionis.

Idem quoque evenit in dote in hiſce nuptiis conſtitutâ. Conſentiente patre poſt nuptias contractas, non ſolùm nuptiæ convaleſcunt, ſed etiam dotis promiſſio *l. dotis promiſſio* 68. *in princ. ff. de jure dot.* Non tamen valet à die, quo promiſſa fuit, ſed à die, quo per conſenſum patris nuptiæ confirmantur, ut apparet ex laudata *l.* & evidentiùs probatur ex *l. manifeſtum C. de nupt.* ubi, ſi contractis nuptiis contra mandata Principum dos facta fuerit caduca: etſi conſenſu poſteà cœperit matrimonium, non tamen in præteritum commiſſo vitio potuit mederi. Matrimonium incipit poſt conſenſum, itemque dos: non autem in præteritum à die, quo fuit contractum matrimonium, aut dos promiſſa fuit: ideòque vitium, propter quod facta fuit caduca, non purgatur in præteritum, nec in præſenti purgari poteſt, cùm jam fiſco ſit acquiſita, nec ſit ampliùs dos, imò, numquam dos fuerit, quia omnis promiſſio dotis habet tacitam conditionem, ſi nuptiæ rectè contrahantur. *l. Titio centum* 71. §. *Titio centum* 3. *ff. de condit. & dem. l. dotis promiſſio* 61. *ff. de jure dot.* Eâdem ratione & filii concepti ante conſenſum patris legitimi non ſunt *l. Paulus reſpondit* 11. *ff. de ſtat. hom.* 19

Supereſt, ut de donationibus aliquid adnectamus. In his quoque interdùm confirmatio non retrotrahitur. Donatio inter virum, & uxorem non valet *l.* 1. 2. & 3. 20

& toto tit. ff. de donat. inter vir. & uxor.
tamen oratione Imperatoris Antonini ex S C.
conſtitutum fuit, eam morte confirmari,
quia donator, qui moritur non revocatâ
donatione, videtur ſupremâ voluntate eam
confirmare, undè ex ea, tamquàm ex legato Falcidia detrahitur *l. cùm hic ſtatus* 32.
ff. eod. l. in donationibus 12. *C. ad leg. Falc.*
Donatio quoque inter patrem, & filium non
valet, quia pater donando filio ſibi ipſi donare videtur *l. cum de bonis* 12. *& l. ſive
emancipatis* 17. *C. de donat.* Et hæc morte
patris non confirmabatur *l.* 2. *in fin. ff. pro
hærede l.* 1. §. 1. *ff. pro donato.* Juſtinianus
autem in *l. donationes quæ* 25. *C. de donat.
inter vir. & uxor.* ſtatuit, ut hæc quoque
donatio morte confirmetur: & utraque per
ratihabitionem recurrentem retrò ad tempus
donationis valeat, perindè, ac ſi ab initio
conſtitiſſet. Excipiuntur tamen donationes, 3
quæ legitimam quantitatem excedentes non
fuerunt inſinuatæ. Hæ enim neque ſolo
ſilentio, ac morte donatoris confirmantur:
& neceſse eſt, ut eas donator in ſuprema
voluntate ſpecialiter confirmet: & hæc ſpecialis confirmatio non retrotrahitur, ſed vires accipit tempore mortis *d. l. donationes* 25. Et ratio eſt, quia hæc ſpecialis
confirmatio habet vim legati ſeu fideicommiſſi, non ſimplicis ratihabitionis, & jure
legati ſeu fideicommiſſi capitur, non jure
donationis *l. ſi quando* 109. *ff. de leg.* 1.

CAPUT XXIV.

Ad L. exiſtimo 98. *ff. de verb. obligat.*

SUMMARIUM.

1 *Regula propoſita à veteribus non fuit communiter approbata.*
2 *Ea obtinet cùm res, quæ ab initio ea erat, ut præſtari poſſet, talis facta eſt, ut ampliùs præſtari non poſſit.*
3 *Stipulatio inutilis fit, ſi res perierit vel in commercio eſſe deſierit.*
4 *Sed ſi rei pars ſuperſit, in ea conſiſtit ſtipulatio.*
5 *Stipulatio rei alienæ exſtinguitur, ſi mea fiat.*
6 *Legatum uſusfructûs exſtinguitur, ſi proprietatem acquirat legatarius. Exponitur L. ſi tibi* 17. *ff. de uſufr. leg. & n.* 7. 8.
9 *Servitus fundi pro parte conſtitui non poteſt, niſi fundus ipſe dividatur. Quòd ſi dominus, cui ab initio ſervitus in ſolidum debebatur, fundi partem alienet, corrumpit ſtipulationem.*
10 *Explicatur L. pluribus* 140. §. *ult. ff. de verb. oblig. & n.* 11. 12.
11 *Hæreditas eſt jus incorporale, nec dividi poteſt, niſi ratione rerum hæreditariarum.*
12 *Si res hæreditaria non ſint dividua ut ſervitutes, ſinguli hæredes habent actionem in ſolidum.*
13 *Regula locum habet in cauſa damni dati.*
14 *Inſtitutio corruit, ſi inſtitutus incapax fiat, idem eſt in legato, & n.* 15.
16 *Tutela legitima amittitur ob capitis diminutionem poſt eam ſuſceptam ſupervenientem.*

SUccedit tertia regula ſuperiori contraria, 1
quæ cùm communi omnium veterum
conſenſu non fuerit approbata, difficiles habet explicatus. Ea autem eſt hujuſmodi. Ea,
quæ initio rectè conſtituta fuerunt, reſolvuntur, ſi inciderint in eum caſum, à quo
incipere non potuiſſent. Hanc regulam ægrè
receptam fuiſſe à veteribus teſtatur Theophilus in titulo inſtitutionum de legatis,
& indicat Marcellus in *l. exiſtimo* 98. *in fin.
principii ff. de V. O.* illis verbis: *maximè ſecundùm illorum opinionem, qui etiam ea,
quæ rectè conſtiterunt, reſolvi putant, cùm
in eum caſum reciderunt, à quo non potuiſſent incipere.* Et Paulus in *l. in ambiguis* 85.
§. 1. *ff. de R. J. Non eſt novum, ut, quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licèt
caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.* Ex his conſtat, quòd nec ab omnibus, nec in omnibus caſibus hæc regula
recepta fuit. Obtinet etiam non rarò huic
contraria regula. Quod jure geſtum eſt,
non debet retractari, licèt evenerit caſus
à quo non potuiſſet inchoari *c. factum* 73.
de reg. jur. in 6. *l.* 3. *C. de confirm. tutor.
l. ſancimus* 25. *verſ. non debet C. de admin.
tutor.* Quando hæc vel illa regula ſit amplectenda, variis exemplis explicabimus.

Quæ initio rectè conſtiterunt, reſolvun- 2
tur, ſi in eum caſum recidunt, à quo incipere non potuiſſent. Hæc regula primum
obtinet, quoties res, quæ initio erat ejuſmodi, ut præſtari poſſet, & de ea contrahi:
poſteà in eum caſum recidit, ut ampliùs

præſtari non poſſit. Etenim hoc caſu neceſſe eſt, evaneſcere ſtipulationem, in quam deducta fuit, & alium quemcumque contractum, aut legatum: quia impoſſibilium nulla eſt obligatio *l. impoſſibilium* 185. *ff. de R. J.* & cùm ſtipulor fieri, quod fieri non poteſt; vel dari, quod dari non poteſt, non conſiſtit obligatio *l. cùm ſtipulor* 35. *in princ. ff. de V. O.* Exempla nobis ſuppeditat legiſlator noſter in §. 2. *verſic. item contra inſtit. tit. de inut. ſtipul.* ſi res, quæ in obligationem deducta eſt, vel in rerum naturâ eſſe deſierit ſine culpa promiſſoris: vel commercio hominum exempta fuerit, veluti, ſi ſervus liber factus ſit, vel res promiſſa facta fuerit ſacra, vel religioſa, vel publicis uſibus deſtinata *l. inter* 83. §. *ſacram verſic. nam & cùm quis ff. de V. O.* Atque adeò inutilis ſit ſtipulatio, ut non reviviſcat, etiamſi poſteà ejuſmodi fiant, ut præſtari poſſint *d. l. inter* §. *ſacram ff. de V. O. l. qui res* 98. §. *ult. ff. de ſol.*

4 Quod autem diximus exſtingui obligationem, ſi res ſine culpa debitoris in rerum naturâ eſſe deſierit, ita temperandum eſt: ſi tota omninò perempta fuerit: nam ſi pars ejus aliqua ſuperſit; in parte, quæ ſupereſt, conſiſtit obligatio: ut putà grex legatus eſt: ad unam ovem poſteà redactus eſt: ovis illa debetur, & in ea conſiſtit legatum: item inſula legata combuſta eſt: in area legatum conſiſtit *l. ſi grege legato* 22. *ff. de legat.* 1. Eſt enim area ædium ſeu inſulæ pars, & quidem maxima *l. qui res ſuas* 98. §. *aream ff. de ſolut.* Quòd ſi ſuperſint tantummodò reliquiæ, ſeu, ut ait J.C. lipſana, λείψανα in totum legatum & obligatio exſtinguitur. Itaque mortuo bove, neque corium, neque caro, neque cornua debentur *l. mortuo bove* 49. *in princ. ff. de leg.* 2. Et quamvis bove ſurrepto, & occiſo, condici poſſit corium, & caro, tamen id accidit quoties corium, & caro à fure fuerunt contrectata, quia tunc fit furtum etiam corii, & carnis per contrectationem *l. ſi ſervus* 14. §. *ult. ff. de condict. furt.* Et quod magis mirum eſt, exſtinguitur legatum quadrigæ, ſi mortuus fuerit equus excellentior, per quem quadriga erat celebrata *l. peculium* 68. §. *quadrigæ ff. de leg.* 1. ſed hoc intelligendum, ſi vivo teſtatore moriatur, quia deſinit eſſe quadriga, & ideò, ſi teſtator alium equum ſubſtituat, legatum ſubſiſtit *d. l. peculium.* Eâdemque ratione idem reſponſum eſt in ſocietate in *l. ſi id, quod* 58. *in princ. ff. pro ſoc.* In legato autem uſuſfructûs quadrigæ idem ſine ulla diſtinctione equi, qui mortuus fuit, reſponſum eſt in *l. quid tamen* 10. *in fin. ff. quib. mod. uſuſfr. amit.* quia uſusfructus etiam rei mutatione finitur *l. repeti* 5. §. *rei mutatione ff. eod.* §. *penult. inſt. tit. de uſufr.*

Res etiam mea mihi dari non poteſt, 5
quia quod meum eſt, ampliùs meum fieri non poteſt §. *ſic itaque diſcretis* 14. *inſt. tit. de action.* §. *ſed ſi rem* 10. *inſtit. tit. de legat. l.* 3. §. *ex contrario ff. de acquir. vel am. poſſ. l. non ut ex pluribus* 159. *ff. de R. J.* Itaque rem meam mihi dari purè ſtipulor inutiliter *l. nemo rem* 82. *ff. de V. O.* Eâdem ratione, ſi rem alienam ſtipuler, quamvis initio valeat ſtipulatio, tamen ſi mea fiat, extinguitur ſtipulatio, quia recidit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet §. 2. *verſic. item contra inſt. tit. de inutil. ſtipul.* Quemadmodùm autem rem meam ab initio ſtipulari poſſum ſub conditione, quia in pendenti eſt obligatio, & poteſt eſſe aliena, cùm exiſtet conditio, & naſcetur obligatio *l. ſi rem* 31. *l. exiſtimo* 98. *in princ. ff. de V. O.* Ita ſi rem alienam ſtipuler ſub conditione, eaque pendente conditione mea fit, non corruit ſtipulatio, quia non recidit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet; quoniam, ut dixi, rem meam ſub conditione rectè ſtipulor: & ſicut ideò rectè ſtipulor, quia fieri poteſt aliena, antequàm exiſtat conditio, & naſcatur obligatio: ita non corruit ſtipulatio, ſi pendente conditione mea fiat, quia poteſt iterum fieri aliena adhuc pendente conditione *l. exiſtimo* 98. *ff. de V. O. l. quoties* 34. *in fine princ ff. de uſufr.*

Huc pertinet etiam, quod traditur in *l.* 6
ſi tibi 17. *ff. quib. mod. uſuſfr. amit.* ubi legatum uſusfructûs exſtinguitur, ſi proprietatem acquiſiveris. Cùm enim res ſua nemi-

Digitized by Google

ni ſerviat *l. uti frui* 5. *in princ. ff. ſi uſusfr. petat. l. in re communi* 26. *ff. de ſervit. urban. præd.* non poteſt conſtitui uſusfructus, aut acquiri ei, qui fundi dominus eſt *l. Sempronius Attalus in princ.* 26. *ff. de uſufr. leg. l. qui uſumfructum* 36. §. 1. *ff. de uſufr.* Quemadmodùm igitur non poteſt conſtitui uſusfructus in re propriâ; ita ſi initio rectè fuerit uſusfructus conſtitutus, & poſteà proprietatem acquiras, exſtinguitur uſusfructus *d. l. ſi tibi fundi* 17. *ff. quib. mod. uſusfr. amit.* Continet hæc lex ſingulare quiddam, quocircà non erit inutilis ejus explicatio. Teſtator fundi uſumfructum tibi purè legavit, & Titio ejuſdem fundi proprietatem ſub conditione. Pendente adhuc conditione tu ejus fundi proprietatem es conſecutus: adeòque exſtinctus eſt uſusfructus tibi legatus §. *pen. inſt. tit. de uſufr.* frueris enim fundo non ampliùs jure ſervitutis, ſed jure dominii, quod ſervitutem abſorbuit. Deinceps exiſtit conditio, ſub qua proprietas Titio legata fuerat. Quæritur, quid Titius ſit habiturus ex legato: & reſpondet Julianus eum conſecuturum plenam proprietatem, hoc eſt, totum fundum ſeu proprietatem conjunctam cum uſufructu. Atqui legata ei fuerat ſola proprietas detracto uſufructu, qui tibi legatus erat: ſed cùm tu proprietatem acquirendo omne jus legati uſusfructûs amiſeris, non potes illum retinere, & cùm ſit junctus proprietati, neceſſe eſt, ut tranſeat ad Titium, ad quem tranſit ipſa proprietas. Itaque tu non habes uſumfructum, qui tibi legatus erat, & Titius conſequitur ampliùs, quàm ei legatum fuerat, hoc eſt, plenam proprietatem, cùm ei legata eſſet proprietas nuda detracto uſufructu. Hæc ſunt omninò ſingularia.

7 Quid autem dicendum, ſi tu proprietatem, quam acquiſiviſti, amittas adhuc pendente conditione: an reviviſcet uſusfructus, adeò, ut eveniente conditione poſſis illum retinere? Et quidem Julianus ait te omne jus legati uſusfructûs amiſiſſe; undè conjicere poſſumus, eum non reviviſcere: jus enim ſemel exſtinctum non reviviſcit, & in perpetuum ſublata obligatio, reſtitui non poteſt *l. qui res ſuas* 98. §. *aream verſ. & in perpetuum ff. de ſolut. l. ſed ſi meis* 26. §. *arbor. ff. de acquir. rer. dom. l. ſancimus* 25. *verſic. non enim debet C. de admin. tutor.* & uſusfructus certis modis conſtituitur, nempè in ultima voluntate legatis, & fideicommiſſis: inter vivos, pactis & conventionibus *princ. tit. inſt. de uſufr.* Ergò ſi omne jus uſusfructûs exſtinctum eſt, non poteſt reſtitui per ſolam proprietatis alienationem, niſi aut teſtamento, aut contractu iterum conſtituatur. Verumtamen ſi mihi legatus eſſet uſusfructus ſub conditione, eâque pendente, proprietatem acquiſivero, & ante exiſtentem conditionem alienavero: exiſtente poſteà conditione uſumfructum acquiram *l. quoties* 34. *in princ. verſic. quia etſi ſub conditione ff. de uſufr.* Ratio eſt, quia numquàm uſusfructus proprietati junctus eſt, & cum eâ conſolidatus: adeòque numquàm fuit exſtinctus. Idem hâc eâdem ratione fuit 8
in eâdem *l.* conſtitutum, quoties duobus alternis annis uſusfructus legatus eſt. Nam, ſi unus ex legatariis proprietatem adipiſcatur, amittit quidem uſumfructum eorum annorum, quibus retinet proprietatem, amiſsâ autem proprietate rursùs ad eum revertitur uſusfructus, & alternis annis fundo fruetur, ſicut ante acquiſitam proprietatem fruebatur. Quid ita? Non quia alienatâ proprietate reviviſcat uſusfructus. Sed quia cùm legatur uſusfructus alternis annis, non eſt unicum legatum uſusfructus, ſed tot ſunt legata, quot ſunt anni *l. cùm uſusfructus* 13. *ff. de uſufr. leg. l.* 2. *in princ. &* §. 1. *ff. quib. mod. uſusfr. amit.* Imò etſi legatus ſit uſusfructus ad certum tempus: & quod magis eſt, etiamſi legatus fuerit, quoad vivet *l.* 3. *in princ. ff. eod.* licèt exprimatur tempus, quod tacitè ineſt, quia omnis uſusfructus morte finitur §. *finitur inſt. de uſufr.* tamen aliquando non eſt eadem vis expreſſi & taciti *l. ſervo* 47. *in fin. & l. nonnumquàm* 52. *ff. de condit. & dem.* Ex his efficitur, ut ſi ille, qui habet uſumfructum in ſingulos annos capite minuatur, amittat ſolummodò uſumfructum ejus anni *d. l.* 2. *ſi non mors ff. qui-*

bus

bus mod. uſufr. amit. quia reliqui anni habent repetitionem uſusfructûs.

9 Ad alia progrediamur. Aliæ quoque ſervitutes in ea cauſa ſunt, ut quandòque in ipſis obtineat ſuperior regula. Servitus pro parte conſtitui non poteſt, quia eſt individua, & nullæ ſunt ejus partes *l. via* 17. *ff. de ſervit.* nec pro parte domino fundi acquiri poteſt *l. pro parte* 11. *ff. eod.* Pro parte, inquam. Nam pars diviſa, pars non eſt, ſed totum quiddam, ſive re ipſâ diviſa fuerit, ſive intellectu, & deſtinatione domini *l. rectè dicimus* 25. §. 1. *ff. de V. S.* poteſt tamen appellari pars, cùm refertur ad totum: rectè etiam totum appellatur, cùm refertur ad ſe ipſam, &, prout eſt, in ſe conſideratur, & ita Servius cum Mucio conciliandus, in *d. l. rectè in fin.* utriuſque enim ſententia vera eſt. Non poteſt igitur legari uſus fundi pro parte, quia pro parte uti non poſſumus, licèt pro parte frui poſſimus, quia fructus dividui ſunt. *l. uſus* 19. *ff. de uſu & habit.* Si utor fundo, vel aliâ re, utique utor in ſolidum, uſus enim dividi non poteſt. Verumtamen legari poteſt ſervitus uſus pro parte fundi diviſâ, quia pars illa, quantacumque ſit, fundus eſt. Nam quælibet fundi portio fundus dici poteſt *l. locus* 60. *ff. de V. S.* Poſſum igitur uti portione illâ in ſolidum, & non dividitur ſervitus pro parte, quia tota ſervitus in illa portione conſiſtit, hoc eſt, in illo fundo, qui à reliqua parte diviſus eſt: non enim magnitudo, ſed affectio domini fundum facit: & ſicut ex duobus fundis unum efficere poteſt eos conjungendo: ita ex uno poteſt duos efficere ipſum dividendo *d. l. locus ff. de V. S.* Non poteſt igitur pro parte ſervitus acquiri. Quocircà etſi ab initio ſervitus in ſolidum domino debeatur, ex ejus ſtipulatione: poſteà autem dominus fundi partem alienet, corrumpit ſtipulationem, in eum caſum deducendo, à quo ſtipulatio incipere non poſſit *l. pro parte* 11. *ff. de ſervit.*

10 Contrarium omninò videtur, quod Paulus ſcripſit in *l. pluribus* 140. §. *ult. ff. de V. O. Et ſi placeat extingui obligationem, ſi in eum caſum inciderit, à quo incipere non poteſt: non tamen hoc in omnibus verum eſt. Ecce ſtipulari viam, iter, actum ad fundum communem ſocius non poteſt: tamen ſi is, qui ſtipulatus fuerit, duos hæredes relinquat, non extinguitur ſtipulatio; & per partem dominorum ſervitus acquiri non poteſt: acquiſita tamen conſervatur, & per partem domi ii: hoc evenit, ſi pars prædii ſervientis, vel cui ſervitur, alterius domini eſſe cœperit.*

Sed non ſunt hæc contraria: nec eſſe poſſunt. Etenim idem Paulus in *l. ſi ſub una* 136. §. 1. *ff. de V. O.* aliter ſtatuit. *Si quis viam ad fundum dari ſtipulatus fuerit, poſteà dictum ſuum fundum partemve ejus ante conſtitutam ſervitutem alienaverit, evaneſcit ſtipulatio.* Superior igitur lex neque contraria eſt regulæ ſuprà expoſitæ, neque legibus de particulari ſucceſſore tractantibus. Etenim longè diverſa ratio eſt hæredis, & particularis ſucceſſoris. Hæres perſonam defuncti repræſentat, ejuſque vices ſuſtinet, adeò, ut eadem perſona videatur. *Authent. de jurejur. à mor. praſt.* 48. *in præfat. l. heredem* 59. *ff. de R. J. princ. tit. de ſtipul. ſerv.* Quamobrem ſicut defunctus habebat ſervitutem in ſolidum, ita & ſinguli ejus hæredes. Hæreditas enim jus eſt incorporale §. 2. *inſt. tit. de reb. corp. & incorp.* & ideò individua eſt ſicut uſusfructus *d.* §. 2. & pro diviſo poſſideri non poteſt *l. Pomponius in fin. ff. de rei vindic.* licèt enim hæreditas plerùmque dividi dicatur, ut in *l. interdum* 13. §. 1. *& l. ſervum* 50. §. *ult. ff. de hæred. inſtit.* §. *hæreditas* 5. *inſt. tit. eod.* tamen non dividitur ipſum jus, quod eſt univerſale *l. hæreditas* 50. *in princ. ff. de petit. hæred. l. nihil eſt aliud.* 24. *ff. de V. S.* & dividi non poteſt, cùm ſit hæreditas, etiamſi nihil corporale ſit in hæreditate *d. l. hæreditas* 50. *& l.* 3. §. 1. *ff. de bonor. poſſ.* ſed dividitur ratione rerum, quæ ſunt in hæreditate, & dividuntur ipſæ res hæreditariæ, quemadmodùm evenit in uſufructu, qui eſt ſervitus individua per ſe, ſed dividuus eſt ratione fructuum, qui corporales ſunt §. 2. *inſt. tit. de reb. corpor. l.* 1. §. *ult. ff. de diviſ. rer.* Actiones quoque hæreditariæ, & ipſæ di-

viduntur inter cohæredes pro portionibus hæreditariis ex lege duodecim tabularum, *l. haredes ejus 25. §. idem juris ff. fam. erciſc.* non quòd actio ipſa per ſe dividatur, dividi enim non poteſt, cùm & ipſa ſit jus *princ. tit. inſtit. de action. l. nihil aliud 51. ff. de oblig. & act.* Sed & ipſa dividitur ratione rerum, quas perſequitur, ſicut dividitur obligatio, & hæreditas *d. §. 2. inſtit. tit. de reb. corp.* poſſum enim petere rem totam, vel partem ejus pro jure, quod in ea mihi competit. *l. 1. §. 1. ff. ſi pars hered. petat. l. 3. §. ult. l. 5. in princ. & paſſim alibi ff. de*
12 *rei vindic.* Verumtamen tam res hæreditariæ, quàm actiones dividuntur, ſiquidem res ipſæ dividuæ ſint: cæterùm ſi individuæ ſunt, ut ſervitutes, ſinguli hæredes habent actionem in ſolidum. *l. heredes ejus 25. §. an ea ſtipulatio 9. ff. famil. erciſc.* talis enim ſtipulatio per legem duodecim tabularum non dividitur, quia nec dividi poteſt, ut ait in laudata lege Paulus. Quòd ſi ſervitus non præſtetur pro parte hæreditariâ, condemnationem fieri oportet *d. §. an ea ſtipulatio.* Idem eſt ſi promiſſor viæ plures hæredes reliquerit, ſinguli enim in ſolidum tenebuntur, & poterunt in ſolidum conveniri. Verumtamen ſi unus ex his ſolidam æſtimationem præſtiterit, poterit à cohæredibus partem pro eorum portione hæreditariâ recuperare: æſtimatio enim pro parte præſtari poteſt *d. l. heredes 25. §. contrà ſi promiſſor.* Idemque obtinet in legato, & ſtipulatione, ſi plures fuerint hæredes inſtituti *l. ſi qui 80. §. quædam ff. ad leg. Falcid. l. 2. in fin. ff. de ſervit. leg.* Atque hæc ſervantur in omni ſtipulatione individuâ *l. ſtipulationes non dividuntur 72. in princ. ff. de V. O.* Ex his efficitur, hunc caſum de pluribus hæredibus, neque deſtruere regulam à nobis initio expoſitam, quia ſtipulatio non incidit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet, cùm ſinguli hæredes in ſolidum teneantur, & in ſolidum, non pro parte ſervitutem petere poſſint: neque opponi deciſioni *l. pro parte 11. ff. de ſervit.* quæ agit de ſucceſſore particulari, in quem, cùm pars fundi tantùm ſit alienata, non poteſt transferri ſolida ſervitus, nec quidem pro parte, cùm ſit individua.

Interdum etiam in cauſa damni dati ſervatur ſuperior regula. Exemplum habemus 13
in *l. huic ſcripturæ 15. in fin. cum l. ſequent. ff. ad l. Aquil.* Ibi: *ſed ſi vulneratum mortiferè ſervum, liberum, & hæredem eſſe juſſeris: deindè deceſſerit, hæredem ejus agere Aquiliâ non poſſe, quia in eum caſum res pervenit, à quo incipere non poteſt.* utique pervenit in eum caſum, à quo incipere non poteſt: nam legis Aquiliæ actio domino datur *l. Mela 11. §. legis 6. ff. ad leg. Aquil.* hic autem hæres non potuit eſſe dominus liberi hominis, cujus hæres fuit. Sed quod magis eſt, legis Aquiliæ actione petitur tum æſtimatio corporis occiſi, tum quicquid perempto eo corpore nobis damni datum eſt *§. illud 10. inſtit. tit. de leg. Aquil. l. ait lex 21. in fin. cum duab. ſeqq. ff. eod.* Atqui neque liberi hominis ulla eſt æſtimatio, cum nemo ſit membrorum ejus dominus *l. liber homo 13. ff. eod.* neque hæres ex vulnere aut nece defuncti damnum ullum paſſus eſt: quin imò hæreditatis emolumentum eſt conſecutus. Lex autem Aquilia lata eſt ad reparandum damnum injuriâ datum *princ. tit. inſt. de leg. Aquil. l. 5. §. 1. & toto tit. ff. ad leg. Aquil.* Itaque obligatio, quam acquiſivit ſervi dominus ob vulnus mortiferum ſervo inflictum, pervenit ad eum caſum à quo incipere non poſſet.

Hactenùs expoſitum eſt, quando extinguatur obligatio propter vitium rei, quæ eò 14
deducta eſt, ut ampliùs præſtari non poſſit. Idem evenire ſolet in perſonis, ſi fiant incapaces ejus, cujus ab initio capaces erant. Ut putà: ſervus fuit hæres inſtitutus; utique valet inſtitutio. Nam & ſervi rectè inſtituuntur *princ. tit. inſt. de hered. inſtit.* poſteà pœnæ ſervus effectus eſt, adeòque incapax hæreditatis; corruit inſtitutio *l. ſi quis mihi bona 25. §. ſi quis planè 3. ff. de acquir. vel omit. hered.* Rurſus ſervus eſt inſtitutus: dominus juſſit eum adire hæreditatem, utique rectè adit *§. ſervus inſtit. tit. de hered. inſt.* Sed ſi dominus, antequàm adiret, pœnitentiam egit, nihil agit adeundo *d. l. 25.*

§. penult. ff. de acquir. hæred. non eſt enim ampliùs capax adeundi, cùm non poſſit invitum dominum hæreditati obligare *l. qui in aliena 6. in princ. ff. de acquir. hæred.* Idem eſt, ſi antequàm adeat, à domino fuerit alienatus *l. Antiſtius 61. in fine ff. eod. d. §. ſervus 1. in fin. inſt. de hæred. inſtit.* ubi aliud exemplum in *verſ. quod ſi alienatus.*

Alia duo exempla proponuntur in *l. 3.*
15 *§. 1. & 2. ff. de his, quæ pro non ſcript. hab.* ſi hæres vel legatarius poſt teſtamentum, in quo hæreditas, vel legatum eis relictum fuit, in metallum dentur, extinguitur legatum, & inſtitutio. *d. §. 1.* quia etſi ab initio ejuſmodi fuiſſent, non valeret *d. l. 3. in princ.* Alterum ſi ſervo alieno quis legaverit, & poſteà eum redemerit, legatum extinguitur *d. l. 3. §. 2.* quia ſervo proprio ſine libertate inutiliter legatur. *l. penult. §. illo videlicèt C. de neceſ. ſerv. hæred. inſt.* Rectè igitur in noſtrâ *l. 3. §. 2. in fin. Nam quæ in eam cauſam pervenerunt, à quâ incipere non poterant, pro non ſcriptis habentur.*

16 Demum ſingulare prorſus videtur exemplum à Paulo allatum in *l. tutelas 7. ff. de cap. minut.* Tutelas etiam non amittit capitis minutio, exceptis his, quæ jure agnationis proximis potiſſimùm deferuntur. Igitur teſtamento dati, vel ex lege, vel ex S C. erunt nihilominùs tutores; ſed legitimæ tutelæ ex duodecim tabulis intervertuntur, eâdem ratione, quâ hæreditas exindè legitima: quia agnatis defertur, qui deſinunt eſſe familiâ mutatâ. Quæ ſunt tutelæ legitimæ, quæ ex legibus duodecim tabularum deferuntur? nempè, quæ deferuntur proximis agnatis *princ. tit. & §. qui autem inſt. tit. de legit. agnat. tutel. l. 1. in princ. ff. de legit. tut.* Ergo ita legendum videtur cum Cujacio: niſi malis cum Balduino legere: *quæ in jure antiquo* &c. jure antiquo, id eſt, duodecim tabulis, quæ lex antiqua vocantur in *l. 2. §. 1. ff. de noxal. act.* Cæterùm has tutelas amitti etiam Ulpianus ait in *fragmentis tit. 11. de tutel. §. excepta. Amitti, & interverti* tutelas, comprehendere videntur etiam tutelas jam ſuſceptas. *l. non videtur 83. ff. de R. J. l. nec utilem 20. in fin. ff. ex quib. cauſ. major.*

CAPUT XXV.

Ad eamd. L.

1 *Superioris regulæ exceptiones regulam noſtram formarunt.*
2 *Actus ante furorem aut furore intermittente geſti, eo ſuperveniente non infirmantur.*
3 *Conſenſus & integritas mentis in agente requiritur in ipſo actu. Idem eſt, ſi opus ſit conſenſu alterius.*
4 *Donatio concubinæ facta valet, etiamſi ea poſteà ducatur in uxorem.*
5 *Servitute rectè conſtitutâ ſi duo hæredes inſtituantur, ſervitutis obligatio non extinguitur.*
6 *Quod rectè abſolutum eſt, non corrumpitur superveniente malâ fide aut delicto. Exponitur L. 1. §. ult. ff. de itin. act. priv. & n. 7.*
8 *Legatum ejus, quod in diem vel ſub conditione debetur, an valeat, ſi dies & conditio vivente teſtatore extiterit, controverſum apud veteres.*
9 *Affirmativa ſententia à Juſtiniano approbata, & quâ ratione. & n. 10.*
11 *Conciliatur L. à filio 25. ff. de leg. 1. cum l. ſi à ſervo 20. ff. ad leg. Falc. & n. 12. 13.*
14 *Explicatur l. 3. C. de interd. matrim.*

QUæ initio rectè inſtituta ſunt, extinguuntur, ſi in eum caſum inciderint, 1
à quo incipere non poterant. Hæc regula, quam ſuprà expoſuimus, plures habet exceptiones: nam & apud veteres fuit controverſa, ut diximus, & Paulus in *l. in ambiguis 85. §. 1. ff. de R. J.* ait: *non eſt novum, ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licèt ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.* Idem in *l. penult. §. 2. ff. de V. O. etſi placeat extingui obligationem, ſi in eum caſum inciderit, à quo incipere non poteſt: non tamen hoc in omnibus verum eſt.* His exceptionibus, quæ modò à nobis ſingulatim ſunt expendendæ, conflata eſt alia regula huic omninò contraria: quod jure geſtum eſt, non retractatur, licèt evenerit caſus, à quo non poterat inchoari; de quâ in ſuperiori. Unde vulgò jactatur: multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Jam

verò ad eas exceptiones exponendas aggrediamur.

2 Primùm autem occurrunt omnes actus, qui aut ante furorem, aut furore intermittente geruntur. Hi enim ſuperveniente furore non infirmantur §. 1. *in fin. inſt. tit. quib. non eſt permiſſum facere teſt.* Ibi: *nam neque teſtamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè geſtum poſteà furor interveniens perimit.* Itaque furore ſuperveniente neque teſtamentum infirmatur *d.* §. 1. *& l. ult. ff. de injuſt. rupt. l.* 1. §. *ſi quis autem* 9. *ff. de bon. poſſeſ. ſecund. tab.* neque matrimonium rectè contractum *l. patre furioſo* 8. *verſic. nam furioſus ff. de his, qui ſunt ſui vel al. jur. l. oratione* 16. §. *ult. ff. de rit. nupt.* neque exſtinguit obligationem rectè contractam *l. ſi à reo* 70. § *ſi à furioſo ff. de fidejuſ.* neque interrumpitur uſucapio *l. juſto* 44. §. *eum qui* 6. *ff. de uſurp. & uſucap.* neque magiſtratus abrogatur *l. nec mandante* §. 1. *ff. de tutor. & curat. dat.* interrumpitur tamen facultas gerendi ea, quæ pertinent ad magiſtratum, cùm mentis integritatem ad ea gerenda omninò neceſſariam non habeat. 3 Ratio autem ea eſt, quia conſenſus, & judicii maturitas, & mentis integritas, quæ ad perficiendum actum requiritur, in ipſo actu gerendo requiritur, non poſt actum jam perfectum, quo tempore eſt omninò inutilis. Quamobrem ſi furioſus graſſante furore teſtamentum fecerit, licèt poſteà convaleſcat, teſtamentum nihilominùs non convaleſcit: idemque ſervatur in eo, qui teſtamentum fecit, cùm eſſet impubes, vel filiusfam. Nam etſi ad pubertatem pervenerit, vel ſui juris efficiatur, nihilominùs teſtamentum non valebit *princ. tit. inſt. in fin. & in* §. 1. *quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam. l. ſi filiusfam.* 19. *ff. qui teſtam. fac. poſſ. l.* 1. §. 1. *ff. de leg.* 3. Nam ſicut voluntas, & conſenſus, ita jus, & facultas gerendi actum, in ipſo actu gerendo requiritur: & ideò poſteà ſuperveniens non purgat vitium, & nullitatem actus non ſupplet. Quocircà & ſi conſenſus alterius requiratur, hic in ipſo actu gerendo debet intervenire, & ſi antè fuerit interpoſitus, durare debet, quouſque actus perficiatur. Igitur ſi pater filio, aut dominus ſervo jubeat, ut adeant hæreditatem, &, antequàm adeant, in furorem incidant, nulla erit aditio, quia voluntas patris ac domini requiritur in ipſo actu adeundæ, & acquirendæ hæreditatis, furioſi autem nulla voluntas eſt, *l. qui ſervum* 47. *ff. de acquir. vel omit. hæred.* Juſſus enim præcedere debet, & ſi poſtquàm juſſit, pœniteat eum antequàm adeatur hæreditas, nihil agunt adeundo *l. ſi quis mihi bona* 25. § *juſſum, &* §. *penult. ff. eod.* Idem eſt ſi poſt juſſum pater ſe dederit arrogandum *d. l.* § *ult* quia cùm requiratur voluntas patris in actu adeundi, neceſſaria eſt voluntas, & juſſus arrogatoris, in cujus poteſtatem & pater, & filius tranſierunt. §. *penult. inſtit. tit. de adoption. l. ſi paterfam.* 15. *& l. arrogato* 40. *ff. de adoption. l. pen.* §. *teſtamento ff. de bon. poſſ. ſec. tabul.* Idem quoque obtinet in filiofam. mutuam pecuniam accipiente: nam ſi pater conſenſum præſtet, & poſteà mutet voluntatem ante numerationem, mutuum erit inutile, niſi id creditor ignoret *l. ſi tantùm* 12. *ff. de S C. Maced.* excuſatur enim creditor ignorans, cùm ſi credat eum eſſe patremfam. juſto errore deceptus ceſſet Senatuſconſultum *l.* 3. *in princ. &* §§. *ſeqq. ff. eod.* Et hanc rationem, quam modò adduximus, veriſſimam eſſe conſtat, quia nec contrarius conſenſus & actus reſcindendi priorem actum, graſſante furore aut mentis alienatione, factum ipſum reſcindit *l. ult. ff. de injuſt. rupt.* tum maximè, quia quoties conſenſus agentis non requiritur, ſed legis poteſtas operatur, actus à furioſo geſtus parit ſuum effectum, ut in *l. patre furioſo verſic. quarè ff. de his, qui ſunt ſui vel al. jur.*

Secundò occurrit exemplum donationis 4
in concubinam collatæ. Donatio facta concubinæ valet *l. ſi prædia* 58. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* imò & meretrici *l. affectiones* 5. *ff. de donat. l. idem ſi* 4. §. *ſed quod ff de cond. ob turp. cauſ.* Contrà donatio inter virum, & uxorem non valet *l.* 1. *&* 2. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Finge quem-

dam concubinæ ſuæ donaſſe, valet donatio: poſteà eam ducit uxorem, atque adeò donatio venit in eum caſum, à quo incipere non poteſt: non tamen infirmatur aut revocari poteſt *l. donationes* 31. *in princ. ff. de don.* Rectè. Nam quæ cauſa ſubeſt, cur hæc donatio debeat infirmari? certè nulla ex iis, quæ irritam faciunt donationem inter conjuges. Eæ ſunt: ne honeſto amore ſpolientur, ſi à donationibus temperaverint: ne concordia pretio conciliari videatur: ne diſſidia oriantur, & matrimonia diſcutiantur, ſi non donet is, qui poteſt: ne profuſâ liberalitate alter pauper fiat, alter dives efficiatur: ut ſtudium omne in liberis procreandis, & educandis impendant; non in locupletandâ conjuge. *l.* 1. *&* 2. *&* 3. *in princ. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Hæ omnes cauſæ deficiunt in donatione jamdiu ante matrimonium factâ concubinæ, quin imò ſi poſt matrimonium revocare poſſet donationem ritè factam, diſſidia inter conjuges orirentur, & mutuo amore ſe ſpoliarent.

Tertium occurrit exemplum ſervitutis, de quo latè diximus in ſuperiore. Servitus cùm individua ſit, pro parte conſtitui, & acquiri non poteſt *l. pro parte* 11. *ff. de ſervit.* tamen ſi initio rectè fuerit conſtituta, & duo hæredes inſtituantur, ſervitutis obligatio non exſtinguitur *l. pen.* §. 1. *ff. de V. O. l.* 2. *ff. de ſervit. leg.* Sed, ut ſuprà diximus, hæc propriè, ac verè non eſt exceptio regulæ: cùm enim ſinguli hæredes in ſolidum ſervitutem acquirant *l. hæredes ejus* 25. §. *an ea ſtipulatio ff. famil. erciſc.* nihil ſit contra naturam ſervitutis: quia nec ſcinditur in partes, nec pro parte ſingulis hæredibus acquiritur. Quemadmodùm igitur ab initio poſſet duobus ſervitus dari, ſingulis in ſolidum, tam legato, quàm ſtipulatione *l.* 2. *& ult. ff. de ſervit. leg. ſi unus ex ſociis* 19. *ff. de ſervit. ruſtic. præd.* ita & poteſt via ad duos pervenire, ſi in ſolidum utrique debeatur, aut in ſolidum uterque debeat, ut accidit in hæredibus *d. l. hæredes* 25. *& l. via* 17. *ff. de ſervit.* Quamobrem idem Paulus, qui in *d. l. penult. ff. de V. O.* hanc quaſi exceptionem regulæ poſuit, in *l. ſi unus ex ſociis ff. de ſervit. ruſt. præd.* exemplo hæredum utitur ad probandum, quòd etiam ab initio ſervitus duobus in ſolidum poteſt acquiri. Comparatur igitur, & ſimilis eſt tranſlatio ſervitutis in hæredes, conſtitutioni ſervitutis pluribus acquirendæ: tantùm abeſt, ut pugnent inter ſe.

Quartum in *l.* 1. §. *ult. ff. de itin. act. priv.* 6
Si quis ſupra dicto tempore anni non vi, non clam, non precario itinere uſus ſit: verùm poſteà non ſit uſus, ſed clam precariove: videndum eſt, an ei noceat: & magis eſt, ne nihil ei noceat, quod attinet ad interdictum. Subdit Paulus, qui noſtræ regulæ parùm favebat, in *l.* 2. *nec enim corrumpi, aut mutari, quod rectè tranſactum eſt, ſuperveniente delicto poteſt.* Sed ratio eſt, quia cùm de uſucapione, ac præſcriptione quæſtio eſt, non ratio obtinendæ poſſeſſionis, ſed origo exquirenda eſt *l. clam poſſidere* 6. *in princ. ff. de acquir. vel amit. poſſeſ.* Itaque bona fides neceſſaria eſt ſolùm ab initio *l. unic. verſic. hoc tantummodò C. de uſucap. transfor.* & mala fides ſuperveniens non interrumpit uſucapionem *l. bona fidei* 48. §. *in contrarium ff. de acquir. rer. dom. l. hæres* 43. *ff. de uſucap. l.* 2. §. *ſi defunctus* 19. *ff. pro emptore.* Et hoc eſt, quod ait Paulus in noſtra lege: non corrumpi, aut mutari, quod rectè tranſactum eſt, ſuperveniente delicto. Videlicèt præſcriptio, quæ rectè fuit inchoata & abſoluta, corrumpi aut mutari non poteſt ſuperveniente delicto; hoc eſt, malâ fide, & clandeſtinâ poſſeſſione: *tranſactum*: id eſt: abſolutum, & ad finem perductum. Plaut. *in Amphitrion. Act.* 3. *ſc.* 1. *hanc inchoatam tranſigam comœdiam*: & in *Trucul. in prol. tantiſper dum tranſigimus hanc comœdiam*: & in *Pſeudol. ſc.* 5. *qui vos oblectem hanc fabulam dum tranſigam.* Terent. *act.* 2. *ſc.* 4. *in Adelph. ego jam tranſactâ re convertam me domum cum obſonio.* Cic. 2. *de orat. ſed hoc tamen cecidit mihi peropportunè, quòd tranſactis jam meis partibus ad Antonium audiendum veniſtis.* Et in *orat. pro Quinctio. Ego hæc duo quæro: primum quâ ratione Nævius ſuſceptum negotium non tranſegerit: hoc eſt, cur bona, quæ ex edicto poſ-*

Digitized by Google

ſtitebat , non vendiderit. Et in *Verr. lib. 2. quaſi metueret , ne Perlius privato illo judicio tranſacto , aut dilato cum cæteris in conſilium reverteretur*. Hinc dicimus tranſigere ævum : tranſigere vitam , pueritiam , bella , rixas. Tacit. *de morib. German. crebræ , ut inter vinolentos , rixæ , rarò conviciis , ſæpiùs cæde , & vulneribus tranſiguntur*. Ita & in jure noſtro negotium tranſigere in *l.* 1. §. *conventionis ff. de pact. negotium tranſactum* in *l. 2. in princ. ff. ſi quis caution.* & in *l. admonendi* 31. *ff. de jurejur.* & in *l. ejus rei* 46. *ff. de rei vind. tranſegiſſe enim cùm eo , & decidiſſe videor.*

7 Hujus verbi ſignificationem pluribus expoſui , quia Paulus ipſum uſurpavit ad rem explicandam accommodatiſſimè. *Quod rectè tranſactum eſt* : hoc eſt , peractum , expeditum , completum , perfectum , abſolutum. Atque ut id intelligamus , duo ſunt præmonenda. Primum , quòd interdictum de itinere , actuque privato non requirit præſentem poſſeſſionem , ut interdictum *uti poſſidetis* , quod non datur niſi ei , qui actu poſſidet *l.* 1. §. *inter cum ſeqq. l. 2. & paſſim ff. uti poſſidetis*. Hoc autem datur etiam ei , qui non poſſidet , dummodò eo anno à die interdicti retrò computando poſſederit *l.* 1. §. 2. *& ſeqq. ff. de itin. act. priv.* Alterum , quòd ſufficit actorem eo anno poſſediſſe ſaltem triginta diebus *d.* §. 2. *verſic. vel modico tempore*. His poſitis in laudata *l.* 1. §. *ult.* quærebatur , an , ſi actor eo anno primùm poſſederit triginta diebus , non vi, non clam , non precario ab adverſario , quæ poſſeſſio legitima eſt , & juſta ad nanciſcendum hoc interdictum ; *d. l.* 1. *in princ.* poſtmodùm verò cœpit poſſidere clam , aut precario , quæ poſſeſſio vitioſa eſt ; id ei noceat , ita ut amittat interdictum : & reſpondit Ulpianus , nihil ei nocere. Meritò , quia etſi poſt triginta dies , quibus legitimè poſſedit , ampliùs non poſſediſſet , tamen daretur ei interdictum *d. l.* 1. §. 2. *verſic. neque ad præſens ff. eod.* multò magis igitur ei debet dari interdictum , cùm poſſederit , quia licèt ea poſſeſſio non ſit idonea ad acquirendum interdictum , tamen neque idonea eſt ad ipſum corrumpendum. Ideò rectè ſubdit Paulus , ſuperveniente delicto neque mutari neque corrumpi rectè tranſactum , hoc eſt , præſcriptionem jam rectè completam , atque perfectam : ſubſequens enim vitioſa poſſeſſio , non nocet antecedenti poſſeſſioni legitimæ , atque completæ *l. ſicut* 6. *ff. eod.* ſi enim ſuperveniens mala fides , quæ vitioſam ſubſequentem poſſeſſionem reddit , non interrumpit uſucapionem , ut præmiſimus , licèt nondum completa fuerit uſucapio , & ad eam complendam requiratur continuatio poſſeſſionis , quòuſque tempus expleatur perficiendæ uſucapionis ; quantò minùs ſubſequens vitioſa poſſeſſio corrumpet uſucapionem ſeu præſcriptionem jam completam , atque perfectam. In ſumma Prætor pollicetur interdictum illis , qui eo anno neque vi , neque clam , neque precario ab adverſario poſſederunt : neque quicquam aliud exigit *l.* 1. *in princ. ff. de itin. act. priv.* Atqui hic eo anno poſſedit neque vi , neque clam , neque precario ; ergo ei dandum eſt interdictum. Et hanc rationem omninò inſuperabilem affert Ulpianus in *l.* 1. §. *idem ait* 20. *ff. de aq. quotid. & æſtivâ.* Ibi : *eſſe enim verum , hoc anno non vi , non clam , non precario uſum.*

Quintum in *l. debitor* 82. *in princ. ff. de leg.* 2. in *l.* 5. *in fin. ff. ad. leg. Falc.* in §. *ex contrario* 14. *inſtit. tit. de legat.* Si creditori debitor leget id , quod ei debet , inutile eſt legatum , quia nullam utilitatem affert legatario §. *ex contrario inſt. tit. de leg. l. ſi debitor* 11. *& l. legavi* 25. §. *contra ff. de liberat. leg.* Verumtamen ſi debeatur in diem vel ſub conditione , & legetur purè , legatum valet propter commodum repræſentationis *d.* §. *ex contrario* , & *l. ſin autem* 29. *ff. de leg.* 1. *l. Mævius* 66. *in princ. ff. de leg.* 2. De eo dubitatum fuit apud veteres , an ſi dies , & conditio extiterit vivente teſtatore , legatum nihilominus debeatur , an verò extinguatur , quod venerit ad eum caſum , à quo incipere non potuiſſet. Paulus in *l. debitor* 82. *in princ. ff. de leg.* 2. ita diſtinguit : ſi dies venit , poſtquàm ceſſit legati dies , legatum ſuſti-

netur, quia dies legati utiliter ceſſit: tunc enim debitum erat in diem, & legatum erat purum, & ideò legatarius fruebatur commodo repræſentationis. Quòd ſi dies venerit vivo teſtatore: *dicendum inutile effici legatum, quamquàm conſtiterit ab initio.* Quæ ſententia, ac diſtinctio regulis juris videtur apprimè conſentanea. Papinianus tamen contrà ſentit in *l. 5. in fin. ff. ad leg. Falcid.* Ibi: *nec ſi vivo teſtatore dies venerit, aut conditio fuerit impleta, fiet irritum, quod ſemel competit.* Juſtinianus autem Papiniani ſententiam confirmavit in *§. ex contrario verſic. quòd ſi vivo inſt. de legat.* additâ ratione: *non enim placuit ſententia exiſtimantium, exſtinctum eſſe legatum, quia in eam cauſam pervenerit, à quâ incipere non poteſt.* Ex quibus apparet, de hoc non conveniſſe inter veteres juriſconſultos: qui enim regulæ addicti erant, exiſtimabant legatum eſſe exſtinctum: qui ſecùs, illud ſuſtineri. Quamobrem Paulum à Papiniano diſſenſiſſe nullus dubito: hanc enim regulam quidam repudiabant, quidam libenter admittebant, ut ſuprà luculenter demonſtravimus. Papinianus hoc caſu eam repudiavit, ut oſtendit illis verbis: *quod ſemel competit.* Paulus eam approbavit, ut demonſtrant illa verba: *inutile effici legatum, quamquàm conſtiterit ab initio.* Cùm igitur uterque ad eamdem regulam reſpexerit, & alter eam hoc caſu obtinere dixerit, alter negaverit, Peliam lavant, qui Paulum à Papiniano non diſſenſiſſe conantur oſtendere. Commodiſſimè omnium rem expediunt, qui verba illa: *inutile effici legatum* explicare ſatagunt, hoc eſt, *nullam utilitatem affert*, cæterùm legatum valet. Verumtamen neque hoc perfugium tutum eſt; tum quia, ut dixi, ad noſtram regulam id refert Paulus, quæ dictat legatum exſtingui, obligationem perimi, legatum non valere: tum quia etiam in primo caſu non affert utilitatem; ergo hi duo caſus, quos tamquàm contrarios Paulus proponit, inter ſe non diſcreparent.

9 Enimverò, ut ingenuè fatear, quod ſentio: probabilior mihi videtur ſententia Pauli: nihilominùs cùm Papiniani deciſio à legiſlatore noſtro fuerit confirmata, utique non eſt ab ea recedendum: & fateri oportet, hoc caſu non obtinere regulam noſtram, ut diſertè ſtatuit idem Juſtinianus in *d. §. ex contrario 14. in fin. inſt. tit. de legat.*
Ratio autem hujus deciſionis, quantùm 10
conjecturâ aſſequi poſſum, ea fuit, quia vitium, quod ex poſt facto obvenit legato, extrinſecùs ei obvenit, nempè ex eventu conditionis aut adventu diei, quæ non legato erant adjecta, ſed obligationi, quâ obſtrictus erat teſtator. Hoc igitur vitium, cùm non ſit intrinſecum legato, nec ſubſtantiam ejus inficiat, nec impediat, quominùs præſtari poſſit id, quod legatum eſt, neque quòd ex eo naſci poſſit actio, & exerceri, ſicut non impedit conditio exiſtens, & dies veniens poſt legati ceſſionem, non corrumpit legatum, quod initio rectè fuit relictum, cùm non obſtet legato, quominùs effectum habere poſſit. Et quamvis non valeat legatum, ſi nullum legatario afferat emolumentum *l. Mævius 66. in fine princip. ff. de leg. 2. l. legavi 25. verſic. contrà ff. de liberat. leg.* tamen ex poſt-facto, & ex accidenti fieri poteſt, ut nullum commodum afferat legatario, ut, cùm legatarius rogatus eſt, reſtituere rem, vel quantitatem legatam alteri: tenetur enim totum id, quod percepit, reſtituere *l. Imperator 70. §. ſi centum ff. de leg. 2. l. ita tamen 17. §. hæres ex aſſe 16. & l. ſcribit 33. ff. ad S C. Trebell.*: imò aliquando damnum affert *d. l. Imperator §. ſi centum verſ. enimverò l. planè 94. §. ſi cui ff. de leg. 1. l. ſed ſi non ſervus 36. ff. ad leg. Falc.* Præterquàm, quòd in caſu noſtro poteſt etiam commodum afferre, poteſt enim ejus intereſſe unam potiùs, quàm alteram actionem intendere poſſe, ut in *l. ſi creditoris 28. verſ. ſicut Ariſto ff. de leg. 1. l. ſi debitor 11. ff. de liber. legat.* Et ut hæc omnia deſint, nonnullum tamen commodum eſt pluribus actionibus experiri poſſe, & earum electionem habere *l. cùm filius 76. §. variis ff. de leg. 2. §. ſic itaque diſcretis 14. inſtit. tit. de action.* Quod etſi non efficiat, ut ab initio legatum valeat, tamen efficere poteſt, ut conſervetur, &c.

ab initio ritè datum non perimatur : ſæpè enim conſervatur , quod initio non poſſet ſubſiſtere , cùm faciliùs ſuſtineatur id , quòd anteà rectè erat conſtitutum , quàm initio rectè conſtituatur. *l. non tantùm* 17. *§. is qui ff. de excuſ. tut. l. patre furioſo* 8. *ff. de his , qui ſum ſui vel al. jur. l.* 3. *§.* 1. *juncto §. ſed etſi* 7. *& §. ſaltus* 11. *ff. de acquir. vel am. poſſ. l.* 3. *§. ult. junctâ l.* 5. *in princ. ff. de acquir. rer. dom.* Maximam autem , atque optimam rationem habuit Juſtinianus confirmandi opinionem Papiniani , cùm omnibus legatariis , & fideicommiſſariis præter actionem perſonalem dederit etiam hypothecariam *l.* 1. *verſic. cùm enim l.* 2. *verſic. cùm enim l.* 2. *verſic. & ſi omnibus C. commun. de legat.* quod maximam afferet legatario utilitatem , ſi erat creditor tantùm Chirographarius. Hæc enim legata ſunt quidem utilia , quoad nanciſcendam actionem ex teſtamento , & hypothecariam , non tamen ita , ut ex iis detrahi poſſit Falcidia *l. ſi creditori* 28. *in fin. ff. de leg.* 1. aut fideicommiſſum relinqui *l. ſi mulier* 3. *§. ſi rem. ff. de leg.* 3. Quarè commodum , quod percipit legatarius , neque Falcidiâ , neque fideicommiſſo ei detrahi poteſt.

11 Textum nonnulli petunt ex *l. à filio* 25. *ff. de leg.* 1. *à filio hærede etiam purè patri legari poteſt ; nec intereſt , an die cedente legati in patris poteſtate ſit. Et ſi juſſu patris adita ſit hæreditas, imputabitur ei in Falcidiam.* Nodum ſcirpo quærunt , qui hoc regulæ noſtræ opponunt:neque enim contrà, ſed pro eâ facit. Legatum enim hujuſmodi , cùm venit in eum caſum , à quo incipere non poteſt , extinguitur. In eum autem caſum venit , cùm patri acquiritur hæreditas per filium. Tunc enim, cùm id obtineat jure hæreditario, non poteſt obtinere jure legati. Titulus enim univerſalis hæreditatis abſorbet titulum particularem legati : & ideò hæredi à ſemetipſo legari non poteſt *l. & quidem* 18. *l. legatum* 116. *§.* 1. *ff. de leg.* 1. Igitur cùm filius juſſu patris adit hæreditatem , legatum evaneſcit *§. ex diverſo in fin.* 32. *inſtit. tit. de legat.* & non debetur , ut de legato in perſonâ ſervi reſpondit Mæcianus in *l. ſi à ſervo* 20. *ff. ad leg. Falc.* Et hoc ſignificant illa verba *imputabitur ei in Falcidiam*:hoc eſt,ſi quartam detrahens hoc legatum retinuerit , hoc in quartam imputabitur. Porrò ad jurgandum ſunt propenſiores , qui duas haſce leges inter ſe committunt. Concordant enim , non pugnant inter ſe : & utrâque idem prorſus continetur. Etenim Paulus ait in *d. l. à filio* 25. *ff. de leg.* 1. *imputabitur ei in Falcidiam* : contrà Scævola ex Mæciano in *d. l. ſi à ſervo ff. de leg. Falc.* negat *id legatum in Falcidia computari*. Ita profectò. Sed non ſunt hæc contraria , quia aliud eſt , in Falcidia computari : aliud imputari in Falcidiam. In Falcidia computari dicitur legatum , cùm adnumeratur legatis , ex quibus Falcidia detrahitur : cùm connumeratur inter legata in computatione quartæ. Id propriè ſignificat verbum *computare*. Optimè ad rem noſtram Quintilianus *inſtit. orat. lib.* 11. *cap.* 3. *ut eſt autem neceſſaria verborum explanatio , ita omnes computare , & velut adnumerare litteras , moleſtum , & odioſum.* Senec. *de benef. lib.* 3. *cap.* 16. *illuſtres quadam ac nobiles femina non conſulum numero , ſed maritorum annos computant.* Id igitur voluit Mæcianus , non habendam eſſe rationem hujus legati in deducendâ quartâ ; quod explicat ſubſequentibus verbis : *quia non debeatur.* Ergò nulla ratio ejus haberi poteſt , perindè ac ſi legatum non fuiſſet. Tacit. *lib.* 1. *hiſtor. Senium Galba , & juventam Othonis computantium perſuaſerat fore , ut in imperium aſciſceretur.* Nempè in faciendâ conjecturâ de imperio , rationem habebant juventæ Othonis , & ſenii Galbæ. In *l. in lege* 45. *ff. ad leg. Falc. In lege Falcidiâ non habetur pro puro , quod in diem relictum eſt : medii enim temporis commodum computatur.* Hoc eſt , ratio habetur hujus commodi , & in detrahendo quadrante hoc etiam connumerandum , & computandum. Id ipſum paſſim occurrit.

Imputari autem in Falcidiam dicitur , quod hæredi aſſignatur , ac tribuitur ratione Falcidiæ , ut eam expleat , & quadrantem hæredi debitum conficiat , & compleat. In *l. id autem* 76. *in princ. ff. ad leg. Falc.* 12

Falc. Id autem, quod conditionis implendæ cauſâ à legatario, vel à cohærede, vel à ſtatu libero datur, in Falcidia non imputatur, quia mortis cauſâ capitur. In *l. quod autem* 74. *in fin. ff. eod. quod quis legatorum nomine à cohærede accepit, in quadrantem ei non imputatur.* & paſſim hoc verbum ita uſurpatur in hoc titulo. Non ignoro tamen, aliquando confundi hæc verba: *imputari, & computari*; ſed ſi propriè accipiantur, ſignificant id quod diximus. Senec. *epiſt.* 8. *hoc non imputo in ſolutum de tuo tibi.* Plin. in *Panegyr. Geſſiſti alterum conſulatum: ſcio, illum exercitibus, illum provinciis, illum etiam cæteris gentibus poteris imputare: non potes nobis.* Tacit. *lib.* 2. *Hiſtor. contrà illi initium belli nemo imputabat.* & *lib.* 3. *caſum Cremonæ bello imputandum.* & *lib.* 4. *cujus ambiguam fortunam Veſpaſiano imputaturos.* & in *vita Agric. proſpera omnes ſibi vindicant, adverſa uni imputantur.* & deinceps: *numquam exercitui imputari potuiſſe aut moras belli, aut cauſas rebellandi.*

13 Illud ultimo loco eſt animadvertendum, quòd hoc caſu legatum evaneſcit poſt diem legati cedentem; & ratio eſt, quia cùm cedit legati dies, nondum exiſtit caſus, à quo incipere non poterat: quia cùm poſſit evenire, ut filius emancipetur, aut ſervus manumittatur, legatum interim ſuſtinetur; quoniam his caſibus patri, & domino acquireretur, qui hæredes non eſſent. Tunc igitur evaneſcit, cùm patri per filium, aut domino per ſervum hæreditas acquiritur, quia acquiſitâ hæreditate non poſſunt ampliùs legatum conſequi *d. l. à filio ff. de leg.* 1. & *d. l. ſi à ſervo* 20. *ff. ad leg. Falcid.* Hoc autem videtur ſingulare, quia ſolet ſpectari dies cedentis legati: idque etiam, cùm quæritur de validitate legati *l. cùm filius* 76. §. *ſervus ff. de leg.* 2. *l. ult. in fin. ff. commun. præd.*

14 Supereſt explicandum reſcriptum Imperatoris Alexandri in *l.* 3. *C. de interd. matrim.* Senatuſconſulto cautum erat, ne tutor, aut curator, aut eorum filii ducerent uxorem pupillam ſuam, aut patris ſui, antequàm tutelæ, vel curæ rationem redderent, & præterirent tempora reſtitutionis in integrum *l. non eſt matrimonium* 66. *ff. de ritu nupt. l. qui pupillam* 7. *ff. ad l. Jul. de adulter. l.* 1. *C. de interd. matrim.* Quidam duxit uxorem, poſt liberos ex eâ ſuſceptos, pater ejus curator datus eſt uxori, hoc eſt, nurui ſuæ: ſi ab initio curator fuiſſet, cùm filius eam duxit uxorem, legitimum non fuiſſet matrimonium: ergo neque modò eſſe debet, quia venit in eum caſum, à quo incipere non poterat. Contrarium tamen reſpondit Alexander in *d. l.* 3. & liberos jam natos eſſe legitimos, & matrimonium irritum non fieri. Ratio autem duplex eſt. Prima, quia matrimonium ritè contractum ex poſt facto ſubverti non debet, quæ ratio redditur in ipſâ lege illis verbis: *cùm ritè contractum matrimonium ex poſt facto vitiare non potuerint*: & in aliis etiam caſibus reſponſum eſt, ut in *l. ſi qua mihi* 12. *in princ. ff. de ritu nupt. l. penult. C. de nupt.* Eſt enim firmiſſimus contractus matrimonii. Altera ratio eſt, quia cùm actus antecedens ritè geſtus redigitur ad caſum, à quo incipere non poterat per aliquem actum ſubſequentem, potiùs infirmandus eſt actus ſubſequens, quàm primus, qui jam erat in ſtatu validitatis, & impedimento eſt, quominùs ſubſequens poſſit valere, quod indicat Imperator in *d. l.* 3. conſulens, ut in locum patris alius curator ſubſtituatur, & clariùs decernitur in *l. ampliſſimi C. de excuſat. tut. l. penult.* §. *videamus ff. de ritu nup.*

CAPUT XXVI.

Ad eamd. l.

SUMMARIUM.

1 *Lex aliquando non declarat irritum, quod fieri vetat.*
2 *Emptio perfecta aliquando reſolvitur, ſi res perierat, aliquando non reſolvitur.*
3 *Idem eſt in teſtamento.*
4 *Et in legatis.*
5 *Regula non pertinet ad actus imperfectos & inutiles*
6 *Neque ad conditionales.*
7 *Nec ad eos, qui ſuum effectum conſecuti ſunt.*

Digitized by Google

8 *Mala fides ſuperveniens non interrumpit uſucationem.*
9 *Regula non pertinet, quoque ad eos actus, in quibus etiam rite perfectis requiratur aliquid, quod ad eorum ſubſtantiam & ſolemnitatem pertinet.*
10 *Actus perit, ſi eò perductus eſt, ut completum finem ſortiri nequeat. Exempla. & n. 11. 14. 15. 16. 17.*
12 *Venditor habet actionem contra emptorem ad petendum pretium, peremptâ re venditâ ſine ejus culpâ.*
13 *Nec tamen ideò venditio durat.*
18 *Si perſona, quæ actum geſſit, fiat incapax, actus corruit. Exempla. & n. 19. 20.*
21 *Idem quoque eſt, ſi perſona acquirere debentis fiat incapax acquirendi. Exempla. & n. 22.*
23 *Diſpoſitio rectè facta ſi vitium, in quod dilabitur, ab initio eam inutilem reddidiſſet, corruit, etiamſi, qui acquirere debet, capax ſit.*
24 *Actus non retractatur, ſi poſſit exitum, & executionem habere. Exempla. & n. 25.*
26 *Exponitur l. pluribus 140. §. 1. ff. de verb. obl.*
27 *Legatum corruit, cùm idem eſt hæres ac legatarius.*

1 ETſi expoſitis regulæ exceptionibus, & explicatis luculenter exemplis, adjectâ etiam ratione, cur in illis à propoſita regula recedendum eſſet, omnis controverſia ſublata eſſe videatur: tamen ea, quæ ſingillatim diximus, in genera ſunt digerenda, ut quiſque in promptu habeat certam normam præſcriptionemque, ad quam propoſito quocumque facto judicium ſuum dirigere poſſit. Primùm autem illud ſtatuendum eſt, non eſſe contrarias duas haſce regulas: *quæ initio rectè conſtiterunt, reſolvuntur, ſi pervenerint ad eum caſum, à quo incipere non poterant*: & *multa facta tenent, quæ fieri prohibentur*. Etenim hæc ſecunda regula non pertinet ad ea, quæ initio rectè geſta fuerunt, ſed ad ea, quæ lege prohibente geſta fuerunt: atque adeò nec ab initio, nec poſteà deberent ſuſtineri. Verùm quia aliquando lex non declarat irritum, quod fieri vetat, & ex quâdam honeſtate, & æquitate aliquid prohibet, id tolerat, ſi geſtum fuerit: & aliquâ aliâ ratione ſuccurrit illis, qui ex eâ re damnum paſſuri eſſent. Exempla nobis ſuppeditantur in *l. 1. §. biduum 5. ff. quan. appell. ſit.* in *l. quid ergo 13. §. pœna ff. de his, qui not. infam.* in *l. 1. ff. de feriis.* in *l. relegatorum 7. §. ad tempus ff. de interd. & releg.* in *l. moris 9. §. iſta 11. ff. de pœn.*

His prælibatis, quantùm ad regulam 2
noſtram attinet, communiter ita diſtinguere ſolent. Aut actus perfectus eſt, & ex poſtfacto non retractatur: aut eſt imperfectus, & reſolvitur ſi in eum caſum venerit, à quo incipere non poterat. Huic regulæ acquieſcere non poſſum, tum quia non ſatis diſtinctè atque explicatè declarat id, quod quæritur: tum quia fallax eſt, & ſæpenumero falſa. Etenim quando actus ſit perfectus, aut imperfectus, non explicant. Quidam aïunt perfectum eſſe, quando eſt in eſſe deductus. Si hoc modo accipiatur, plerùmque falſa eſt. Alii addunt, perfectum & conſummatum. Sed quando ſit conſummatus, non docent. Porrò actus conſummatus eſt, quando perfectus eſt, & abſolutus: nam conſummare ſignificat perficere: abſolvere. Sed quocumque modo hanc diſtinctionem accipias, ſæpè falſa eſt. Exemplis id explico. Emptio, & venditio perfecta eſt, ſimul ac de re, & pretio convenit *l. 1. in fin. l. in venditionibus 9. in princ. ff. de cont. empt. l. 2. in princ.* & *l. in quibuſcumque 48. ff. de obl. & act. l. 2. C. de contrah. empt.* Expendamus igitur, ſubſiſtat ne, an reſolvatur, ſi in eum caſum inciderit, à quo incipere non poterat. Si res vendita pereat ſine culpâ venditoris, utique exiſtit caſus, à quo incipere non poſſet. Sine re enim, quæ in obligationem deducatur, obligatio contrahi non poteſt. Atqui, re peremptâ, aut eò redactâ, ut ampliùs præſtari non poſſit, aliquando nihilominùs emptio ſubſiſtit: aliquando reſolvitur. Si res pereat ſine culpâ venditoris, non reſolvitur venditio, cùm venditor, etiamſi rem præſtare non poſſit emptori, tamen pretium ab emptore poſſit exigere, nec reſtituere teneatur, ſi jam exegit. *§. cùm autem 3. inſtit. de contrah. empt. l. cùm emptor 5. §. ult. ff. de reſcind. vend. l. ult. ff. de condict. cau. dat. cau. non ſeq. l. venditor 22. ff. de hered. vel act. vend. l. ult. C. de peric. & comm. rei vend.* Contrà, ſi fundus pu-

Digitized by Google

·blicatus fuit, emptio evaneſcit, & exſtinguitur. Emptor enim non tenetur ad dandum pretium; &, ſi dederit, repetere poteſt. *l. ſi fundus* 33. *ff. locat.* Idem ſi res ſacra, aut religioſa fiat, aut ſervus venditus liber fiat *l. inter ſtipulantem* 83. *§. ſacram ff. de V. O.* Quibus poſitis ita concludere licet. Aut emptio, ſecundùm propoſitam diſtinctionem, perfecta, & conſummata intelligi debet, aut non: ſi primum; ſemper fieri debet irrita: ſi ſecundum, numquam debet infirmari. At hoc eſt falſum, quia aliquando infirmatur, aliquando ſuſtinetur: ergo fallax eſt diſtinctio, quam nobis obtrudunt.

3 Haud aliter uſu venit in teſtamento. Si teſtamentum ritè perfectum fuerit, licèt poſteà teſtator furore corripiatur, tamen non infirmatur, quamvis, ſi furore graſſante teſtamentum condidiſſet, teſtamentum inutile fuiſſet. §. 1. *inſtit. tit. quib. non eſt permiſ. fac. teſtam. l. ult. ff. de injuſt. rupt. l. 1. §. ſi quis autem 9. ff. de bon. poſ. ſec. tab.* Contrà ſi teſtator capite minuatur, fit irritum teſtamentum §. *alio autem modo, inſtit. tit. quib. mod. teſtam. infirm.* Nam ſive teſtator pœnæ ſervus efficiatur, ſive deportetur, teſtamentum anteà factum fit irritum, quia incidit in eum caſum, à quo incipere non poterat *l. ſi quis 6. §. irritum cum ſeqq. ff. de injuſt. rupt. irrit. fact. teſt.* Hìc recurrit idem argumentum. Quæro enim, an hujuſmodi teſtamentum pro perfecto accipere debeamus, eâ perfectione, quam ſuperior diſtinctio requirit, an non. Si affirmaverint eſſe perfectum, illud etiam affirment neceſſe eſt, ipſum non infirmari per capitis diminutionem, quod falſum eſt. Si negaverint; illud quoque negare cogentur, ipſum non infirmari ſuperveniente furore: quod non minùs falſum eſt.

4 Perpendamus modò, quid juris ſit in legatis. Sanè in illis idem eſt conſtitutum. Si quis purè legaverit, quod ſub conditione, vel in diem debebat: ſive eo vivo, ſive poſt ejus mortem conditio extiterit, vel dies venerit, legatum valet. *l. 5. in fin. ff. ad leg. Falc. §. ex contrario inſtit. tit. de legat.* Et hoc quia in legato non obtinet noſtra regula, ut diſertè explicat legiſlator noſter in *d. §. in fin. non enim placuit ſententia exiſtimantium exſtinctum eſſe legatum, quia in eam cauſam pervenerit, à qua incipere non poteſt.* Contrà in *l. 3. §. ult. ff. de his, quæ pro non ſcript. hab.* Si ſervo alieno quid legatum fuerit, & poſteà à teſtatore redemptus ſit, legatum exſtinguitur: & affertur ratio ſuperiori contraria: *nam quæ in eam cauſam pervenerunt, à quâ incipere non poterant, pro non ſcriptis habentur.* Utrobique agitur de legato ab initio valido atque perfecto: utrobique agitur de tempore antecedente mortem teſtatoris: & tamen primo caſu repudiatur regula ſuprà expoſita: ſecundo admittitur: primum legatum valet, ſecundum eſt inutile. Quæ iſta diſtinctio? quæ vera, quæ falſa habet, quæ à veris falſa non ſeparat atque ſecernit.

Equidem fateor in re maximè contro- 5
verſâ, & inter veteres etiam juriſconſultos plenâ diſſenſionis, difficillimum eſſe vera à falſis dijudicare, & ſecernenda diſtinguere. Conabimur tamen, & an ex voto nobis ſucceſſerit, alii judicabunt. Duo autem præmonenda eſſe arbitramur, ut diſtinctiùs cuncta digeramus. Primum, quòd hæc regula non pertinet ad actus imperfectos, & inutiles, ſed ad perfectos, & ritè, rectèque celebratos. Alterum, quòd pariter non pertinet ad actus, qui jam expletum finem, atque exitum habuerunt.

Primùm igitur hæc regula refertur ſolùm 6
ad actus perfectos, eoſque tantummodò complectitur. Ait enim: *quæ ab initio rectè conſtituta ſunt.* Meritò: quia id quod perfectum non eſt, quod eſt inutile, quod non valet, infirmari non poteſt, aut rumpi, & revocari, nec poteſt deſinere, quod non cœpit *l. 5. verſ. poſt defectum ff. de injuſt. rupt. l. decem 116. verſic. & ſolvente ff. de V. O. l. Titio uſusfructus 96. in princ. verſic. deſiiſſe ff de cond. & dem. l. Sempronius Attalus 26. verſic. & ideò capitis ff. de uſufr. leg.* Quocircà nec pertinet quidem ad actus conditionales, licèt omnia ritè geſta fuerint, adeò ut actus ſubſiſtat, ac perfectus ſit:

Digitized by Google

quia tamen in ſuſpenſo eſt, quamdiù conditio pendet, & nata non eſt obligatio, huic regulæ non ſubjacet. Finge, rem alienam ſtipulor ſub conditione: poſteà mea fit, non exſtinguitur ſtipulatio, licèt inciderit in eum caſum, à quo incipere non poterat. *l. ſi rem meam* 31. *ff. de V. O.* & ſi pendente conditione rurſus fiat aliena, valebit ſtipulatio, & naſcetur obligatio, perindè ac ſi numquàm mea facta fuiſſet *l. exiſtimo* 98. *in princ. ff. de V. O. l. quoties* 34. *in fin. princip. ff. de uſufr.* Rurſus finge: Stipulor viam ad fundum alienum: ſi ſtipulor: purè, inutilis eſt ſtipulatio, quia fundo alieno ſervitus acquiri non poteſt *l. ſi unus* 19. *ff. de ſervit. ruſt. præd. l. proprium* 5. *in fin.* & *l. ſi quis duas* 6. *ff. commun. præd.* Quamobrem ſi ſtipulor purè viam ad fundum meum, licèt ab initio valeat ſtipulatio, tamen ſtatim exſtinguitur, ſi fundus fiat alienus, quia incidit in eum caſum, à quo incipere non poterat *l. ſi ſub una* 136. §. *ult. ff. de V. O.* Quòd ſi eam ſtipulor ſub conditione, ſtipulatione non exſtinguitur, etſi fundum ante conditionis eventum alienavero: ſi enim conditione exiſtente meus iterum ſit, ſervitus mihi debebitur. Contractus enim conditionalis perficitur eventu conditionis, & tunc parit obligationem *l. cedere diem ff. de V. S.* Multò minùs igitur hæc regula pertinebit ad eos actus, qui neque ab initio perfecti ſunt, neque perfici poſſunt in poſterum, deficiente fortaſſe vel conſenſu, vel aliquâ aliâ ſolemnitate ad actum perficiendum neceſſariâ.

7 Non pertinet pariter hæc regula ad eos actus, qui jam conſecuti ſunt exitum ac finem, ad quem fuerunt inſtituti. Optimè probant id duæ leges, quæ videntur omninò contrariæ, ſed non ſunt, quia in prima agitur de eo, qui ſervitutem ſtipulatus erat; in altera de eo, qui ſervitutem jam acquiſiverat: hoc eſt, in altera de actu quidem perfecto per ſtipulationem ritè contractam; in altera de actu, qui jam executionem, & conſummationem ſortitus erat. In *l. pro parte* 11. *ff. de ſervit. Si quis fundum habens viam ſtipulatur, & partem fundi ſui poſteà alienet, corrumpit ſtipulationem in eum caſum deducendo, à quo ſtipulatio incipere non poſſit.* Contrà in *l. pluribus* 140. *in fin. ff. de V. O. Per partem dominorum ſervitus acquiri non poteſt, acquiſita tamen conſervatur, & per partem domini: hoc evenit, ſi pars prædii ſervientis, vel cui ſervitur, alterius domini eſſe cœperit.* Ibi agitur de ſervitute debitâ, ſed acquirendâ, nondum tamen acquiſitâ: hîc de ſervitute jam acquiſitâ. Ibi obtinet regula, hîc ſecùs. Et hoc eſt, quod Paulus indicat in *l. ſi ſub una* 136. §. *ult. ff. de V. O.* illis verbis: *ante conſtitutam ſervitutem alienaverit.* Eâdem ratione non amittitur interdictum in *l.* 1. *in fin. ff. de itin. act. priv.* quia jam completa erat præſcriptio, & tranſactum negotium, ut ait Paulus in *l.* 2. *ff. eod.* & nos ſuprà latè expoſuimus. Res enim, quæ jam effecta eſt, infecta fieri non poteſt *l. in bello* §. *facti ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* Non nego tamen, quòd quis, ſi res, quam conſecutus eſt vel ex contractu, vel ex ultima voluntate, pereat, vel publica, ſacra, religioſa fiat, vel ſervus libertatem conſequatur, rem amittat: ſed non amittit, quia contractus, aut ultima voluntas evanuerit; cùm enim jam exſtincta ſit omnis obligatio per ejus executionem, non poteſt evaneſcere, & corrumpi, quod ampliùs non eſt: ſed ideò rem amittit, quia res, quam poſſidet, in rerum naturâ, aut in commercio eſſe deſinit: ac propterea in dominio, & in bonis ejus eſſe ampliùs non poteſt §. *nullius inſt. tit. de rer. diviſ. cum* §§. *antecedentibus* §. 2. *inſtit. tit. de rer. diviſ. l. ſed Celſus.* 6. *in princ. ff. de contr. empt. l. inter ſtipulantem* 83. §. *ſacram ff. de V. O.*

8 Ex his colligi poteſt, cur mala fides ſuperveniens poſt cœptam uſucapionem, ipſam non interrumpat. *l. bonæ fidei* §. *in contrarium ff. de acquir. rer. dom. l. heres* 43. *ff. de uſucap. l.* 2. §. *ſi defunctus* 19. *ff. pro emptor.* quæ ſi fuiſſet ab initio, uſucapio inchoari non potuiſſet *l. juſto* 44. §. *etſi poſſeſſionis ff. de uſucap. l.* 2. *in princ. ff. pro emptor.* quia cùm principium vitioſum eſt, inchoari non poteſt *l. ſi is qui* 15. §. *penult. ff. de uſucap.*

Digitized by Google

Etenim uſucapio ad regulam noſtram non pertinet: quoniam, antequàm elabatur tempus poſſeſſionis à lege præſcriptum, inchoata eſt, non perfecta: poſt lapſum autem temporis completa eſt, & finem, & conſummationem ſortita eſt, nempè tranſlationem dominii, ad quod conſequendum à lege fuit introducta.

9 Excluſis à regula his actibus, ſuperſunt ſolùm illi, qui & initio ritè perfecti fuerunt, & nondum finem, & executionem habuerunt. Ex horum numero rurſùs eximendi ſunt illi, in quibus, poſtquàm ritè perfecti fuerunt, deficit aliquid, quod ad eorum ſubſtantiam, & ſolemnitatem pertinebat, veluti conſenſus actum gerentis, aut ejus, qui ipſum habet in poteſtate: verba in ſtipulatione: litteræ in obligatione ſyngraphæ. Cùm enim hæc ſolummodò requirantur ad gerendum actum; poſtquàm actus illis interveniéntibus ritè geſtus eſt, atque perfectus, ea ampliùs non requiruntur. Itaque ſi poſt perfectum actum, is, qui geſſit, in furorem incidat, actus non corrumpitur, ut in ſuperiori expoſuimus in primâ exceptione. Idem dicendum, etſi conſenſum jam præſtitum retractaverit: nam quæ ab initio ſunt voluntatis, ex poſt-facto ſunt neceſſitatis. Naſcitur enim obligatio, quæ nos vel invitos adſtringit ad dandum vel faciendum *l. obligationum ſubſtantia* 3. *in princ. ff. de obl. & act.* Et licèt ultimæ voluntates uſque ad extremum vitæ ſpiritum revocari poſſint, tamen ſolo diſſenſu non revocantur, ſed modis à jure præſcriptis, §. *ex eo autem ſolo inſtit. tit. quib. mod. teſtam. infirment.* Quod de amiſſione conſenſûs, ſeu de furore diximus, dicendum eſt de verbis, ac litteris; nam ſi ſtipulator obmuteſcat, aut ſyngraphæ ſcriptor uſum & facultatem ſcribendi amittat; nouproptereà corrumpitur ſtipulatio, & ſyngrapha. Quod autem de conſenſu diximus, intelligendum eſt de conſenſu præſtito in ipſo actu, non de conſenſu actum antecedente, qui retractari poteſt, cujus rei exempla attulimus in ſuperiore.

10 His exceptis dicendum eſt, quando in cæteris obtineat noſtra regula, quando reputetur. Quâ de re ſic ſtatuendum arbitror. Si caſus, in quem perducta res eſt, impediat quominùs actus ritè geſtus poſſit proprium, & expletum finem ſortiri, & executioni mandari, actus corrumpitur, & perit: ſin aliter, durat. Evenire autem ſolet, ut actus finem, atque exitum ſortiri non poſſit, quoties aut rem, quæ in obligationem deducta eſt, conſequi non poteſt is, qui eam acquirere, & conſequi deberet, quia ampliùs ea præſtari non poteſt: aut quoties perſona ſit incapax, vel eam præſtandi, vel eam acquirendi. His duabus de cauſis extinguitur obligatio jam contracta, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio *l. impoſſibilium ff. de reg. jur.* & quia corrumpitur ſubſtantia obligationis, quæ in eo conſiſtit, ut nos adſtringat ad dandum, vel faciendum *l. obligationum ſubſtantia* 3. *ff. de oblig. & act.*

Quoad rem in obligationem deductam, 11 hæc occurrunt exempla, quæ breviter attingam, quia ſuprà uberrimè ſunt explicata. Primùm in re, quæ poſt contractam obligationem eximitur commercio hominum, aut in rerum naturâ eſſe definit ſine culpâ debitoris, quæ cùm ampliùs ſolvi non poſſint, corrumpunt obligationem, de quibus agitur in §. 2. *verſic. item contra inſtit. de inutil. ſtipul.*

Sed, quoad rem peremptam obſtat auctoritas legiſlatoris noſtri Juſtiniani in §. *cùm autem* 3. *inſtit. tit. de empt. & vendit.* ubi re venditâ ſine culpa venditoris peremptâ venditor habet actionem adverſùs emptorem ad petendum pretium: quod confirmatur auctoritate Imperatorum in *l. ult. C. de peric. & comm. rei vend.* & Juriſconſultorum in *l. cùm emptor* 5. §. *ult. ff. de reſcin. vend.* in *l. ult. ff. de condict. cauſ. dat.* in *l. venditor* 21. *ff. de hæred. vel act. vend.* ergo etiam poſt interitum rei ſubſiſtit emptio, cùm duret actio, quæ ex eâ naſcitur. 12

Reſpondetur, quòd ex eo, quòd detur actio, non poteſt deduci, emptionem durare. Optimè ad rem noſtram Modeſtinus in *l. qui officii* 62. §. 1. *ff. de contr. empt. Qui neſciens loca ſacra vel religioſa, vel publica pro privatis comparavit, licèt emptio non te-* 13

neat, *ex empto tamen adverſùs venditorem experietur*, *ut conſequatur*, *quod interfuit ejus*, *ne deciperetur*. §. *loca inſtit. tit. de empt.* Quod rem noſtram attinet, animadvertendum eſt, ex hoc contractu duas naſci obligationes inter ſe diſtinctas: alterâ obſtringitur venditor ad tradendam rem venditam *l. ex empto* 11. §. 2. *l. ſervus* 30. §. *ult. ff. de act. empt. l. ſi ita diſtrahatur* 25. §. 1. *ff. de contrah. empt.* alterâ obſtringitur emptor ad dandum pretium *d. l. ex empto* §. 2. *l.* 1. *in princ. verſic. emptor enim ff. de permut.* Peremptâ igitur re venditâ, perit etiam obligatio ejus tradendæ, quâ venditor obſtringebatur, quia res ampliùs præſtari non poteſt: non perit autem obligatio, quâ obſtringitur emptor ad dandum pretium, quia pretium ſemper præſtari poteſt, cùm neque perierit, neque perire poſſit; genus enim numquam perit. Interitu rei debitæ debitor liberatur ab obligatione, quia rem debitam ſolvere non poteſt, cùm non ſit ampliùs in rerum naturâ. *l. ſi ex legati* 23. *ff. de V. O. l. quod te ff. de reb. cred.* Sed tollitur ſolùm obligatio ejus rei, quæ præſtari non poteſt *l. Stichum* 98. *in princ. ff. de ſolut.* Ex quibus efficitur, quòd peremptâ re venditâ tollitur ſolummodò venditoris obligatio, quia ea ſola devenit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet: non tollitur obligatio emptoris, quia ad eumdem caſum non pervenit, cùm pretium non perierit, & præſtari poſſit. Fateor tamen, hoc caſu quodammodò lædi, & vulnerari regulam noſtram: nam, ſi initio res vendita, non fuiſſet in rerum naturâ, tota emptio fuiſſet irrita, & nullus, totus contractus, quia ſine merce quæ vendatur, nulla poteſt emptio contrahi *l. nec emptio* 8. *in princ. ff. de contrah. emptione.* Sed cùm placuerit poſt perfectam emptionem periculum ad emptorem pertinere. §. *cùm autem inſtit. tit. de empt. & vendit. l. id quod poſt.* 7. *l. neceſſario* 8. *l. ſi vendita* 11. *ff. de peric. & com. rei vend. l. quod ſepè* 35. §. *ſi res ff. de contr. empt. l. ſicut.* 12. *l. fructus* 13. *l. pen. C. de act. empt.* conſequens eſt, ut per interitum rei venditæ ſola venditoris obligatio perimatur *d.* §. *cùm autem.* Quod tamen non fuit receptum, ſi res vendita, publicata fuerit *l. ſi fundus* 33. *ff. locat.* vel ſi ſacra aut religioſa facta fuerit *l. inter ſtipulantem* §. *ſacram ff. de V. O.* tunc enim totus contractus reſolvitur.

Secundum exemplum eſt in re illâ, quæ 14
cùm eſſet aliena tempore ſtipulationis, poſtmodùm anteqàm mihi traderetur, mea facta eſt: corrumpitur enim ſtipulatio, quæ devenit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet § 2. *inſtit. tit. de inut. ſtipul.* ab initio enim fuiſſet inutilis ſtipulatio, ſi rem meam mihi dari ſtipulatus fuiſſem *l. nemo rem* 82. *ff. de V. O.* quia res mea ampliùs mea fieri non poteſt. §. *ſic itaque diſcretis inſt. tit. de action. l. non ut ex pluribus* 159. *ff. de R. J.* Itaque cùm poſt contractam obligationem res mea ſit, impoſſibilis eſt obligationis executio, & ideò ſtatim concidit ſtipulatio, quæ non reviviſcit, ſi iterum poſteà fiat aliena *d.* §. 2. *verſ. item contrà.* quia obligatio ſemel exſtincta, ampliùs non revocatur *l. qui res* 98. §. *aream ff. de ſolut. l. Mævius* 66. §. 1. *ff de leg.* 2.

Tertium eſt in uſufructu legato, quod 15
legatum exſtinguitur legatario acquirente proprietatem *l. ſi tibi* 17. *ff. quib mod. uſufructus amittatur.* Quod & in ſtipulatione obtinet, quia impoſſibilis eſt ejus præſtatio, cùm res ſua nemini ſerviat *l. uti frui* 5. *in princ. ff. ſi uſuſfr. pet. l. in re communi* 26. *ff. de ſervit. urb. præd.* Notandum autem eſt, quòd uſusfructus exſtingueretur, etiamſi jam traditus eſſet, & legatario acquiſitus: non tamen exſtingueretur propter ſuperiorem regulam, quam exponimus. Nam legatum, ejuſque obligatio jam ſublata eſſet per ſolutionem *princ. tit. inſtit. quib. mod. toll. oblig. l. in omnibus* 43. *cum ſeq. l. Stichum* 95. §. *naturalis ff. de ſolut.* adeòque ampliùs tolli non poſſet per conſolidationem.

Quartum in ſervitutibus prædiorum, 16
quæ, ſi nondum fuerint conſtitutæ, non poſſunt pro parte acquiri *l. pro parte* 11. *ff. de ſervitut. l. ſi ſub una* 136. §. 1. *ff. de V. O.* Si autem fuerint jam conſtitutæ, etiam pro parte conſervantur *l. pluribus* 140. *ff. eod.*

Digitized by Google

17 Quintum exemplum habetur in *l. huic ſcriptura* 15. *cum ſeq. ff. ad leg. Aquil.* de quo fuſè, latèque diximus in ſuperioribus.

18 Veniamus ad perſonas : & primùm de perſonâ ejus, qui actum geſſit, diſſeramus. Si perſona, quæ actum geſſit, fiat incapax, ut ſi teſtamentum quis fecerit, & tempore mortis non ſit ampliùs capax teſtandi, non habeat teſtamenti factionem, fit irritum teſtamentum, quod initio ritè fecit. Etenim in teſtamentis duo tempora inſpiciuntur, facti teſtamenti, & mortis teſtatoris §. *in extraneis* 4. *inſtit. de hæred. qual. & differ. l. un.* §. 1. *C. de caduc. toll.* Cùm enim mortis tempore deferenda ſit hæreditas, & reliqua, quæ in teſtamento relicta ſunt; non poteſt efficere, ut ea deferantur, qui teſtari non poteſt, & de rebus ſuis poſt mortem diſponere. Accidit autem hoc interveniente aliquâ capitis diminutione, ſive maximâ, ſive mediâ, ſive minimâ. §. *alio autem modo inſtit. tit. quib. mod. teſtam. infirm.* Itaque ſi quis ad pretium participandum ſe venundari patiatur, ſi pœnæ ſervus efficiatur, teſtamentum ab eo conditum fit irritum *l. ſi quis filio* 6. §. *irritum cum ſeq. ff. de injuſt. rupt.* Item, ſi quis deportetur *d. l. ſi quis* §. *ejus qui.* Minimâ quoque capitis diminutione teſtamentum fit irritum, cùm homo ſui juris ſe dat in arrogationem *l. qui ex liberis* 11. §. *teſtamento ff. de bonor. poſſeſ. ſecund. tab. l. conficiuntur* 8. §. *ſi poſt factum ff. de jure codic.* quia tranſit in poteſtatem arrogatoris cum omnibus ſuis bonis, atque adeò de illis ampliùs diſponere non poteſt *d. l. qui ex liberis* §. 2. Horum omnium teſtamenta fiunt irrita, quia amittunt jus, & facultatem diſponendi. Adoptione non fit irritum teſtamentum, nec emancipatione, quia his modis facultas diſponendi non amittitur, quia filiusfam. non niſi de caſtrenſi aut quaſi caſtrenſi peculio diſponere poteſt, in quibus pro patrefamilias habetur *l. 2. ff. de S. C. Maced.* quam retinet etiam adoptatus aut emancipatus *d. l. ſi quis* §. *ult. ff. de inj. rup.* Animadvertendum tamen eſt, quòd etſi quis univerſum patrimonium amiſerit, tamen ejus teſtamentum non fit irritum, quia difficultas præſtationis non liberat debitorem, qui tenetur, etiamſi rem debitam perdiderit, nec inveniatur, ubi ſit *l. continuus* 137. §. *illud* 4. *ff. de V. O.*

19 Alterum exemplum eſt in fidejuſſore, qui hæres exſtitit reo principali : exſtinguitur enim obligatio fidejuſſoria *l. ſi duo* 93. §. *ſed etſi reus* & *l. Stichum* 95. §. *quod vulgò ff. de ſolut.* quia nemo poteſt eſſe fidejuſſor ſui ipſius *l. hæres* 41. §. *ſervo ff. de fidejuſ.* Idemque eſt, ſi debitor, aut fidejuſſor ſuccedat creditori *l. Granius verſic. ſed & acceſſiones ff. de fidejuſ.* eâdem ratione, quâ nemo ſui ipſius creditor eſſe poteſt *d. l. ſi duo* §. *ult.* & *d. l. Granius*, ſicut enim ab initio contrahi non potuiſſet obligatio, ita nunc exſtinguitur, cùm exſtiterit ille caſus, à quo incipere non potuiſſet.

20 His eſt affine, quod traditur ab Imperatore in §. *ſi res aliena* 6. *inſtit. tit. de legat.* quòd ſi in duorum teſtamentis eadem res eidem legata fuerit, & ex uno rem ipſam fuerit conſecutus, alterum legatum exſtinguitur, ſicut initio non valeret, ſi res ſua cuiquam legaretur §. *ſed ſi rem* 10. *inſt. tit. de legat.* Conſtanter enim traditum eſt, duas cauſas lucrativas in eumdem hominem eamdemque rem concurrere non poſſe *d.* §. *ſi res aliena verſic. nam traditum l. omnes debitores* 17. *ff. de oblig. & action. l. in perpetuum* 61. *ff. de ſolut. l. ſi ſervus legatus* 108. §. *Stichum ff. de leg.* 1. *l. Mævius* 66. §. 1. *de leg.* 2. *l. nutu* 21. §. 1. *ff. de leg.* 3.

21 Alterum eſt in *l. tutelas* 7. *ff. de cap. min.* quam ſuprà expoſuimus.

De perſona acquirentis idem jus eſt. Si ea fiat incapax acquirendi, extinguitur obligatio. Duo exempla proponuntur in *l.* 3. *ff. de his, quæ pro non ſcript. habent.* Primùm in §. *ejus legis.* & in *l. ſi quis mihi bona* 25. §. *ſi quis planè ff. de acquir. vel om. hæred.* Si hæres inſtitutus, aut legatarius poſt teſtamentum factum in metallum datus ſit, aut alio modo pœnæ ſervus factus, exſtinguitur inſtitutio, &

legatum, quia pœnæ ſervus eſt, non Cæſaris: nec ad fiſcum pertinet. Sicut inutile eſſet legatum, ſi initio relictum fuiſſet in metallum damnato extra cauſam alimentorum *d. l. 3. in princ.*

22 Alterum proponitur in §. *ult.* cùm legatum fuit ſervo, qui poſteà à teſtatore redemptus fuit, legatum exſtinguitur: ſubdit rationem J C. Nam quæ in eam cauſam pervenerunt, à qua incipere non poterant, pro non ſcriptis habentur.

23 Porrò aliquando corrumpitur diſpoſitio ab initio ritè facta, etiamſi ille, in quem collata eſt, ſit capax acquirendi, propter vitium, in quod ipſa ex poſt facto delabitur, quo ſi fuiſſet initio affecta, fuiſſet inutilis. Evenit hoc in teſtamento, quod rumpitur agnatione ſui hæredis *l.* 1. *ff. de injuſt. rupt.* §. 1. *inſtit. tit. quib. mod. teſtam. infirm.* Atque id primùm accidit naſcivitate poſthumi, qui fuit in teſtamento præteritus. *l.* 1. & 3. *C. de poſt hered. inſt.* §. 1. *inſt. tit. de exhæred. liber.* Secundò quaſi agnatione ejus, qui cùm tempore facti teſtamenti non eſſet ſuus hæres, eo, quòd à patente præcederetur, eo mortuo fit ſuus hæres *l. poſthumorum* 13. *ff. de injuſt. rupt.* §. *poſthumorum inſtit. tit. de exhæred. liber.* Tertiò arrogatione, & ejuſmodi adoptione, quæ transfert patriam poteſtatem in adoptantem §. 1. *inſt. quib. mod. teſtam. infirm.* Etenim ſi hi fuiſſent ſui hæredes tempore facti teſtamenti, & in eo fuiſſent præteriti, teſtamentum ipſo jure nullum fuiſſet *princ. tit. inſtit. de exhæred. liber. l.* 1. *ff. de injuſt. rupt. l.* 3. §. *ult. l. ſi filius* 7. *l. inter cætera* 30. *ff. de liber. & poſt. l. ult.* C. *de liber. præter.* Quapropter ſi poſteà agnaſcantur, teſtamentum initio ritè factum rumpitur, quia devenit ad eum caſum, à quo incipere non potuiſſet.

24 Progrediamur jam ad explicandam alteram partem ſuperioris diſtinctionis. Si poſſit executioni mandari, & exitum habere, ad quem actus fuit inſtitutus, non retractatur. Exemplum eſt in *l. donationes* 31. *ff. de donat.* Donatio facta concubinæ non retractatur per ſubſequens matrimonium, quia hoc non impedit, quominùs donatio poſſit exitum habere, ut colligi poteſt ex iis, quæ ſuprà diximus ad hujus legis explicationem. Modò notandum eſt, quòd quando actus incidit in eum caſum, à quo incipere non poterat, quia eo caſu ex merâ legis diſpoſitione prohibetur: aut durat etiam ex poſt facto ratio prohibitionis, & tunc actus corrumpitur, ut in agnatione, vel quaſi agnatione ſui hæredis, ut paulò antè explicavimus: aut ceſſat ratio prohibitionis, ut in donatione facta concubinæ, ut in ſuperioribus oſtendimus, & tunc actus non retractatur; quia cùm actus ſit inutilis ratione prohibitionis, eâ ceſſante nulla ratio ſupereſt, cur non debeat ſuſtineri.

Alterum exemplum quidam deducunt ex §. *ex contrario inſtit. tit. de legat.* Legatum debiti conditionalis purè relictum valet, ſive dies & conditio venerit vivo teſtatore, ſive poſt diem legati cedentem *d.* §. *ex contrario verſ. etſi vivo & l. debitor* 82. *ff. de leg.* 2. quia hoc non impedit, quominùs legatarius poſſit conſequi, quod relictum eſt, cùm præter primævam actionem habeat etiam ex teſtamento, quàm ſi elegerit, legatum conſequi poterit. Sed de hoc ſuprà ſatis copioſè diſſeruimus. 25

Ut aliquando tandem apponamus coronidem tam longæ, totque difficultatibus implicatæ diſputationi; monendum eſt, ſuperioris regulæ non tam multas eſſe exceptiones, quàm plerique ſunt opinati. Nam in *l. pluribus* 140. §. 1. *ff. de V. O.* ubi duæ exceptiones proponuntur à Paulo, altera eſt de duobus hæredibus inſtitutis à ſtipulatore, quæ verè non eſt exceptio regulæ; nam in ſingulos hæredes ſervitus transfertur in ſolidum, ut ſuprà probavimus. Nihil autem impedit, quominùs ſervitus etiam ab initio duobus acquiratur in ſolidum in eodem fundo. *l.* 2. *ff. de ſervit. leg.* ſervitus ergo, quæ in ſolidum transfertur in duos hæredes, non incidit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet: neque enim dividitur in partes, quod fieri non poteſt. Quemadmodùm igitur duobus illis hæredibus 26

bus ab initio potuiſſet ſervitus obligari, ita & poteſt in eos obligatio jam contracta transferri. Paulus autem ideò inter exceptiones hoc hujuſmodi factum recenſuit, quia reſpexit ad perſonam ſtipulatoris, qui, cùm unus ſit, in duos transfert obligationem ſervitutis individuæ, quod alioquin juxta regulam noſtram fieri non poteſt *l. pro parte* 11. *ff. de ſervit. l. ſi ſub una* 136. *§. ult. ff. de V. O.* Altera autem exceptio Pauli eſt de ſervitute jam conſtitutâ, & acquiſitâ, ad quam propriè regula noſtra non pertinet, ut ſuprà diximus. Etenim quoties expleta eſt obligatio, hoc eſt, debitor fecit, aut dedit id, quod debebat, illicò exſtincta eſt, & ſublata *princ. tit. quib. mod. toll. oblig.* ſemel autem exſtincta, atque ſublata ampliùs exſtingui, & tolli non poteſt, quicumque caſus inciderit. Sed hoc pluribus ſuprà. Paulus igitur ibi regulam latiſſimè accepit. Idem dicendum eſt ad *l.* 3. *C. de interd. matrim.* nam & ibi agitur de matrimonio jam contracto, & conſummato, ex quo liberi etiam ſuſcepti erant.

27 Minùs opponitur regulæ noſtræ, quod traditur in *l. à filio* 25. *ff. de leg.* 1. & in *l. ſi à ſervo* 20. *ff de leg. Falc.* Nam ut ſuprà demonſtravimus, hujuſmodi factum pro regula eſt, non contra regulam. Statim enim ac legatum incidit in eum caſum, à quo incipere non potuiſſet; quod evenit, cùm aditur hæreditas, quia tunc incipit idem eſſe hæres, & legatarius; legatum exſtinguitur. Hoc igitur confirmat, non impugnat regulam.

CAPUT XXVII.

Ad L. ſi ita eſſet 7. ff. de aur. & arg. leg.

SUMMARIUM.

1 *Tempus facti teſtamenti inſpicitur circà rem in obligationem deductam. Exemplum in legato.*
2 *Verbum* eſt *præſens tempus demonſtrat.*
3 *Præcipuè ſi aliquid inſertum ſit, quod oſtendat, teſtatorem reſpexiſſe ad tempus præteritum.*
4 *Legatum mancipiorum, quæ ſunt intra ſeptem annos, continet ea, quæ hujus ætatis erant tempore facti teſtamenti.*
5 *Verbum præſentis temporis adjectum ſubſtantiæ legati, tempus conditi teſtamenti indicat, etſi aliquod aliud habeatur, quod ad futurum referri poſſit.*
6 *Tempus teſtamenti ſpectandum eſt, etſi res poſt teſtamentum conditum mutata fuerit.*
7 *Si quid in codicillis relinquatur, ſpectatur tempus, quo facti ſunt, non tempus confirmationis.*
8 *Regula ceſſat, ſi aliud tempus teſtator comprehenderit, tacitè vel expreſsè. & n. 9.*
9 *In legato rerum, quæ augmentum, & diminutionem recipiunt, tempus mortis attenditur.*
10 *In legato fundi continetur, quidquid fundo adjectum fuit, vel à teſtatore vel per alluvionem.*
11 *Alienatione partis rei legatæ minuitur legatum.*
12 *Alienatione rei principalis exſtinguitur legatum ipſius rei, & acceſſionum.*
13 *Pignus & hypotheca non pariunt effectum exſtinguendi legatum.*
14 *Res alienata ſi in priſtinum ſtatum reſtituatur, legatum reviviſcit.*

Expenditur l. ſi chorus. 79. §. ult. ff. de leg. 3.

1 HActenùs de tempore, quod ſpectandum eſt, cùm quæritur de validitate actus. Modò ſuccedit altera quæſtio, quòd tempus inſpici debeat, cùm quæritur de re in obligationem deductâ. Deciditur hujuſmodi quæſtio à Paulo in *l. ſi ita eſſet* 7. *ff. de aur. & arg. leg. Si ita eſſet legatum: veſtem meam, argentum meum damnas eſto dare: illud legatum videtur, quod teſtamenti tempore fuiſſet: quia præſens tempus ſemper intelligeretur, ſi aliud comprehenſum non eſſet. Nam cùm dicit veſtem meam, argentum meum, hâc demonſtratione* meum *præſens, non futurum tempus oſtendit. Idem eſt, etſi quis ita legaverit: ſervos meos.* Habemus hîc regulam, rationem, & exceptionem. Regula eſt, præſens tempus ſemper intelligi, hoc eſt, tempus facti teſtamenti. Hanc regulam confirmat Scævola in *l. medico ult. ff. eod. Medico ſuo contubernali, & communium expeditionum comiti inter cætera, ita legaverat: argentum viatorium meum dari volo: quæſitum eſt, cum paterfam. in diverſis temporibus Reip. causâ abfuerat, quod viatorium argentum hoc legato comprehenſum eſſe videtur. Reſpondi, quòd habuiſſet argentum viatorium eo tempore, cùm teſtamentum faciebat, deberi.* Ratio autem eſt, quia verbum illud *meum* præſens tempus demontrat: ut ait Paulus in modò laudatâ *l. ſi ita eſſet.*

Idem dicendum, etſi teſtator adjecerit à

verbum *eſt* vel eſſet, & ejuſmodi, nam & hæc ad præſens tempus, hoc eſt, conditi teſtamenti referuntur. Pomponius in *l. ſcribit* 34. §. 1. *ff. de aur. & arg. leg. Si maritus uxori, cùm haberet quinque pondo auri, legaſſet ita: aurum quodcumque uxoris cauſâ paratum eſſet, uti hæres uxori daret: etiamſi libra auri veniſſet, & mortis tempore ampliùs, quàm quatuor libræ non deprehenduntur, in totis quinque libris hæredem eſſe obligatum: quoniam articulus* eſt *præſentis temporis demonſtrationem in ſe continet.*

3 Atque id multò magis obtinet, cùm verbum aliquod præteriti temporis legato fuerit inſertum. In *l. Aurelius* §. *Titius Sejo ff. de liberat. leg. Titius Sejo debitori ſuo ita legavit: dono illi quicquid ſortis, & uſurarum nomine mihi debebat.* Si Sejus poſt teſtamentum factum aliam quoque pecuniam à Titio mutuatus eſt: hoc debitum legato non continetur: quia, ut ait ibi Scævola, cùm verba in præteritum tempus collata proponerentur, non eſt credendum, poſterius eſſe legatum. Idem confirmat in *l. ult. in princ. ff. eod.* Idem in *l. uxori* 33. §. 1. *ff. de leg.* 3. *Uxori ſuæ inter cætera ita legavit: uxori meæ quicquid vivus dedi donavi, uſibus ejus comparavi, concedi volo: quæro, an, quod poſt teſtamentum factum ei donatum eſt, id quoque conceſſum videatur. Reſpondi, verba, quæ proponerentur, nihil pro futuro tempore ſignificare.* Ex hâc lege deſumi poteſt regula, quæ paulò latiùs patet: hoc eſt, contineri legato ſolummodò ea, quæ erant tempore teſtamenti, niſi verba futurum tempus demonſtrent, aut quodammodò ſignificent.

4 Quamobrem in *l. uxorem* 41. §. *teſtamento* 4. *ff. de leg.* 3. Scævola proponit hujuſmodi legatum. *Publio Mevio dominulo meo ab hæredibus meis dari volo pueros quinque ex meis, dumtaxat intra annos ſeptem.* Quærit Scævola, cùm teſtator mortuus eſſet poſt complures annos, cujus ætatis mancipia debeantur: utrumne quæ facti teſtamenti tempore intra ſeptem annos fuerunt: an quæ mortis tempore intra eam ætatem inveniantur: reſpondit, eam videri ætatem deſignatam, quæ eſſet, cùm à teſtatore relinquerentur. Cùm enim ætati nullum verbum pro futuro tempore fuiſſet adjectum, ſicut ſpectatur tempus teſtamenti quoad ipſa mancipia, nec debentur, niſi ea, quæ fuerunt teſtatoris tempore facti teſtamenti, ita ſpectatur quoad ætatem mancipiorum, eaque debentur, quæ erant intra ſeptem annos tempore facti teſtamenti.

Imò etſi aliquod verbum, quod ad futurum tempus referri poſſit, adjiciatur, tamen ſi ſubſtantiæ legati verbum præſens adjectum fuerit, inſpicitur tempus conditi teſtamenti, ut in *l. ult.* §. 1. *ff. de leg.* 2. 5
Quidam, qui patrimonium cum fratre commune habebat, fidei filiorum commiſit; *propter res univerſas, quæ mihi cum fratre meo communes ſunt, quas æſtimationis conſtiterit eſſe univerſas duo millium aureorum, uti pro portione veſtrâ mille aureos à patruo veſtro accipiatis.* Reſpondit Scævola, licèt teſtator quinquennio, quo ſupervixit, abundè patrimonium auxerit, tamen æſtimationem, quæ mortis tempore fuit, eſſe præſtandam. Verba illa: *quas æſtimationis conſtiterit eſſe univerſas* commodè referri poſſent ad tempus mortis, ſed id impediunt verba illa: *communes ſunt*: nec verbum *univerſas* potis eſt ampliare legatum, quia refertur ad res, quæ eo tempore communes erant.

Idem eſt, etiamſi res legata mutata fuerit poſt teſtamentum conditum. 6
Singulare exemplum proponit Ulpianus in *l. ſi quis vinum* 9. §. *item ſi quis ff. de trit. vin. vel ol. legato*: Ibi. *Item ſi quis vinum, quod habuit, legavit: deindè hoc coacuit, licet poſteà in aceti locum tranſlatum ſit à patrefam. vino legato continebitur; quia id, quod teſtamenti facti tempore vinum fuit, demonſtratum eſt; & eſt hoc verum, niſi voluntas adverſetur.* Ejuſdemmodi eſt, quod traditur in *l. ult.* §. *ult. ff. de liberat. leg.* ubi in novum debitum tranſlato veteri debito, nihilominùs hoc legato continetur. Id tamen non eſt intelligendum de mutatione, quæ rem legatam transformat in aliam ſpeciem, hæc enim mutatio legatum exſtinguit. *L. lana* 88. *ff. de leg.* 3. niſi repugnet voluntas teſtatoris *l. ſervum* 44. §. *ſi pocula ff. de leg.* 1. Verum-

Digitized by Google

tamen ſi nova ſpecies redigi poſſit ad priorem materiam, nova ſpecies ex legato debebitur *d. l. lana* 88. *in fin.* Ratio redditur Paulo in *l. quæſitum* 78. §. *illud* 4. *ff. de leg.* 3.

7 Illud tamen monendum eſt, quòd ſicut teſtamenti tempus ſpectandum eſt, cùm legatum in teſtamento fuit relictum: ita ſpectandum eſt tempus codicillorum, ſi relictum fuerit in Codicillis. Quod adeò verum eſt, ut etiamſi codicilli fuerint teſtamento confirmati, tamen non tempus teſtamenti eos confirmantis, ſed codicillorum debeat obſervari. Traditum id ſingulariter in *l. quædam* 7. §. 1. *ff. de jure codicill.* Si ita in codicillis ſcriptum erit: *veſtem, quæ mea eſt* codicillorum tempus ſpectandum, non quo confirmantur. Item. *Si Titius vivus eſt, vel ſi tot annis eſt* codicillis legavit Sejo, tempus codicillorum, non, quo fit teſtamentum, ſpectandum. Reddit rationem J C. quia in his, quæ ſunt facti, non juris codicillorum tempus, non confirmationis attenditur: videnda *l. verbum erit* 123. *ff. de V. S.*

8 Hactenùs de regula; nunc de exceptione. Exceptionem hanc proponit J C. in noſtra *l. ſi ita eſſet* 7. *ff. de aur. & arg. leg. ſi aliud comprehenſum non eſſet.* Aliud comprehendit teſtator aliquandò expreſsè, aliquando etiam tacitè. Expreſsè, ut in *l. cùm pater* 77. §. *fidei tuæ* 12. *ff. de leg.* 2. in *l. penult. in princ. ff. de leg.* 3. in *l.* 1. *ff. de aur. & arg. leg. l. teſtamentum* 65. §. *prædiis ff. de leg.* 3. *l. ſcribit.* 34. §. *ult. ff. de aur. & arg. leg.*

9 Tacitè, pluribus modis. Primùm, ſi leget id, quod naturâ ſua diminutionem, & augmentum recipit, veluti, ſi peculium legetur *l. denique* 8. §. *ult. ff. de pecul. leg.* §. *ſi pecul.* 20. *inſt. tit. de legat.* peculium enim ſimile eſt homini, naſcitur, creſcit, decreſcit, moritur *l. peculium* 40. *ff. de pecul.* vel grex § *ſi grex* 18. *inſt. tit. de legat. l. grege legato* 21. *cum ſeq. ff. de leg.* 1.

10 Secundò, ſi legaverit fundum, eique poſteà partem aliquam adjecerit, atque conjunxerit, vel ex fundo legato detraxerit. Cùm enim fundi hominum deſtinatione conſtituantur, augeantur, minuantur, quoties teſtator fundum auget, videtur voluiſſe legatum augere, aut diminuere quoties aliquid fundo detrahit. *l. cùm fundus* 10. *ff. de leg.* 2. *l. quod in rerum* 24. §. *ſi quis poſt. cum* §. *ſeq. ff. de leg.* 1. Itaque debetur fundus, qualis eſt tempore mortis, ſicut evenit etiam in alluvione, & eluvione *d. l. quod in rerum* §. *ſi quis.*

Tertiò, ſi teſtator partem rei legatæ poſt 11 factum teſtamentum alienaverit, & legatum alienatione factâ minuerit, ut ſi legaverit ancillam cum ſuis natis, & poſteà ancillam alienaverit *l.* 3. *ff. de pecul. leg.* vel ſi legaverit ſervum cum vicariis, & poſteà ſervum alienaverit *l.* 4. *ff. eod.* §. *ſi quis ancillas* 17. *inſt. tit. de leg.* His enim caſibus ſoli nati, & ſoli vicarii legato continentur. Item, ſi quinque libras auri legaverit, & poſteà libram alienaverit, quatuor tantùm debebuntur *l. ſcribit* 34. §. 1. *in fin. ff. de aur. & arg. leg.* Verumtamen his caſibus ex poſt facto, & voluntate teſtatoris legatum minuitur, ab initio tamen ea continebat, quæ legata erant tempore conditi teſtamenti, hoc eſt, ancillas, & natos: ſervum, & vicarios: quinque libras auri. Quocircà ſi teſtator non alienaverit animo minuendi legati, debebitur id, quod legato continebatur tempore facti teſtamenti *d. l. ſcribit* §. 1. Ut autem dignoſcatur, utrum animo exſtinguendi aut minuendi legati alienaverit; an ſecùs; ea regula tradita eſt; ſi alienaverit urgente neceſſitate, non videtur animum habuiſſe adimendi, aut minuendi legati: ſi verò, libens volens nullâ neceſſitate adſtrictus alienaverit, legatum adimere voluiſſe præſumitur *d. l. ſcribit* §. 1. & *l. rem legatam* 18. *ff. de adim. leg.* Mutatam autem fuiſſe voluntatem teſtatoris, eumque alienaſſe animo adimendi vel minuendi legati, hæres probare debet *l. fideicommiſſa* 11. §. *ſi rem ff. de leg.* 3.

Verùm de hâc alienatione legatum minuente tria ſunt admonenda. Primum, quòd 12 ſi res principalis à teſtatore alienetur, non minuitur legatum, ſed exſtinguitur, & nec acceſſiones quidem debentur: veluti, ſi legaverit ſervum cum peculio: nam ſervo alienato, nec peculium quidem debetur *l.* 1.

Digitized by Google

& 2. *ff. de pecul. leg. d. §. ſi quis ancillas.*
Item, ſi legaverit fundum inſtructum, vel
fundum cum inſtrumento, nam fundo alie-
nato nec inſtrumentum debetur *d. §. ſi quis*
13 *ancillas in fin.* Alterum, quòd in hac cau-
ſa non comprehendimus inter alienationes,
pignus, & hypothecam: hæc enim non
exſtinguunt, nec minuunt legarum; quia
hæres rem legatam luere tenetur, & liberam
14 præſtare *l. 3. C. de legat.* Tertium, quòd re
in priſtinum ſtatum reſtitutâ reviviſcit lega-
tum: veluti, ſi area legata fuerit, & poſteà
domus inædificata, ac rurſùs domus cor-
ruerit, legatum areæ reviviſcit *l. ſi cho-
rus* 79. §. *area ff. de leg.* 3. quod tamen in-
telligendum eſt de teſtatore, qui non au-
gendi legati cauſâ inædificaverit, ſed mutatâ
voluntate. Nam ſi voluntatem non mutave-
rit, & area, & domus inædificata debebi-
tur, & legato continebitur *l. ſi area 39. ff.
de leg. 2. l. ſervum* 44. §. *ſi area ff. de leg.* 1.
quia ædificium ſolo cedit §. *cùm in ſuo inſt.
tit. de rer. div.* Idem reſpondit Celſus in
d. l. ſi chorus §. *ult. ff. de leg.* 3. de ſervo le-
gato, qui poſteà manumiſſus eſt, & rurſùs
ſervus factus eſt, eum enim peti poſſe reſ-
pondit. Sed Celſi ſententiam confutavit Pau-
lus in *l. qui res ſuas* 98. §. *ult. ff. de ſolut.*
Itaque neutro caſu eſt admittenda. Non in
ſervo, quia alius, ac novus ſervus eſt *d. l.
qui res.* § *ult.* Non in domo inædificatâ,
quia aut dominus mutavit voluntatem aut
non mutavit. Si non mutavit voluntatem,
legatum non exſtinguitur *d. l. ſervum* 44. §.
ſi area ff. de leg. 1. Si mutavit voluntatem,
& voluit adimere legatum, illud exſtingui-
tur, quia etiam nudâ ac taeitâ voluntate
legatum adimitur *l. ſi jure* 18. *ff. de leg.* 3.
l. 3. §. *ult. ff. de adim. leg.* Nee poteſt redin-
tegrari domo dirutâ, niſi aut teſtator ipſe
eam deſtruxiſſet, aut iterum mutaſſe volun-
tatem probetur. Nam legatum ſemel ademp-
tum non niſi novâ voluntate poteſt redin-
tegrari, quemadmodùm redintegratur le-
gatum, quod propter graves inimicitias fuit
exſtinctum, ſi teſtatorem pœnituit prioris
offenſæ *l. 3. §. ult. & l. ſeq. ff. de adim. leg.*
Hæc autem ſimilia non ſunt. Nam legatum,
quod propter inimicitias exſtinguitur, ſolâ
præſumptione revocatum cenſetur, cùm
legata relinquantur ob meritum *l. nec adje-
cit 9. ff. pro ſoc.* quæ præſumptio ceſſat,
cùm teſtatorem pœnitet prioris offenſæ, &
ideò hîc conſtat de mutatâ voluntate *d. l. 4.
in fin.* Contrà qui ædificat in area legata,
non præſumitur ædificare animo adimendi
legatum *d. l. ſervum* 44. Ae ſi probandum
eſt, eum ædificaſſe animo adimendi legati
d. l. multò magis probandum erit, eum
deſtruxiſſe animo ejus redintegrandi. Idque
probatu difficillimum erit. Quis enim tam
fatuus ſit, ut domum deſtruat ad legatum
redintegrandum, cùm id ipſum conſequi
poſſit nudâ voluntate? *d. l. 4. ff. de adim. leg.*
Quid ſi domus diruta fuerit ventorum, aut
aquarum vi, aut alio caſu ceciderit citra
teſtatoris voluntatem?

CAPUT XXVIII.

Ad l. hac conditio 10. ff. de con. & dem.

SUMMARIUM.

1 *Tria ſunt tempora, quibus exiſtere poteſt conditio adjecta legato vel inſtitutioni.*

2 *Conditio ante factum teſtamentum impleri non poteſt, ſæpius tamen pro impletâ habetur.*

3 *Quandonam ſufficiat, conditionem impletam eſſe ante factum teſtamentum: quando iterum impleri debeat? & n. 4.*

5 *Inter factum teſtamentum & mortem teſtatoris omnes conditiones impleri poſſunt præter illas, quæ ſunt in poteſtate hæredis vel legatarii.*

6 *Poſt mortem teſtatoris omnes & quæcumque conditiones impleri poſſunt.*

7 *Temporis ſpatio ad implendam conditionem à teſtatore præſcripto, illud ſpectandum eſt, eoque tranſacto fruſtrà impletur.*

8 *Lex temporis ſpatium non præſcribit ad implendas conditiones, (exceptis promiſcuis): & quandòcumque impleantur, diſpoſitio effectum habere debet.*

9 *Conditiones promiſcuæ, cùm primùm poterit, à legatario implendæ ſunt.*

10 *In hæredis inſtitutione tempus implendæ conditionis terminatur hæredis morte.*

11 *Conditionum promiſcuarum quædam deficiunt ultimo vitæ hæredis momento, quædam verò eo mortuo,*

Digitized by Google

1 Alia ſemper ex aliâ quæſtio ſuboritur. Non eſt huic loco importuna quæſtio de tempore implendæ conditionis. Tria enim ſunt tempora, quibus exiſtere poteſt conditio adjecta legatis, & inſtitutionibus. Tempus, quod præcedit teſtamentum. Tempus, quod teſtamentum ſubſequitur, & uſque ad mortem teſtatoris protenditur. Tempus denique, quod à morte teſtatoris uſque ad mortem legatarii, vel hæredis intercedit. Quod tempus ex his ſpectandum ſit, ut conditio rectè, & ſecundùm voluntatem teſtatoris impleatur, in diſceptationem cadit. Illud etiam in controverſiam venit, an infinitum tempus ad implendam conditionem ſit aſſignatum, an certis finibus concludatur. Duæ igitur hâc de re exiſtunt controverſiæ: altera de tempore: altera de ſpatio temporis. Primam primo loco pertractemus ſecundùm propoſitam diviſionem temporum, eo ordine ſervato, quem modò indicavimus.

2 Quantùm attinet ad tempus, quod præceſſit teſtamentum, utique ſtatuendum eſt, conditionem impleri non poſſe: ſæpè numero tamen ſufficere eam extitiſſe, quia pro impletâ habetur, ut ait Ulpian. in *l. hæc conditio* 10. *in fin. verſ. dicendum ff. de cond. & dem.* Etenim teſtator cùm condidit teſtamentum, aut ſciebat jam eveniſſe, quod poſuit in conditione, aut id ignorabat. Si ſciebat, præſumitur voluiſſe conditionem iterum impleri, ne dicamus eum fruſtrà ac temerè conditionem adjeciſſe; ac propterea non ſufficit, eam exſtitiſſe ante teſtamentum *l. ſi jam facta* 11. *in princ. ff. eod.* Si verò id ignorabat, pura eſt, non conditionalis diſpoſitio, & præſenti die debetur *d. l. ſi jam facta verſic. ſi verò.* Tunc enim adjectio teſtatoris aut contrahentium poteſtatem conditionis obtinet, cùm in futurum confertur *l. itaque* 39. *ff. de reb. cred.* Quocircà conditiones in præteritum, vel præſens tempus collatæ, non ſunt veræ conditiones, nec ſuſpendunt obligationem, etiamſi incertum ſit, an exſtiterint, necne *l. cùm ad præſens* 37. *cum ſeq. ff. de reb. cred. l. ſi ita ſtipulatus* 120. *in fin. ff. de V. O. §. conditiones* 6. *inſtit. eod.* Cùm igitur hæc conditio ignorante teſtatore jam exſtiterit, non facit diſpoſitionem conditionalem, aut ſaltem pro impletâ habetur, cùm non poſſit præſumi, teſtatorem voluiſſe eam iterum impleri, atque exiſtere, quoniam ignorabat eam exſtitiſſe: ſed potiùs præſumendum eſt, eum non fuiſſe adjecturum, ſi ſciviſſet, eam jam exſtitiſſe *d. l. conditiones* 10. *in fin.*

Verumtamen quia ſæpè numero accidit, 3 ut conditio ſit ejuſmodi, ut iterum impleri non poſſit, aut ut impleta ſit eo modo, quo voluit eam impleri teſtator, ſtatuenda eſt regula, quâ definiatur, quandonam ſufficiat eam exſtitiſſe ante factum teſtamentum; & quando exſpectandum ſit, ut iterum exiſtat. Regulam autem hujuſmodi conſtituimus. Quoties conditio exſtitit eo planè modo, quo eam voluit exiſtere teſtator, valet legatum, & inſtitutio, etiamſi exſtiterit ante teſtamentum. Id evenit, aut cùm conditio ampliùs exiſtere non poteſt, cùm nequeat iterari: aut cùm teſtator ignoravit eam jam exſtitiſſe. Exemplis rem explico. Teſtator Titio legavit, cùm pubes erit. Ad pubertatem facti teſtamenti tempore jam pervenerat. Hæc conditio iterum exiſtere non poteſt: & exſtitit eo modo, quo voluit teſtator: nihil enim aliud voluit, quàm ne conſequeretur legatum ante pubertatem: idcircò legatum ſtatim debetur, quia ipſum conſequitur poſt pubertatem, quemadmodùm voluit teſtator *l. hæc conditio* 10. *§. ult. verſ. etſi cui ff. de cond. & dem.* Rursùs teſtator legavit Gajo Sejo in honorem conſulatûs quadringenta. Vivo teſtatore Sejus conſul deſignatus eſt, & munus edidit, deindè ex calendis Januarii conſulatum ingreſſus eſt: poſteà teſtator deceſſit. Reſpondit Marcellus quadringenta Sejo deberi in *l. Publius Mævius* 36. *ff. eod.* Non diſtinguit hîc Marcellus ante, an poſt teſtamentum conſul fuerit deſignatus, quia etſi ante fuerit deſignatus, tamen quadringenta debentur. Sicut non diſtinguit Juſtinianus in *l. ſi quis* 6. *C. de inſtit. & ſubſt.* & comparat conditioni: *Si nupta fuerit.* Hæc enim conditio, licèt iterum impleri poſſit, tamen hoc difficile admodùm eſt, & raro evenie-

bat: itaque non poteſt præſumi, teſtatorem de ſecundo conſulatu cogitaſſe: ſed quadringenta ei reliquiſſe in honorem ejus conſulatus, quem poſtmodùm erat ingreſſurus: voluit enim honorare conſulatum & dignitatem, quam gerebat, vel poſtmodò geſturus erat: argumento *l. 4. cum duabus ſeqq. ff. de legib.* facit ad rem textus in *l. cùm hæres 4. §. 1. ff. de ſtatu lib.* Ibi: *quia nec animus dandæ libertatis eſt.*

4 Quòd ſi teſtator ignoravit conditionem exſtitiſſe: ſufficit eam exſtitiſſe etiam ante teſtamentum, niſi conditio ejuſmodi ſit, quæ poſita ſit in poteſtate legatarii, aut hæredis, qui eam implere debet. Finge, teſtator legavit centum, ſi navis ex Aſia venerit, quæ eo ignorante jam ex Aſia venerat: pro impletâ habetur conditio, & legatum, vel inſtitutio pura eſt. *l. hac conditio* 10. §. 1. *ff. de cond. & dem.* Item legavit mulieri centum, cum nupſerit: mulier jam nupta eſt. Si ſcivit hoc teſtator, alterum matrimonium erit exſpectandum: ac nihil intererit, utrum vivo teſtatore, an poſt mortem iterum nubat *l. ſi ita legatum 68. ff. de cond. & dem.* Sed hoc, ſiquidem teſtator ſcivit nuptias jam eſſe contractas. Cæterùm ſi id ignorabat, ſtatim legatum debebitur, quia de primis nuptiis conditio eſt intelligenda *l. boves 70. §. 1. ff. de V. S.* & ideò in *d. l. ſi ita legatum* J C. requirit, ut ſciverit nuptias eſſe contractas, aliter reſponſurus, ſi ignoraſſet. Quamvis enim hi actus iterari poſſint, & rursùs navis ex Aſia venire poſſit, & iterum nuptiæ contrahi, tamen credendum eſt, teſtatorem de primo adventu, & de primis nuptiis ſenſiſſe *d. l. boves.* quod præſumi non poteſt, cùm ſciebat eveniſſe id, quod poſuit in conditione. *l. ſi jam facta in princ. & l. ſolemus 19. ff. de cond. & dem.* tunc enim fruſtra conditionem illam adjiceret, quam ſciebat jam exſtitiſſe. *l. ſi quando 109. in princ. ff. de leg. 1. l. ſi per alium 5. §. docere ff. ne quis eum, qui in jus voc.*

5 Succedit jam tempus, quod intercedit inter factum teſtamentum, & mortem teſtatoris. Hoc tempore impleri poſſunt conditiones omnes exceptis tantummodò illis, quæ poſitæ ſunt in plena poteſtate ejus, qui lucrum exſpectat impleta conditione. Rectè Paulus in *l. ſi jam facta 11 §. 1. ff de cond. & dem.* diſtinguit inter conditiones promiſcuas & non promiſcuas. Promiſcuum dicitur, quod paſſim, & omnibus fieri poteſt, & communiter uſurpatur. Cicero *pro Fontejo. Unum eſt enim, & ſimplex aurium judicium, & promiſcuè, & communiter ſtultis, ac ſapientibus a natura datum.* Plin. *lib. 5. cap. 1. in fin. de populis Africæ, qui Canarii appellabantur. Quippè victum ejus animalis promiſcuum his eſſe.* Livius *lib. 1. eodemque jure promiſcuè omnibus datum eſt.* Cic. *in 2. Agrar. promiſcue toto, quam propriè parvâ frui parte malletis.* Itaque eleganter Paulus promiſcuas conditiones vocat, quæ pendent à noſtro arbitrio, & in noſtra poteſtate ſunt, & ab omnibus paſſim, & facilè poſſunt impleri. His igitur exceptis, aliæ omnes non promiſcuæ, quas interpretes noſtri dividunt in caſuales, & mixtas, impleri poſſunt & exiſtere etiam vivo teſtatore. Exempla proponuntur in conditione: Si navis ex Aſia venerit in *l. 2. in princ. ff. de cond. & dem.* Si Titius conſul factus fuerit: in *l. ſi jam facta 11. in fin. ff. eod.* in *l. ſi quis heredem 6. C. de inſtit. & ſubſt.* Si nupſerit *l. hac conditio 10. in princ. ff. eod. l. ſi ita legatum 68. ff. eod.* in honorem conſulatûs *l. Publius 36. ff. eod.*

Quoad poſtremum tempus, nempè poſt mortem teſtatoris, quæcumque conditio, cujuſque modi ſit, impleri poteſt: eâ exiſtente ſtatim debetur, quod in teſtamento relictum fuit. Illud ſingulare eſt in conditionibus, quæ ſunt in poteſtate, hoc eſt, in conditionibus promiſcuis, ut licèt non promiſcuæ, poſſint impleri etiam vivo teſtatore: hæ tamen omninò implendæ ſint poſt mortem *d. l ſi jam facta 11. §. 1. eod. & l. 2. ff. eod.* Imò non ſufficit, eas impleri poſt mortem, niſi impleantur à ſciente, conditionem inſertam fuiſſe, eoque animo ut pareatur voluntati teſtatoris: nam ſi fato, caſuque aut alio animo quis fecerit, quod poſitum erat in conditione, non videtur obtemperaſſe voluntati teſtatoris, adeòque nec impleviſſe conditionem *d. l. 2. ff. de cond.* 6

Digitized by Google

& dem. Quid ita ? quia cum teſtator onus implendæ conditionis imponit, non poteſt conſequi, quod ei relictum eſt, niſi voluntati teſtatoris obtemperet: nec obtemperat, qui non ſe conformat ad voluntatem teſtatoris: neque ſe ad ejus voluntatem conformat, qui caſu, & aliud agendo facit id, quod juſſit teſtator, ſine voluntate exequendi ejus juſſum. Finge: legatus eſt Titio fundus, ſi in Capitolium aſcenderit. Titius Capitolium aſcendit, vel pietatis ergo, vel ut amicum inviſat, ſine voluntate obtemperandi teſtatori, & aſcenſu illo legatum conſequendi. Finge iterum, Sejo legata eſt domus, ſi Sempronio decem dederit. Sejus decem dat Sempronio, ut liberetur ab obligatione, quia ei decem debet, non ut voluntatem teſtatoris exequatur, & domum conſequatur. Neuter obtemperat voluntati teſtatoris: neuter implet conditionem *d. l. 2. in fin. ff. de cond. & dem.*

7 Jam tandem de ſpatio temporis ad implendam conditionem præſcripto diſſeramus. Tempus implendæ conditioni præſcribit aut teſtator, aut lex. Si teſtator tempus præſcripſerit, illud ſpectandum, eoque tranſacto fruſtrà impletur conditio. *l. Thais 41. §. intra 12. ff. de fideicom. libert. l. ſi intra 23. ff. de ſtatulib.* Si intra quinquennium rationes reddiderit: ſi intra quinquennium decem dederit, liber eſto. Si poſt tranſactum quinquennium paratus ſit rationes reddere, vel decem dare, nihilominùs liber non erit *d. l. Thais* & *d. l. ſi intra.* Verumtamen ſi per eum non ſteterit, quominùs intrà quinquennium aut rationes redderet, aut decem daret, id ei non nocebit, quominùs libertatem conſequi poſſit poſt quinquennium implendo conditionem *d. l. Thais §. intra*: imò ſi hæres non patiatur, eum implere conditionem, liber erit perindè ac ſi conditioni paruiſſet *d. l. ſi intra §. 1. ff. de ſtatulib.* Quotieſcumque enim per hæredem ſtat, quominùs conditio impleatur, pro impleta habetur *l. ſi peculium 20. §. is cui ff. de ſtatulib.* In legato autem libertatis etiamſi per hæredem non ſteterit, ſed per alium; dummodò non ſteterit per ipſum ſervum, conditio ſemper pro impleta habetur *l. cum ita datur 94. in princ. ff. de cond. & demonſtr. l. ſi peculium 20. §. is cui verſic. adeo ff de ſtatulib. l. ult. C. de condit. inſert.* Multò ſecus eſt in aliis legatis: in his enim non ſufficit per eum, qui debebat implere conditionem, non ſtetiſſe, quominùs eam impleret, ut habeatur pro impleta. Tunc enim ſolummodò pro impleta habetur, cum aut per eum ſtetit, qui impleta conditione legatum debiturus erat *l. in jure 161. ff. de reg. jur.* repetita in *l. Julius 81. in fin. ff. de cond. & dem.* aut ſi ſteterit per eum, in cujus perſonam erat collata conditio *l. 3. & l. mulier 20. in princ. ff. de cond. inſtit. l. Titius 14. ff. de cond. & demonſt. l. 1. C. de inſtit. & ſubſt.* Si verò caſu fiat, ut implere non poſſit, pro impleta non habetur, ſed deficit conditio, ut in *l. in teſtamento 31. in princ. ff. de cond. & dem.* in *l. legatum C. de cond. inſert. l. cum ita datur 94. verſ. diverſa l. penult. §. item ſi ff. de cond. & dem. l. ſi peculium 20. §. is cui verſ. adeo ff. de ſtatulib.* etiamſi legatum fuerit ipſi ſervo manumiſſo *d. ſi peculium §. is cui.*

Lex ſpatium temporis ad implendam conditionem non præſcribit in omnibus conditionibus, ſed ſolùm in conditionibus promiſcuis. 8
In reliquis conditionibus nullum ſpatium temporis eſt præfinitum: ac proptereà quandocumque exſtiterit conditio, vim, & effectum habebit diſpoſitio: & quidem in contractibus, etiamſi exſtiterit poſt mortem creditoris, quia creditor moriens eam ſpem, quam habet, in hæredem tranſmittit. *§. ſub conditione 4. in fin. inſtit. de V. O.* aut poſt mortem debitoris, quia hæredem relinquit obligatum. *l. ſi quis 57. ff. de V. O.* In legatis autem tempus non protenditur, niſi uſque ad mortem legatarii: nam ſi legatarius ante eventum conditionis moriatur nihil ad hæredem ſuum tranſmittit, & legatum exſtinguitur morte legatarii *l. legata 41. ff. de cond. & dem. l. is cui 42. ff. de obl. & act. l. 4. & ſeq. ff. quand. di. leg. ced.* Cur autem nullum certum temporis ſpatium in hoc genere conditionis à lege præſcribatur, non eſt obſcurum. Etenim cum ille, qui

diſpoſuit, voluerit ab incerto caſu pendere diſpoſitionem, qui tardius, & ocius poteſt evenire: utique voluit obtinere diſpoſitionem ſuam, quandocumque id evenerit, quod poſuit in conditione. Eſt enim multò incertius, quando aliquid ſit eventurum, quam an ſit eventurum. Quamobrem ſi lex tempus huic conditioni præſtitueret, faceret coutrà voluntatem diſponentis, qui in caſum contulit diſpoſitionem, cujus & eventus, & tempus eſt incertum. Et quamvis in legatis conditionis eventus legatarii morte circumſcribatur: tamen id à lege fuit conſtitutum ut voluntati teſtatoris obſecundaret, qui cogitationem ſuam dirigit ad perſonam legatarii, non ejus hæredum; cum legatum relinquat ob meritum legatarii *l. nec adjecit 9. in fin. ff. pro ſoc.* non ejus hæredum, quos neque novit, neque ſcire poteſt, qui futuri ſint, & poſſunt eſſe etiam ejus inimici. Id autem ſecus eſt in contractibus, in quibus contrahentes & ſibi, & hæredibus ſuis conſulere voluiſſe cenſentur, cum in eorum arbitrio ſit hæredes quoſcumque voluerint eligere *l. tale pactum §. ult. ff. de pact. l. ſi pactum 9. ff. de probat.*

9 In conditionibus verò promiſcuis Lex tempus quidem præſtituit, non tamen in omni diſpoſitione, ſed ſolum in legatis. In his quoque non certum diem reſtrictè præfinivit, ſed ſtatuit, ut cum primùm poterit legatarius impleat conditionem *l. hæc conditio 29. ff. de cond. & dem. Hæc conditio ſi in Capitolium aſcenderit', ſic recipienda eſt, ſi cum primum potuerit Capitolium aſcendere.* Et hoc quidem ex voluntate teſtatoris, qui cenſetur voluiſſe, quam citiſſime, ſiquidem id potuerit fieri, ſuæ voluntati obtemperari, ne legatarius tergiverſando, & ſine cauſa procraſtinando videatur legatum parvipendere, & contemnere beneficium teſtatoris.

10 In hæredis inſtitutione contrarium eſt conſtitutum: nam tempus implendæ conditionis hæredis morte terminatur, & quamdiu vivit poteſt implere conditionem, quæ ſolummodò ejus morte deficit *l. 4. in fin. cum l. ſeq. ff. de hæred. inſtit. l. ult. ff. de cond. inſtit.* Atque hoc non ſolum in inſtitutione ſui hæredis obtinet, ut quidam exiſtimarunt, ſed etiam in extranei inſtitutione *l. ult. verſic. argumentoque eſt ff. de condit. inſtit.* Cum hæredibus enim lex multo benigniùs agit, quàm cum legatariis, quia hæreditas poteſt eſſe damnoſa, legatum non item *l. ſi hæreditatem 32. ff. mand. l. ult. C. de hered. act.* Verùmtamen ſi hæres conditionem trahat urgentibus creditoribus, tempus, quod à lege non præſcribitur, à Prætore præfinitur, intra quod, ſi conditionem non impleverit, hæreditas vacet, quaſi defectâ conditione *l. ſi quis inſtituatur 23. §. 1. ff. de hæred. inſtit.*

Illud in his conditionibus eſt animadvertendum, quod quædam deficiunt ultimo vi-
tæ momento, ſi à vivente hærede non fue- 11
rint impletæ, quædam deficiunt & mortuo.
Si conditio non poſſit impleri ultimo vitæ momento, veluti: *ſi Alexandriam ierit*, tunc deficit conditio: quia conſtat ampliùs impleri non poſſe, cùm non poſſit Alexandriam ire, qui agit animam. Secùs eſt ſi poſſit impleri, veluti: *ſi decem dederit.* Hæc enim conditio nomine hæredis per alium impleri poteſt etiam eo momento, quo hæres moritur: atque adeò deficit hærede mortuo. Quocirca ſi quis ita hæredem inſtituerit: ſi in Capitolium aſcenderit, hæres eſto; ſi non aſcenderit, fundum ei lego. Hæres ſi moriatur, antequàm in Capitolium aſcendat, legatum acquirit, & ad ſuum hæredem tranſmittit: quia conditio deficit eo vivente, & exiſtit conditio legati: quia ultimo vitæ momento conſtat, eum ampliùs aſcendere non poſſe: adeòque eo vivente ceſſit legati dies *l. 5. §. ſed ſi 2. l. hujuſmodi ff. quandi. leg. ced.* Item ſi filius hâc conditione fuerit inſtitutus, & conditionem non impleverit, ultimo vitæ momento fit hæres ab inteſtato, cùm defecerit conditio inſtitutionis, vel ſuccedit ſubſtitutus, ſi eum habeat. Contrà in aliâ ſpecie conditionis, cùm ea deficiat filio mortuo, filius neque ex teſtamento, neque ab inteſtato hæres eſt: non ex teſtamento, quia deficit conditio: non abinteſtato, quia cùm defertur hæreditas

ab-

Digitized by Google

ab inteſtato, jam mortuus eſt: itaque ad ſubſtitutum, vel cohæredem, vel ad agnatos defertur. Hæc in *l. ult. ff. de cond. inſtit.* in *l. filius ff. de lib. & poſth.*

CAPUT XXIX.

Ad L. filius 28. ff. de liberis & poſthumis.

SUMMARIUM.

1 *Filius ſub conditione caſuali inſtitutus, & ſub contrariâ exhæredatus, eâ pendente decedens, ab-inteſtato patri hæres exiſtit.*

2 *Sub eâ conditione inſtitutus, quæ ultimo ejus vitæ momento impleri poſſet, eâ pendente decedens, ab-inteſtato patri non ſuccedit.*

3 *Confutatur Bartholomæus Cheſ. interp. jur. lib. 2. cap. 9. Eodem momento, quo moritur teſtator, vel exiſtit conditio, defertur hæreditas & acquiritur filio.*

4 *Idem eſt in extraneis, licèt differat tempus acquiſitionis.*

5 *Explicatur L. talem 51. ff. de hær. inſtit.*

6 *Explicatur L. ſi Titius 16. ff. de cond. inſtit.*

7 *Explicatur textus noſter, & n. 8. 9. 10.*

8 *Conditio poteſtativa, quæ ultimo vitæ momento impleri poteſt, non deficit, niſi poſt mortem ejus, qui implere debet.*

9 *Conditio caſualis deficit moriente eo, in quem collata eſt diſpoſitio, & n. 10.*

11 *Exponitur L. ſi filius 16. ff. de lib. & poſth.*

1 PRoponit in hâc lege Tryphonius hujuſmodi ſpeciem. Pater filium, quem habebat in poteſtate, hæredem inſtituit ſub conditione, quæ non erat in ejus poteſtate, eumque ſub contrariâ conditione exhæredavit. Valet utique teſtamentum *l. jam dubitari* 86. *in princ. ff. de hæred. inſt. l.* 4. *C. de inſtit. & ſubſtit.* Filius deceſſit pendente conditione tam inſtitutionis, quàm exhæredationis: ait J C. quòd filius ab inteſtato patri ſucceſſit, cùm moreretur: quia dum vivit, neque ex teſtamento hæres, neque exhæredatus fuit. Rectè: præteritus enim videtur filius, quia eo vivente, nec exhæredatio valuit, nec inſtitutio. Non exhæredatio, quia conditio exhæredationis non exiſtit vivente filio. Nec poteſt filius poſt mortem ſuam exhæredari *l. ſi ita ſcriptum* 13. §. *ult. ff. de liber. & poſth.* Non inſtitutio: quia ſimiliter vivente filio non exſtitit conditio adjecta inſtitutioni: ac ſi ea defecerit, & inſtitutio & exhæredatio pariter corruit, cùm non poſſit valere exhæredatio non aditâ hæreditate ex teſtamento *l. filium quem* 20. *in princ. ff. de bonor. poſ. contr. tabulas.* Nec poteſt filius ante aditam hæreditatem exhæredari, vel poſt eam aditam *l.* 3. §. 2. *verſ. quemadmodùm* & *l.* 9. §. 2. *ff. de lib. & poſthum.*

Sed contrarium reſpondendum videbatur, 2
quia cùm conditio non ſit implenda ab ipſo filio, poteſt exiſtere ultimo vitæ momento: atqui quoties conditio ultimo vitæ momento impleri poteſt, filius non ſuccedit, quia poſt ejus mortem deſtituitur teſtamentum *l. ult. in fin. ff. de condit. inſtit. l. ſi ejuſmodi* 5. *in fin. ff. de hæred. inſtit.* ut in ſuperioribus expoſuimus luculentiſſimè.

Caſtrenſ. in *l. ſi filius* 16. *in fin. ff. de lib.* 3
& poſth. putat id fuiſſe conſtitutum favore filii, qui favor ceſſat in conditione poteſtativâ, quia culpæ filii adſcribi poteſt, quòd conditionem non impleverit. Eòdem videtur inclinare doctiſſimi Cujacii ſententia in *d. l. filius à patre ff. de liber. & poſthum.* Hunc immeritò ſuggillat Bartholom. Cheſius *lib.* 2. *interpr. cap.* 9. Caſtrenſem verò confutat, & jure quidem ac rectè: ipſe tamen non multò meliorem affert conciliationem. Nam quòd ait priùs exiſtere conditionem, & poſteà deferri hæreditatem: adeòque licèt conditio exiſtat ultimo vitæ momento, tamen eodem momento non defertur filio hæreditas, ſed momento conſequenti, ſcilicèt poſt mortem filii, hoc apertè falſum eſt. Etenim ſi hoc verè dici poſſet, non ſuccederet ab-inteſtato filius inſtitutus etiam ſub conditione, quæ non poteſt impleri ultimo vitæ momento, nam hæc quoque per mortem deficit *d. l. ult. ff. de cond. inſt.* Ibi: *reſpondit Servius conditionem morte defeciſſe.* Ergò ſi hæreditas eodem momento, quo deſtituitur teſtamentum, non deferretur, ſed momento ſubſequenti, vide-

Digitized by Google

liceat poſt mortem; non poſſet filius patris hæres eſſe: mortuo enim neque deferri, neque acquiri poteſt hæreditas. Igitur ſi id concedimus, & illud concedamus oportet, falſum eſſe, quod à Papiniano & Marcello traditum eſt in laudatâ *l. ult. & l. 5.* Apage verò. Illud etiam falſum erit, quòd in eos continuetur dominium: quòd ſtatim ipſo jure hæredes fiant: quemadmodùm traditum eſt in *l. in ſuis ff. de lib. & poſt.* in *l. in ſuis ff. de ſuis & legit.* Illud certo certius eſt, in unum idemque tempus concurrere mortem, ſeu conditionis eventum; delationem hæreditatis, & ejus acquiſitionem in ſuis hæredibus: eodemque momento hæc omnia perfici legis poteſtate.

4 Imò etiam in extraneis, licèt tempus acquiſitionis differat à tempore delationis, quia non acquirunt hæreditatem, niſi cùm eam adeunt §. *in extraneis inſt. tit. de hered. qual. & differ.* tamen tempus delationis non differt à tempore mortis, ſeu conditionis exiſtentis. Nam cùm omnis hæreditas, ſive ab-inteſtato, ſive ex teſtamento nobis à lege deferatur *l. lege obvenire* 130. *ff. de V. S.* Lex operatur in inſtanti, nec indiget ullo tempore ad operandum. Maximo eſt argumento, quòd ſi legetur alicui *cùm morietur*, moriens legatum acquirit, & ad hæredes tranſmittit *l. heres meus* 78. *ff. de cond. & demonſt. l.* 4. §. 1. *ff. qu. di. leg. ced.* Idemque conſtitutum eſt de hæreditate *l. extraneum C. de hered. inſtit.* Certè neque hæreditas hæredi defertur, neque legatum legatario niſi cùm morietur, hoc eſt, ultimo vitæ momento: eodem igitur momento ei & defertur legatum, & acquiritur. Imò etſi legatum ſit ſub conditione poteſtativâ, quæ exiſtat ultimo vitæ momento, defertur legatario legatum illo ipſo momento, eodemque cedit dies legati *l. ult. verſic. argumentoque eſt ff. de condit. inſtit.* Fiunt enim hæc omnia miniſterio legis, quæ momento perficit, quodcumque voluerit.

5 Neque contrarium probant duæ leges, quas affert vir doctus ac peracutus. In illis enim continetur conditio, quæ exiſtere non poteſt, quia circuitu in ſemetipſum recurrente implicat ipſa ſeſe, & errore planè inexplicabili ſemper in ſeipſam revolvitur, ideòque à noſtris perplexa dicitur, à Græcis autem ἀσύστατος. In *l. talem* §. 1. *in princ. ff. de her. inſt.* dixit teſtator: *Stichus liber eſto: & ſi liber erit, heres eſto.* Hæc conditio inexplicabilis eſt, &, niſi detrahatur, reddit inutilem inſtitutionem. Nam Stichus non poteſt eſſe liber, niſi priùs ſit hæres, quoniam dies libertatis cedit ab aditâ hæreditate *l. nam cùm libertas* 8. *ff. quan. di. leg. ced.* Nec poteſt eſſe hæres, niſi priùs ſit liber. Itaque & libertas hæreditatem, & hæreditas libertatem præcedere debet; quod eſt impoſſibile. Favore tamen libertatis Divus Marcus reſcripſit detrahendam conditionem, perindè ac ſi non eſſet adjectum; *ſi liber erit.* Poteſt autem retorqueri argumentum. Valet inſtitutio ejuſmodi: *Stichus liber & heres eſto*: *d. l. talem in princ. & in* §. 1. & paſſim alibi. Atqui non poteſt eſſe liber, niſi ſit hæres *d. l. nam cùm libertas* 8. *ff. qu. di. leg. cedat.* nec poteſt eſſe hæres, niſi ſit liber: utròque olim non valebat inſtitutio, ſi ſine libertate fuiſſet inſtitutus. Ulpian. *tit.* 22. §. 13. Juſtin. in §. 2. *inſt. tit. quib. ex cauſ. manum.* Quamobrem videretur dicendum, inutilem eſſe inſtitutionem: ſed non eſt inutilis, quia eodem momento, quo dominus moritur, & defertur ei hæreditas, & fit liber, & fit hæres, cùm ſit neceſſarius §. 1. *inſtit. tit. de hered. qual. & differ.* Idcircò autem in ſuperiori ſpecie non poterat eſſe ſimul hæres & liber, quia inſtitutio ſuſpendebatur conditione *ſi liber erit*, quæ conditio implenda erat: eâque non impletâ, hæres eſſe non poterat: at conditio impleri non poterat, quia non poteſt eſſe liber, niſi ſit hæres *d. l.* 8. *ff. qu. di. leg. ced.* Quamobrem neceſſarium fuit reſcriptum D. Marci, quo conditio detraheretur. Eâ autem detractâ illicò defertur ſervo hæreditas, eodemque momento acquirit & hæreditatem & libertatem.

Eadem planè ratio eſt *l. ſi Titius* 16. *ff. de* 6
cond. inſt. eaque traditur in eâdem lege, ibi: *cùm conditio exiſtere non poſſit.* Quod enim ſub conditione datum eſt, deberi non poteſt, niſi exiſtat conditio: & dum pendet

Digitized by Google

conditio, ad nos id pertinet *l. ſi ita ſcriptum* 45. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l. legata* 41. *ff. de cond. & demonſtr. l. multùm intereſt* 21. *ff. eod.* In *l. ſi Titius* 16. *ff. de cond. inſt.* proponitur hujuſmodi inſtitutio. *Si Titius hæres erit, Sejus hæres eſto: ſi Sejus hæres erit, Titius hæres eſto.* Uterque ſub conditione eſt inſtitutus, ſed neutra poteſt exiſtere, quia altera alteram implicat & impedit: ita, ut ſe expedire & explicare non poſſint. Etenim Titius non poteſt hæres eſſe, niſi cùm fuerit hæres Sejus: at Sejus hæres eſſe non poteſt, niſi cùm fuerit hæres Titius: neuter igitur hæres eſſe poteſt, ac neutri defertur hæreditas. Igitur quòd inſtitutio ſit inutilis, non eo fit, quòd non deferatur hæreditas eodem momento, quo impletur conditio: ſed quia neutri defertur hæreditas, ac ne deferri quidem poteſt, cùm conditio impleri numquàm poſſit: non quia ipſa per ſe ſit impoſſibilis, ſed quia futurum eſt, ut perpetuò pendeat, nec umquàm impleatur. Nam ut Sejus hæres fiat, exſpectare debet aditionem Titii. Titius autem adire non poteſt, quia debet exſpectare aditionem Seji, qui adire non poteſt *l. ſervus alienus* 3. §. *ſi quis ff. de hæred. inſt.* Illud hîc notandum, quòd licèt eventus conditionis præcedere debeat delationem hæreditatis vel legati, tamen prior non eſt tempore, quia eodem momento, quo exiſtit conditio, defertur hæreditas vel legatum. Præcedit igitur ſolummodò naturâ, ſeu cauſâ, quia non defertur hæreditas, niſi conditio exiſtat. Optimè Pomponius de hujuſmodi conditione ait in *l. hujuſmodi* 13. *ff. qu. di. leg. ced. quoniam cauſa, ex quâ debeatur, præcedere ſemper debet*: quæ lex ad probandam Cheſii ſententiam eſt multò accommodatior, quàm duæ ſuperiores, quas allegavit. Sed obſervandum, quòd præcedere debet ratione cauſæ, non ratione temporis. Rectè Cic. *de Fato. Omnia, quæ fiunt, cauſis fiunt antegreſſis.* Antegrediuntur autem ſæpenumerò etiam tempore: aliquando tamen ſolummodò tamquàm cauſæ. Quemadmodùm ſol præcedit lucem, ignis calorem, non quidem tempore, quia dato ſole atque igne ſtatim datur lux & calor: ſed præcedunt tamquàm cauſæ, ille lucis, hic caloris. Præcedunt naturâ, non tempore. Lex igitur ſuſpendit delationem hæreditatis, quamdiu pendet conditio: eâ autem exiſtente confeſtim defert hæreditatem: neque enim eget tempore ad peragendum, quod vult.

His expoſitis, ad explicandam noſtram 7
legem aggrediamur. Rectè reſpondit in eâ J C. quòd ſi filius deceſſerit pendente conditione tam inſtitutionis, quàm exhæredationis; dum vivit, neque ex teſtamento hæres, neque exhæredatus fuit. Pendente conditione, ut diximus, actus non perficitur, ſed manet in ſuſpenſo, nec ullum habet effectum. Itaque cùm mortuus ſit, utrâque conditione pendente, neque inſtitutio, neque exhæredatio habuit effectum: ea propter perindè eſt, ac ſi præteritus fuiſſet. Proindè cùm neque ipſi proficere inſtitutio, neque obeſſe potuerit exhæredatio, & utraque fuerit inutilis, inutile eſt etiam teſtamentum, in quo præteritus fuit *l. inter cætera* 30. *ff. de liber. & poſth.* quemadmodùm, ſi inſtitutus fuiſſet inutiliter *l. filius* 15. *ff. de condit. inſt.* At enim potuit exiſtere conditio inſtitutionis ultimo vitæ momento, quâ exiſtente valuiſſet teſtamentum, atque ex eo filius hæres fuiſſet. Potuiſſet quidem exiſtere: ſed verè neutra exſtitit conditio, adeòque fit irritum teſtamentum, in quo filius neque inſtitutus, neque exhæredatus reperitur *d. l. inter cætera ff. eod.* Hoc ampliùs animadvertendum, quòd in eâ l. proponitur filius ſolus hæres inſtitutus, ut apparet ex verbis ſubſequentibus *hærede autem &c.* quibus alia ſpecies proponitur filii, cui datus eſt cohæres. Filius autem ex aſſe inſtitutus neceſſariò hæres eſſe debet, ſive exiſtat, ſive non exiſtat conditio. Nam ſi exſtiterit conditio inſtitutionis, erit hæres ex teſtamento, ſi deficiat, atque adeò exiſtat conditio exhæredationis, erit hæres ab inteſtato: neque enim valere poteſt teſtamentum, deficiente inſtitutione *l. penult. verſ. non poteſt ff. de his, quæ in teſtam. del. non poteſt teſtamentum valere, quod hæredem non habet.* §. *ante hæredis* 34. *inſtit. tit. de legat. l. quod per manus* 10. *& l. ult. ff. de ju-*

Digitized by Google

re codicill. Nec valere poteſt ipſa exhæredatio, ſi hæres inſtitutus hæreditatem non adiverit. Quoties autem certum eſt, filium futurum hæredem, cùm moritur, fit hæres ab-inteſtato *l. filius 16. ff. de lib. & poſth. l. ventre præterito 84. in fin. ff. de acquir. vel omit. hæred.* quia iniquum eſt, eum hæredi ſuo relinquere nihil *d. l. ventre* 84.

8 At enim, inquiunt, quando conditio impleri poteſt ultimo vitæ momento, exſpectanda eſt mors filii: quamdiu enim vivit, non deficit conditio, cùm quolibet momento poſſit impleri. Quocircà non deficit, niſi per mortem, & nonniſi mortuo filio teſtamentum deſtituitur: proptereà filius neque poteſt eſſe hæres ex teſtamento, quod eſt deſtitutum deficiente conditione: neque ab-inteſtato, cùm teſtamentum fiat irritum, cùm filius non vivit *l. ult. in fin. ff. de cond. inſt. l. ſi ejuſmodi 5. in fin. ff. de hæred. inſt.* Ergò cùm hæc quoque conditio poſſit exiſtere ultimo vitæ momento, filius neque ex teſtamento hæres eſſe poteſt, neque ab-inteſtato.

9 Porrò hæc veriſſimè dicuntur de conditione, quæ eſt in poteſtate filii: de eâ, quæ pendet à caſu, non item. Valdè differunt inter ſe hæc duo genera conditionum. Sub conditione, quæ in ejus poteſtate eſt, filius rectè inſtituitur, quia à patre non excluditur ab hæreditate, imò pater in ejus arbitrio ponit, an velit hæres eſſe, eumque liberat ab eâ neceſſitate, quam ipſi lex impoſuit, ut velit, nolit, hæres eſſe debeat *§. ſui autem inſt. tit. de hæred. qual. & differ.* ſi paret conditioni, illicò fit hæres neceſſarius *l. 5. in princ. ff. de cond. & dem.* adeò, ut amittat etiam beneficium abſtinendi, quia ſpontè ſe ſubjecit oneribus hæreditariis, à quibus fuerat à patre liberatus adjectâ conditione *l. jam dubitari 86. in fin. ff. de hæred. inſt.* Et poteſt parere, etiamſi pupillus ſit, ſine tutoris auctoritate, eâ ratione, quam Paulus tradidit in *l. 5. ff. de cond. & dem.* Habet igitur filius plenum arbitrium, velit, an nolit hæres eſſe. Si vult hæres eſſe, impleat conditionem: ſi non vult, non impleat. Lex autem, ne reſtringeret hanc facultatem, ne diem quidem præfinivit filio conditionis implendæ: ſed totum vitæ tempus ei conceſſit. Pendet igitur hæreditas, quamdiu à filio poteſt impleri conditio: poteſt autem impleri toto vitæ tempore. Quocircà ſi ejuſmodi conditio ſit, ut etiam ultimo vitæ momento poſſit impleri, etiam ultimo vitæ momento pendet ſuſpenſa hæreditas: proindè nonniſi mortuo filio conſtat, eum hæredem eſſe noluiſſe: & tunc deſtituitur teſtamentum, ſi ſolus fuerit inſtitutus, nec ei datus cohæres, aut ſubſtitutus. Etenim ſi habeat cohæredem aut ſubſtitutum, ipſi ſuccedent, quia filius non parendo conditioni, non facit patrem inteſtatum *l. ſuus 4. in princ.* & in *§. ult. ff. de hæred. inſt. l. ult. in fin. ff. de cond. inſt.* Pater igitur adjectâ conditione, quæ eſt in filii poteſtate, neque ipſum excludit ab hæreditate, neque omnimodò vult eum hæredem eſſe, ſed tantummodò ſi filius ipſe voluerit: filius autem non implendo conditionem, apertè declarat ſe nolle hæredem eſſe.

Longè aliter ſe res habet, cùm pater filium ſolum hæredem inſtituit ſub conditione, quæ pendet à caſu, eumdemque ſub contrariâ conditione exhæredat. Neque enim ponit in arbitrio filii, velit, necne, hæres eſſe: ſed in caſum differt tam inſtitutionem, quàm exhæredationem. Licèt voluerit utramque à caſu pendere; voluit tamen, utrumvis eveniſſet, filium hæredem eſſe. Pendet igitur ab incerto eventu, non an filius futurus ſit hæres, ſed ſolùm utrùm ex teſtamento futurus ſit, an ab-inteſtato: omnimodò enim eſſe debet hæres, ut paulò antè oſtendimus. Iniquum igitur eſſet exſpectare eventum alterutrius conditionis poſt mortem filii, ut filius contra voluntatem patris excluderetur à ſucceſſione tam inteſtatâ, quàm teſtamentariâ, & nihil relinqueret hæredibus ſuis *l. ventre 84. in fin. ff. de acquir. hæred.* non ſolùm fraudare voluntatem patris, ſed etiam filii, qui, cùm non ſit in ejus poteſtate, conditionem implere, etiamſi maximè velit hæres eſſe, tamen hæres fieri non poteſt, cùm conditionis eventus à caſu pendeat, non autem ab ipſius voluntate. In ſuperiore 10

Digitized by Google

ſpecie omnia concurrunt, quibus efficitur ut filius ſit privandus hæreditate, ſi vivens non pareat conditioni. Voluntas teſtatoris; qui cùm adjecerit conditionem, quæ ultimo etiam vitæ momento, ſupremoque vitæ ſpiritu poteſt impleri, utique voluit totum vitæ tempus filio concedere ad implendam conditionem, eamque ſolùm deficere poſt mortem filii, cùm parere ampliùs conditioni non poteſt. Voluntas filii; qui cùm vivens parere conditioni neglexerit, facto ipſo declaravit ſe nolle hæredem eſſe. Diſpoſitio legis; quæ ſtatuit conditionem, quæ eſt in poteſtate, non antè deficere, quàm cùm non poteſt ampliùs impleri: quod evenit mortuo hærede, ſi noviſſimo vitæ tempore potuit impleri *l. ſuus* 4. §. *ult. & l. ſi ejuſmodi* 5. *ff. de hæred. inſt. l. ult. in fin. ff. de condit. inſt.* Hoc enim exigit natura ipſius conditionis, quæ cùm poſita ſit in poteſtate hæredis, non poteſt deficere, niſi cùm hæres, aut declaraverit ſe nolle eam implere, aut non potuerit implere. Ideò ſi facilis ſit conditio, & hæres malitioſè trahat conditionem, tempus ei à Prætore præfinitur *l. ſi quis* 23. §. 1. *ff. de hæred. inſtit.* quia ex naturâ conditionis, & ex legis diſpoſitione infinitum tempus habet ad parendum conditioni. Contrà in noſtrâ ſpecie omnia concurrunt, qui dicere debeamus, deficere conditionem filio moriente. Voluntas patris; qui voluit filium, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato ſuccedere, ut probavimus; non ſuccederet autem conditione poſt mortem deficiente vel exiſtente. Voluntas filii; qui præſumitur velle paternam hæreditatem ad ſe pertinere. Natura ipſa conditionis; quæ à caſu pendet, non à voluntate filii. Quâ de re illud etiam operæ pretium eſt animadvertere, quòd nec inſtitutio filii ſub conditione in caſum collata valet *l. Lucius Titius* 83. *ff. de cond. & dem. l. ſi pater* 4. *C. de inſtit. & ſubſt. l. ult. in princ. ff de cond. inſt.* nec exhæredatio ſub conditione fieri poteſt *l.* 3. §. 1. *ff. de liber. & poſth.* Item neque inſtitutio poſt mortem filii fieri poteſt, cùm ampliùs acquirere non poteſt hæreditatem; nec exhæredatio *l. ſi ita ſcriptum* 13. §. *ult. ff. de liber. & poſth. l. ſuus* 4. *ff. de hæred. inſtit.* His conſequens eſt, filium viventem neque inſtitutum, neque exhæredatum fuiſſe, & comparandum filio inſtituto ſub conditione, quæ ultimo vitæ momento impleri non poteſt. Nam in noſtrâ ſpecie utraque valet, quia reciprocantur invicem propter adjectionem conditionis; ſed eâ non exiſtente cùm filius vivit, ſequitur, eum dum vivit, neque ex teſtamento hæredem, neque exhæredatum fuiſſe, noſtrâ *l. filius* 28.

His, quæ hactenùs diximus, perſpicuè refellitur etiam argumentum, quod ducitur ex *l. ſi filius* 16. *de liber. & poſth.* nam & in ſpecie ibi propoſitâ ſolus filius erat inſtitutus, atque adeò certum erat, neminem ex eo teſtamento hæredem fore *d. l. in fin.* & ideò iniquum erat, filium ab hæreditate excludere *d. l. ventre* 84. contra voluntatem patris, qui eum hæredem inſtituit, & poſthumum vel errore, vel incogitantiâ prætериit: contra voluntatem filii, qui repellitur fortuitò, quia in ejus poteſtate non eſt efficere, ut naſcatur, vel non naſcatur poſthumus: utrumvis autem accidiſſet, hæres futurus erat. Itaque ei non obſtat, quòd potuerit naſci ultimo vitæ momento: quoniam ſi eo momento natus fuiſſet, ipſe patri fuiſſet hæres ab inteſtato, & eodem modo ei ſucceſſiſſet. 11

CAPUT XXX.

Ad L. qui duos 18. §. 1. ff. de man. teſt.

SUMMARIUM.

1 *Ultimum inſtant an computaretur in vitâ hominis, Philoſophi dubitabant.*
2 *Juriſconſulti illud vitæ tribuendum eſſe non dubitaverunt.*
3 *Expenditur L. ventre præterito 84. ff. de acquir. vel om. hær & n. 4. 5 6.*
7 *Bonorum p ſſeſſio per alium agnoſci poteſt.*
8 *Et ut acquiratur, opus eſt facto acquirere debentis.*
9 *Expenditur L. ult. ff. de cond. inſt.*

1 HÆc conditio: *cùm moriar, liber eſto*: vitæ tempus complectitur. Hæc eſt certa & conſtans veterum Juriſconſultorum ſententia. De hoc tamen ambigebant Philoſophi, quorum *alii moriendi verbum atque momentum, manente adhuc vitâ dici atque fieri putaverunt*; *alii nihil in eo tempore vitæ reliquerunt: totumque illud, quod mori dicitur, morti vindicaverunt.* Ita Gellius *lib. 6. c. 13.* Subdit autem: *ſed Plato noſter neque vitæ id tempus, neque morti dedit.* Prodicus quoque apud Platonem, ut in Axiocho refertur: mortem aïebat neque cum viventibus eſſe, neque cum mortuis. Non cum illis, aut circa illos, quia vivunt: non cum his, quia ampliùs non ſunt. Breviùs Cicero *in primâ Tuſculanâ*, quia ab hoc dialogo pleraque ſumpſit, quo facilè inducor, ut credam eum Platonis eſſe. *Cùm mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos; alteri nulli ſunt: alteros non attingit.* Fuſiùs Sext. Empiricus *Pyrrhon. Hypotheſ. lib. 3. cap. 14. Si mortuus eſt Socrates, aut cùm viveret, mortuus eſt: aut cùm mortuus eſſet. Cùm viveret, mortuus non eſt: is enim & vivus eſſet, & mortuus. Sed neque cùm mortuus eſt, mori potuit: quia bis mortuus eſſet. Sanè qui mortuus eſt, mori non poteſt.* Pluribus hæc proſequitur Sextus, ut rerum omnium ſcientiam evertat. Non abſimili ratione Zeno motum evertere conabatur. Quocircà apud Aulum Gellium in notis *lib. 6. cap. 13.* ſcitè Herophilus medicus ad curandum Diodorum, clarum in primis dialecticum ac Philoſophum, luxato humero ægrotantem ita carpſit: *Aut in quo erat loco humerus exiſtens excidit, aut in quo non erat: at neque in quo erat, neque in quo non erat: non ergò excidit.* Sed has verborum tendiculas, ceratinaſque & crocodilinas averſantur Juriſconſulti, & pingui Minervâ defunctorum voluntates interpretantur, ne per has exquiſitas ambiguitates, & acutas captiones illas evertant. Itaque in noſtrâ *l. qui duos §. 1.* Julianus etiam à ſuperiori regulâ recedit, ne ſubvertatur diſpoſitio teſtatoris. *Sed melius eſt*, inquit, *verba benigniùs interpretari, ut poſt mortem ſuam videatur teſtator ei libertatem reliquiſſe.* Contrà cùm multi impediendæ libertatis causâ, in tempus mortis ipſius ſervi ei libertatem darent, ſcripſit Julianus, libertatem nullius momenti eſſe, cùm impediendæ magis, quàm dandæ libertatis gratiâ tempus mortis adjiciatur. *l. ult. in princ. ff. eod.*

Enimverò ut in propoſitâ quæſtione dicam, quod ſentio. Si tempus mortis intelligamus eſſe individuum, illud inſtans, quod inter vitam & mortem intercedit, veriſſima mihi videtur ſententia Platonis id nec vitæ, nec morti tribuendum. At hoc verè tempus non eſt, quoniam quantùm non eſt, nec dividuum: ſed duo tempora vitæ, mortiſque jungit atque connectit. Si verò tempus extremum vitæ intelligamus, quo à vitâ diſcedimus, & anima à corpore ſeparatur (nihil enim eſt mors, niſi ſolutio & diſceſſus animæ à corpore, ut rectè definit Plato in Phædone) utique veriſſima eſt noſtrorum ſententia: tempus hoc vitæ dandum eſſe. Etenim qui aliundè diſcedit, ibi eſt, undè diſcedit: neque enim poſſet indè diſcedere, niſi eſſet ibi. Igitur cùm anima diſcedit à corpore, neceſſe eſt, ut ſit in corpore, à quo diſcedit ac ſeparatur. Viventes enim morimur, non mortui: neque enim mortuus poteſt mori, nec anima à corpore ſeparata poteſt ampliùs ab eo ſeparari. Quamobrem tùm rationi, tùm etiam veritati maximè conſentanea eſt opinio Juriſconſultorum, tempus extremum hominis vitæ tribuendum. 2

Hoc ſtabilito ac fixo, cujus effecta indicamus in ſuperiore, videamus, an umquàm aliter reſponderint veteres Juriſprudentes. Occurrit autem primò, quod ſcribit Papinianus in *l. ventre præterito 84. ff. de acquir. vel omit. hæred.* ubi proponit hujuſmodi quæſtionem. Pater ventre præterito filium hæredem inſtituit: filius pleno ventre deceſſit. Ait *iniquum eſſe filium decedentem hæredi ſuo relinquere nihil, & ideò decreto Prætoris ei ſuccurrendum.* Decreto ſuccurrit Prætor, cùm jus deficit *l. ſcriptus 12. ff. de Carbon. edicto l. & mulieri ff. de curat. furioſ.* Ergò filius 3

morienſ pleno ventre non ſuccedit patri : & tamen ultimo vitæ momento certum fit, patrem inteſtatum deceſſiſſe, adeóque ei delatam eſſe hæreditatem, & eodem momento eidem acquiſitam *l. ſi filius* 16. *ff. de liber. & poſthum.* quam in ſuperiore uberiùs expoſuimus. Ergò Papinianus non putavit extremum tempus vitæ filii tribuendum.

4 Confugiunt plerique ad primum caſum laudatæ *l. ſi filius*, & fingunt etiam in *l. ventre præterito* datum fuiſſe filio vel ſubſtitutum, vel cohæredem, à quibus teſtamentum ſuſtineatur, nec vivente adhuc filio deſtituatur, ut poſſit ab inteſtato ſuccedere. Mera mehercule divinatio. Mihi ſanè exploratum eſt, ibi à Papiniano propoſitam quæſtionem tractari de jure prætorio, non autem de jure civili. Ita prorsùs eſt, & multa ſunt, quæ mihi perſuadeant. 1. quia Papinianus proponit quæſtionem de filio emancipato, vel extero : Ibi : *ventre præterito, ſi filius, qui fuit emancipatus, vel exter hæres inſtitutus ſit* : atqui filius emancipatus, jure civili non ſuccedebat, ſed ſolùm jure prætorio per bonorum poſſeſſionem §. *emancipati inſt. tit. de hæred. quæ ab inteſt. l. ſed cum* 6. §. 1. *ff. de bonor. poſſeſ. l. liberi* 4. *ff. ſi tab. teſtam. null. extab. l. ult.* §. 1. *C. de legit. hæred.* 2. quia in fine legis perſpicuè declarat, ſe agere de ſucceſſione prætoriâ Ibi : *ideò decreto filio ſuccurrendum eſt.* Decreto autem à Prætore ſuccurritur, quoties deficit edictalis bonorum poſſeſſio, & filio non defertur ex edicto Prætoris ſucceſſio : urget tamen æquitas & naturalis ratio, quæ dictat eum auxilio Prætoris indignum non eſſe, ut in *l. illud* 4. §. *ult.* & in *l.* 5. *ff. de bon. poſſeſ. contra tab. l. ſi duobus* 14. §. *ult. ff. eod. l.* 7. *in princ. & in* § *ſi pupillus l. deceſſit* 8. *in princ. ff. de Carbon. edict.* Deficit hîc bonorum poſſeſſio edictalis, ut mox probavimus : & iniquum eſt, videlicèt contra Prætoriam æquitatem, filium privari beneficio Prætoris, quod omnibus elargitur. 3. quia cùm Papinianus nominat filium in poteſtate retentum, ut declaret, quantùm ab eo differat emancipatus, ait : *ſed ſi vacuo ventre mulier fuit, & incerto eo filius in familiâ retentus vitâ deceſſit, hæres fuiſſe intelligitur : emancipatus, aut exter non aliter poſſunt hæreditatem acquirere, quam ſi non eſſe prægnantem ſciant.* Rectiſſimè. Nam ſuus hæres fit hæres ipſo jure ſine ullo facto proprio, etiam ignorans ſtatim ac certum eſſe incipit, eum hæredem futurum, ſive poſthumus naſcatur, ſive non naſcatur. *l. ſi filius* 16. *in fin. ff. de lib. & poſthum. l. cùm quidam* 30. § *ſuum ff. de acquir. hæred. l. illud* 4. *ff. de petit. hæred.* ut in ſuperiore fuſiùs expoſuimus. Contrà emancipatus, aut exter : cùm non poſſint acquirere hæreditatem, niſi eam adeant, aut bonorum poſſeſſionem petant, & neutrum facere poſſint, niſi certum ſit, ſciantque mulierem non eſſe prægnantem, quia quamdiu rumpi poteſt teſtamentum, ex eo non defertur hæreditas, nec adiri poteſt *l. cùm quidam* 30. §. 1. *& §. ſive igitur ff. de acquir. vel omit. hæred. l.* 4. *in fin. ff. de bonor. poſſ. contra tab. l. qui uxorem* 15. *in fin. l. ſi ego* 19. *in fin. ff. de injuſt. rupt.* Tractatur igitur in hâc lege quæſtio principalis, ac præcipua de extero & emancipato ; cui decretum eſt neceſſarium *l.* 4. *in fin. ff. de bon. poſſeſ. contra tab.* Ibi ; *quod maximè neceſſarium in filio emancipato ſcripto hærede, qui nec hæreditatem interim adire poteſt.* non verò de filio in poteſtate, cui non eſt neceſſarium, qui de jure civili hæres fuiſſe intelligitur *d. l. ventre l. cùm quidam* 30. §. *ſuum ff. eod. illud ff. de petit. hæred.*

5 Atqui reclamat vir imprimis acutus & doctus, *Bartholomæus Cheſius lib.* 2. *interp. cap.* 9. qui animadvertit, quòd ſi ſuus ſuccederet civili, nulla eſſet neceſſitas iniquitatis illius emendandæ, quòd filius hæredi ſuo relinquat nihil.

Sed non obſervavit vir apprimè in legibus interpretandis eruditus, in hâc eâdem quæſtione iiſdem verbis uſum fuiſſe etiam Paulum in *l.* 4. *ff de bon. poſſ. contra tab. quia iniquum eſt, neque quaſi ſcriptum petere poſſe bonorum poſſeſſionem, quamdiu contra tabulas peti poteſt : neque contra tabulas, quamdiu non naſcitur præteritus ; ut & ſi antè moriatur, bonorum poſſeſſionis beneficium ad hæredem tranſmittat.* Fuſiùs explicat Paulus,

Digitized by Google

quod preſſiùs dixerat Papinianus. Nimirùm cùm Prætor ex æquitate bonorum poſſeſſionem introduxerit §. *quos autem in fin. inſt. tit. de bonorum poſſ. l. ſed cum patrono* 6. §. 1. *in fin. ff. eod.* & hoc beneficium omnibus largiatur, non ſolùm his, qui à jure civili vocantur ad hæreditatem, ſed etiam his, qui non vocantur §. 1. *&* 3. *inſt. eod. l.* 1. *ff. quis ordo in bon. poſſ. l.* 1. §. *ſed videndum* 11. *ff. de ſucceſ. edict.* iniquum eſſet, hoc beneficium liberis denegare, quorum prima ſemper cauſa ſucceſſionis eſt, tùm de jure civili, tùm de jure prætorio. Et cùm in propoſitâ quæſtione filio non competat ex edicto bonorum poſſeſſio, neque ſecundùm tabulas, quia ei non defertur ſucceſſio ex teſtamento, quod rumpi poteſt agnatione poſthumi: neque contra tabulas, quia eſt inſtitutus; inſtituto autem non datur contra tabulas, niſi alius committat edictum *l.* 3. §. *ſi quis ex liberis* 11. *ff. de bon. poſſ. contra tab. l.* 4. *ff. eod.* Prætor ex bono & æquo ei ſuccurrit, dando decretalem bonorum poſſeſſionem, quæ datur deficiente edictali, ut diximus ſuprà. Cùm enim filius, ſive ſuus, ſive emancipatus, futurus ſit hæres patri, tam ſi naſcatur, quàm ſi non naſcatur poſthumus *d. l. ventre præterito ff. de acquir. hæred. l. ſi filius* 16. *ff. de liber. & poſthum.* abhorret à Prætoris æquitate, eum privare ſuo beneficio, ut non tranſmittat ad hæredes ſuos ſucceſſionem prætoriam, quam omninò habiturus eſſet, ſi viveret. Et hoc eſt, quod iniquum dicitur tam in *d. l. ventre* 84. quàm in *d. l.* 4. Emendat igitur Prætor, decernendo bonorum poſſeſſionem filio vel emancipato, vel ſuo iniquitatem edicti, quod hunc caſum minimè comprehendit: non iniquitatem juris civilis. Quamquàm in emancipato, qui à jure civili excludebatur à ſucceſſione, corrigit etiam iniquitatem juris civilis §. *emancipati inſt. tit. de hæred. quæ ab inteſt. l. ſed cum patrono* 6. §. 1. *in fin. ff. de bonor. poſſeſ.* Propter emancipatum igitur præcipuè datur hæc bonorum poſſeſſio, cui eſt maximè neceſſaria *d. l.* 4. *in fin.* ſed quia Prætor omnes liberos eodem jure habet, tam ſuos, quàm emancipatos reſciſſâ capitis diminutione *d. l. ſed cum patrono* 6. *& d.* §. *emancipati in fin.* idcircò hoc beneficium etiam ſuo hæredi communicat maximè, quia eadem eſt in utroque ratio *d. l. ventre* 84. *in fin.*

6 Non tamen filio inſtituto dat bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, ſed contra tabulas, perindè ac ſi poſthumus jam natus eſſet: quo caſu ipſi bonorum poſſeſſio daretur contra tabulas, eaque commiſſo ſtatim edicto competeret etiam filio inſtituto, ſive poſthumus eam peteret, ſive omitteret. *l. nonnumquàm* 14. *& l. ſeq.* §. 1. *ff. de leg. præſt. l. ſi poſt mortem* 10. §. *ult. ff. de bon. poſſ. contr. tab.* Fingit autem Prætor potiùs natum fuiſſe poſthumum, quàm mortuum antequàm naſcatur, tùm quia hoc humanius eſt, atque ejus æquitati magis conſentaneum: tùm quia, qui in utero eſt, ferè ſemper pro jam nato habetur *l. penult. ff. de ſtat. hom. l. cùm quidam* 30. §. 1. *in fin. ff. de acquir. hæred. l. ſed etſi ad tempus* 20. *ff. ad SC. Trebell.* ubi de tranſmiſſione, de quâ hîc agimus.

7 Neque cuiquam ſcrupulum injiciat, quòd nec emancipato quidem neceſſaria videatur decretalis hæc bonorum poſſeſſio, cùm ei competere poſſit etiam edictalis contra id, quod ſtatuit Paulus in *d. l.* 4. Etenim bonorum poſſeſſio etiam ab alio agnoſci poteſt noſtro nomine *l.* 3. §. *acquirere ff. de bon. poſſ. l. bonorum* 7. *C. qui admitti:* ſecùs ac hæreditas *l. per procuratorem* 90. *ff. de acquir. hæred.* Poteſt igitur filius ultimo vitæ momento bonorum poſſeſſionem acquirere, argumento text. *in l. ſi ejuſmodi* 5. *ff. de hæred. inſtit.* in *l. ſi filius* 16. *ff. de lib. & poſth.* in *l. ult. ff. de cond. inſt.*

8 Porrò hunc ſcrupulum evellere tam eſt in proclivi, quàm imber, quando pluit. Bonorum poſſeſſio non acquiritur ipſo jure ignoranti & invito, quemadmodùm hæreditas, quia eſt à Prætore, non à lege §. *quos autem inſt. de bonor. poſſeſſ.* ideò peti, agnoſci, accipi debet à Prætore vel judice *l. ult. C. qui admitti.* Non agnitâ & acceptâ, non acquiritur ne quidem ſuis hæredibus, ut perſpicuè colligitur ex *l.* 1. §. *ibidem* 8. *ff.*

de

Digitized by Google

de collat. bonor. ex d. l. ventre 84. & ex *d. l.* 5. & probè errant, qui contrà ſentiunt. Nec ad rem facit, quòd ab alio peti atque agnoſci poſſit pro filio, cùm moritur: tùm quia non ſufficit eam agnoſci potuiſſe, ſi non fuerit agnita: tùm quia etiam ſi fuiſſet agnita, nihilominùs filio non fuiſſet acquiſita, quia eo tempore non potuit ratam habere, nec ſine ratihabitione potuit eam acquirere *d. l.* 3. *§. acquirere ff. de bon. poſſ.* Ad acquiſitionem igitur requiritur factum acquirentis, ideòque non poteſt filio acquiri poſtremo vitæ momento, ut clarè probant illæ ipſæ leges, quæ opponuntur.

9 Jam verò eò, undè diſceſſimus, regrediamur. Contra regulam initio propoſitam opponi poteſt ſolutio quæſtionis à Papiniano expoſitæ in *l. ult. ff. de condit. inſtit.* In fine ejus legis hæc Papiniani verba referuntur. *Neque enim filius videretur obſtetiſſe, poſt cujus mortem patris teſtamentum deſtituitur: quemadmodùm ſi exhæredato eodem filio, nepotes, cùm filius moreretur, fuiſſent inſtituti.* Ergo conditio illa, *cùm filius morietur*, exiſtit poſt mortem ipſius filii, adeò tempus mortis non vitæ tribuitur, ſed morti.

Quis hunc ſcopulum tutò ac ſine prolapſione prætervehet, cùm ipſe Cujacius coactus fuerit ipſum abſcindere, additis, mutatis, demptis quibuſdam verbis pro arbitrio contra fidem omnium codicum & manuſcriptorum? Quantùm attinet ad regulam, quam explicamus, ea omninò ſubvertitur verbis Papiniani, niſi detrahantur illa verba: *cùm filius moreretur*, quæ opportunè detrahit Cujacius. Nam ſi nepotes ſunt inſtituti, cùm filius morietur, & nihilominùs filius non obſtat nepotibus, & poſt mortem ejus deſtituitur teſtamentum, palàm eſt, conditionem illam, *cùm morietur*, ſignificare tempus poſt mortem. Verùmtamen in hâc ſententiâ non fuiſſe Papinianum, pro certo habeo: ſunt enim falſa omnia. Falſum, quòd verba referantur ad tempus poſt mortem, & conditio illa non exiſtat in vitâ filii, ut in ſuperioribus demonſtratum eſt oppidò luculenter. Falſum, quòd in propoſitâ ſpecie teſtamentum deſtituatur. Etenim vel exhæredatio illa pro purâ accipienda eſt: vel pro conditionali. Si pura eſt exhæredatio, nulla cauſa eſt cur hæredes inſtituti non debeant ad hæreditatem admitti, ac propterea teſtamentum non deſtituetur, niſi repudiaverint. Si conditionalis eſt exhæredatio, ea nullius eſt momenti, adeòque teſtamentum non valet ab initio, cùm filius in eo præteritus ſit *l. ſed ſi ſub conditione* 8. *ff. de bonor. poſſeſſ. contra tab. l.* 5. *§* 1. *ff. de liber. & poſth.* & in noſtrâ ſpecie ita reſpondit Julianus in *l. ſi ita ſcriptum* 13. *ff eod. in §. ultimo. Teſtamentum, quod hoc modo ſcribitur: Titius poſt mortem filii mei hæres eſto, filius exhæres eſto, nullius momenti eſt; quia filius poſt mortem ſuam exhæredatus eſt.* Ergo ſi hæredes in noſtrâ ſpecie ſunt inſtituti poſt mortem filii exhæredati, teſtamentum nullius eſt momenti. Quid ergò dicemus?

Ego, qui non facilè adducor, ut leges violem eas corrigendo & emendando, hâc in re à Cheſio minimè diſſentio: nec auſim negare, Papinianum hîc propoſuiſſe & comparaſſe caſum diſſimilem, atque contrarium docendi gratiâ, non autem ſimilem ſuæ opinionis confirmandæ causâ. Moveor, quia comparatio, quæ fit per particulas, *quemadmodùm, quomodo, ſicut*, ut ſæpiſſimè quidem copulet res ſimiles, ſæpè tamen diverſas atque contrarias, ut docet Valla *Elegantiar. lib.* 2. *cap.* 54. Cicer. *lib.* 1. *de invent. Similitudo autem in contrariis & paribus ſpectatur. In contrariis hoc modo &c.* & *lib.* 2. *poſteà comparare oportebit cum beneficio maleficium.* Comparationis, quæ fit ex contrariis, plura exempla vide in *Topic. non longè à fine.* Ibi: *ſpecie autem comparantur &c.* & in *Orat. pro Muran.* ubi Servium J C. Murænæ duci comparat ibi: *vigilas tu de nocte &c.* & in Verr. *lib.* 3. *ubi de frumento in exordio*, ubi Verrem Mummio comparat, & alibi paſſim. Quamobrem ambigua eſt oratio. Maximè verò cùm primum membrum comparationis habet negationem. Tunc enim ambiguum & incertum eſt, an negatio intelligi debeat in ſecundo membro repetita; an verò omiſſa. Planiùs id explica-

bo. Ait Papinianus *neque enim filius videtur obſtitiſſe: quemadmodùm, ſi exhæredato eodem filio &c.* Si repetitam intelligamus negationem, dicendum ita: quemadmodùm non videretur obſtitiſſe, ſi filio exhæredato &c. & hoc modo particula *quemadmodùm*, indicat caſum ſimilem. Si verò eam repetitam non intelligamus, ſed omiſſam, ſicut verè omiſſa eſt, indicabit caſum contrarium hoc modo: *neque enim filius videtur obſtitiſſe, quemadmodùm obſtaret, ſi eodem filio exhæredato &c.* Si ità dixerit: filius emancipatus non acquirit patris hæreditatem, quemadmodùm ſuus hæres, utique non affirmo eſſe ſimiles in acquirendo, ſed diſſimiles. Dixi paulò antè, bonorum poſſeſſio non acquiritur ſuo hæredi ignoranti & invito, quemadmodùm hæreditas: utique hoc volui ſignificare, hæreditatem ſuo hæredi acquiri ignoranti & invito: non autem id negare, ſicut in primo membro negavi de bonorum poſſeſſione. Finge Fabium Maximum, cùm ſuadebat Æmilio Paulo, ne pugnaret cum Annibale, ei dixiſſe: cave ne pugnes cum Annibale; quemadmodùm L. Flaminius ad Traſymenum. His verbis affirmaſſet; non negaſſet L. Flaminium ad Traſymenum pugnaſſe. Luc. in Evangel. *c.* 18. *verſ.* 11. *Non ſum ſicut cæteri homines raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Non negat hunc publicanum, cæteroſque homines eſſe raptores, injuſtos &c. quod de ſe negat, de illis affirmat. Cic. *de Amicit. Non ſicut vulgus, ſed ut eruditi ſolent appellare ſapientem.* Plaut. in *Moſtell. Non omnes poſſunt olere unguenta exotica, ſicut tu oles.* Cic. in *Topic. Non quemadmodùm, quod mulieri debes, rectè ipſi mulieri ſine tutore auctore ſolvas: ita quod pupilla, aut pupillo debeas, rectè poſſis eodem modo ſolvere.* Hæc oratorie: ſi autem docendi gratiâ breviùs iiſdem ferè verbis exprimere velis, ita efferre poſſis. *Non rectè pupilla, aut pupillo ſine tutore auctore ſolvas, quemadmodùm mulieri.* Eâdem formâ dicendi uſus eſt Papinianus in laudatâ *l. ult.*

FINIS LIBRI QUARTI.

JOSEPHI

JOSEPHI AVERANII,

Juriſconſulti & Anteceſſoris,

INTERPRETATIONUM JURIS, *LIBER QUINTUS.*

CAPUT PRIMUM.

Ad L. ubi eſt 12. ff. de reb. dub.

SUMMARIUM.

1 *In ambiguâ diſpoſitione id inveſtigandum, quid actum ſit inter contrahentes, quid teſtator ſenſerit.*

2 *Id aliquandò ex verbis dignoſcitur, aliquandò ex conjecturis.*

3 *Verborum ſignificatio maximè obſervanda. Exempla. & n. 4. 5. 6.*

7 *Legati dominium rectâ viâ in legatarium tranſit.*

8 *Conjectura & natura actûs quandòque demonſtrant, quid actum fuerit; & tunc prævalent verbis expreſſis. Exempla. & n. 9.*

10 *Explicantur L. ſi alienam 13. §. Marcellus. & L. Senatus 35. §. ergo ff. de mort. cauſ. donat.*

11 *Regula: quòd voluntas contrahentium & natura actûs ſpectanda ſit, prævalet alteri: quòd verba ſint interpretanda, ut actus valeat potiùs, quàm pereat.*

1 IN ambiguâ contrahentium, & teſtatoris oratione interpretandâ primum illud eſt inveſtigandum, quid actum ſit inter contrahentes: quid ſenſerit, quid voluerit teſtator. In ambiguo enim ſermone non utrumque dicimus, ſed dumtaxat id, quod volumus. *l.* 3. *ff. de reb. dub.* & ubi eſt verborum ambiguitas, valet quod actum eſt *l. ubi eſt* 21. *ff. eodem*. & potiùs id, quod actum, quàm quod dictum ſit, ſequendum. *l. ſed Celſus* 6. §. 1. *verſ. in emptis ff. de contr. empt. l. in lege* 29. *in fin.* Ibi: *potiùs id videri voluiſſe ff. locat. l.* 2. §. 1. *ff. de hæred. vel act. vend.* Ibi: *& veriùs eſt, hoc eſſe ſervandum, quod actum eſt. l. ult. ff. eod.* Paulus: *imò ſemper quæritur in eâ re, quid actum fuerit. l. dotis* 7. §. *ſi uſusfructus ff. de jur. dot.* Ibi: *intereſſe quid acti ſit. l. cum manu ſata* 80. §. 2. *ff. de contr. empt.* Ibi: *primum ſequendum eſſe, quod appareret actum eſſe. l. fiſtulas* 78. *ff. eod.* Ibi: *reſpondi apparere id actum eſſe* &c.

Quod actum eſt, aliquandò ex verbis 2
dignoſcitur, aliquandò ex conjecturis. Siquidem etiam conjecturis perſpicuè volun-

tatem contrahentium, necnon teſtatoris aſſequimur. *l. licèt Imperator 74. ff. de leg. 1.* Quantùm attinet ad verba, non debemus à propriâ ipſorum ſignificatione recedere, niſi conſtet aliud actum fuiſſe *l. non aliter 69. in princ. ff. de leg. 3.* Primùm de propriâ vi, & ſignificatione verborum diſſeramus.

3 In *l. dotis 7. §. ſi uſusfructus ff. de jur. dot.* in dotem datus erat uſusfructus: quærebatur, an fructus præſtandi eſſent, an ipſe uſusfructus: ſcilicèt jus utendi, fruendi. Ac ſi non apparet id actum fuiſſe, ut fructus præſtari deberent: jus ipſum in dote erit, non fructus, qui percipiuntur. Nomen enim uſusfructûs, non fructus, ſed jus utendi, fruendi ſignificat. *princ. tit. inſt. de uſufruct. l. 1. ff. eod.* Itaque qui fructus præſtandos eſſe contendit, & id actum fuiſſe inter contrahentes perſpicuè probare debet.

4 In *l. 2. §. 1. ff. de hered. vend.* Venditâ hæreditate, quæritur, quid veniiſſe videatur. Spectandum quidem eſt, quod actum eſt: ſed ſi non appareat aliud egiſſe contrahentes, id actum videtur, quod deſignat nomen hæreditatis, quod rerum univerſitatem demonſtrat. *l. hæreditas 62. ff. de Reg. jur. l. ſi hereditatem 32. ff. mand. l. bonorum 208. ff. de V. S.* Igitur veniiſſe videtur omne id, quod ex hæreditate pervenit in id tempus, quo venditio fit, *l. Rutilia Polla 69. ff. de contr. empt.* Ibi: *exiſtimo eatenùs lacum, quem emit Rutilia Polla, veniiſſe, quatenùs tunc fuit: & circa decem pedes, qui tunc fuerunt.*

5 In *l. ult. ff. de hered. vel act. vend.* eâdem prorſùs ratione venditor hæreditatis præſtare debet emptori, quod fundi hæreditarii nomine acquiſivit: nam & hoc in hæreditatis univerſitate continetur. Et licèt venditor fundum exceperit, tamen fundi nomen non complectitur etiam id, quod fundi cauſâ extrinſecùs obvenit: igitur hoc non pertinet ad venditorem, qui fundum dumtaxat excepit; ſed ad emptorem hæreditatis, quæ univerſa complectitur. Sed hæc, niſi appareat aliud actum fuiſſe *d. l. ult.* Cedit enim verborum propria ſignificatio voluntati contrahentium, eorumque conventioni; quæ dat legem contractui *l. 1. §. ſi convenit 6. ff. depoſ. l. in conventionalibus 53. ff. de V. O. l. contractus 23. ff. de Reg. jur. §. adeò 3. verſ. & ſiquidem inſtit. tit. de locat. & cond.*

In *l. qui uſumfructum 36. ff. de uſufr. &* 6
in l. Sempronius Attalus 26. ff. de uſufr. leg. duo proponuntur exempla elegantiſſima. In *l. 36. §. 1. Stipulatus ſum de Titio fundum Cornelianum, detracto uſufructu. Titius deceſſit. Quæſitum eſt, quid mihi heredem ejus præſtare oportet. Reſpondit referre, quâ mente uſusfructus exceptus ſit. Nam ſi quidem hoc actum eſt, ut in cujuſlibet perſona uſusfructus conſtitueretur, ſolam proprietatem heredem debiturum. Sin autem id actum ſit, ut promiſſori dumtaxat uſusfructus reciperetur, plenam proprietatem heredem ejus debiturum.* Alterum exemplum legati proponitur in *verſ. hoc ita ſe habere. ejuſd. l.* & de eo fuſius diſputatur in laudatâ *l. Sempronius Attalus.* Legatus eſt ab hærede fundus Cajo, deducto uſufructu. Antequàm Cajus agat (ſive purè, ſive in diem ei legatus fuerit fundus;) videlicèt antequàm uſusfructus à proprietate ſeparetur, & hæredi conſtitueretur, hæres deceſſit. Quæritur, an veniente die, & agente legatario, hæres hæredis fundum ipſum debeat, an nudam ejus proprietatem, detracto uſufructu ab hæredis hærede. Videbatur dicendum, plenam proprietatem eſſe præſtandam: ſtatim enim dies legati cedit, ſive purè, ſive in diem legatus fuerit fundus, & confeſtim pertinet ad legatarium: ſcilicèt nuda ejus proprietas *l. 5. §. 1. l. ſi dies 21. in princip. ff. qu. dies leg. ced.* & conſequenter uſusfructus ad hæredem pertinet: eoque mortuo extinguitur, & ad proprietatem revertitur *§ finitur inſt. tit. de uſufr. l. 3. §. ult. ff. quib. mod. uſufr. amitt. l. ſi domina 10. l. ambiguitatem 12. l. corruptionem 16. C. de uſufr.* atque adeò plenus fundus Cajo debetur. Verùm hæc argumentatio fallax eſt & imbecilla, & à Paulo reprobatur in laudatâ *l. Sempronius Attalus.* Etenim antequàm uſusfructus ſeparetur, & avellatur à proprietate, perire non poteſt, quia nondum eſt conſtitutus. Avellitur au-

Digitized by Google

tem à proprietate tunc, cùm proprietas Cajo præſtatur ab hærede; & tunc hæres incipit eſſe fructuarius fundi, Cajus autem ejuſdem fundi dominus. Anteà verò hæres quidem percipit fructus, ſed jure dominii, non jure ſervitutis: dominus eſt non fructuarius. Subdit tamen Paulus, quòd his caſibus de ſententiâ teſtatoris quærendum eſt: veriſimile autem eſt, teſtatorem ſenſiſſe de uſufructu, qui cohæret perſonæ hæredis; nec voluiſſe eum plus tranſmittere ad ſuum hæredem, quando nondum cœpit habere uſumfructum, quàm tranſmitteret, ſi habere cœpiſſet. Teſtator enim hæredi ſuo conſulere voluit, cui hæreditatem relinquit ob meritum *l. nec adjecit 9. ff. pro ſoc*, non autem ejus ſucceſſori incerto & ignoto. Idcircò Africanus in *d. l. 36. §. 1.* ait manifeſtiùs hoc in legatis, quàm in contractibus apparere, quia in his, *tam hæredibus noſtris, quàm nobiſmetipſis cavemus l. ſi pactum 9. in fin. ff. de probat.*

7 Sed his opponi poſſe arbitror, quòd legatum rectâ viâ tranſit à defuncto in legatarium, ſine ullo hæredis facto *l. legatum 80. ff. de leg. 2. l. à Titio 64. ff. de furt. l. 1. in fin. ff. de public. in rem act.* Quamobrem ſaltem in legatis puris ſtatim dominium transfertur in legatarium, & penès hæredem remanet uſusfructus: ac propterea etiam moriente hærede, antequàm legatarius petat legatum, finitur uſusfructus *d. § finitur & d. l. 1.*

Reſpondetur, quòd licèt miniſterio & auctoritate legis dominium rectâ viâ ad legatarium à defuncto tranſeat: tamen hæc tranſlatio ſuſpenditur, donec hæres adeat hæreditatem, & legatarius agnoſcat legatum. Nam ſi vel hæres repudiet hæreditatem, vel legatarius repudiet legatum, numquàm rei legatæ dominium in eum tranſlatum fuit. Si verò & hæres adierit hæreditatem, & legatarius agnoſcat legatum, videtur acquiſiviſſe dominium à die mortis teſtatoris. Argumento eſt, quod ait Papinianus in *l. legatum 80. ff. de leg. 2. Legatum ita dominium rei legatarii facit, ut hæreditas hæredis res ſingulas.* Sed hæres res hæreditarias non acquirit, niſi cùm adit hæreditatem: ita tamen, ut quandocumque adeat, jam tunc à morte defuncto ſucceſſiſſe intelligatur *l. hæres quandoque 54. ff. de acquir. hæred.* Idem igitur & in legato. Atque id multò magis in noſtrâ ſpecie, in quâ cùm legata ſit nuda rei proprietas, eaque ſeparanda ſit ab uſufructu, non poteſt hæc ſeparatio contingere ſine facto hæredis dominium legatario præſtantis, & uſumfructum ſibi retinentis *d. l. Sempronius.* Ibi: *ſed uſusfructus nondum eſt hæredis, niſi cùm dominium deducto uſufructu præſtiterit.* Debet enim legatarius ab hærede legatum petere & accipere *l. 1. §. & continet 2. ff. quod legat.* Jam verò ad rem.

Quid actum fuerit, aliquandò tam evidenter apparet ex conjecturis & naturâ actûs, ut hæc regula verbis etiam expreſſis præferatur, ſi ea poſſint quâcumque interpretatione conciliari. Exemplis id explico. Primum proponitur in *l. ex conducto 15. §. ſi uno 4. ff. locat.* Dominus fundi ob ſterilitatem remiſit colono penſionem unius anni, verbo donationis. Ait Ulpianus, quòd ſi ſequentibus annis contigerit ubertas, nihil obeſſe domino remiſſionem, ſed integram penſionem etiam ejus anni, quo remiſit, exigendam: *quaſi non ſit donatio, ſed tranſactio.* Verbum donationis detorquet ad tranſactionem Papinianus: tùm quia donatio non facilè admittitur, quia donare eſt perdere *l. filiusfam. 7. ff. de donat.* tùm quia donatio ex pactis adjectis in contractum innominatum, cujuſmodi eſt, transformatur, ut in *l. ult. C. de rer. permutation.* in *l. legem 9. & l. cùm res 22. C. de donat.* Hoc autem maximè dicendum in propoſitâ Lege, in quâ repugnat tùm natura, ſeu potiùs ſubſtantia donationis: tùm natura locationis, cui adjicitur. Subſtantia donationis: quia donari dicitur, quod nullo jure cogente conceditur *l. donari 82. ff. de reg. jur. l. donari 29. ff de donat.* remiſſio autem mercedis ob ſterilitatem jure cogente fit. *l. licet 8. C. de locato.* Non eſt igitur hæc propria donatio, ſed remiſſio pactæ mercedis, quæ degenerat in tranſactionem propter periculum futuræ litis, vel jam imminentis, petente remiſſionem conductore *l. in ſummâ*

65. §. 1. *ff. de condict. indeb.* Repugnat etiam natura conductionis: in eâ enim remiſſio mercedis ſemper habet adjunctam & implicitam conditionem tacitam; ſi remiſſio per ubertatem ſequentium annorum non compenſabitur *d. l. licet* 8. *C. de locato*, & noſtrâ *l.* 15. §. *ſi uno* 4. *ff. locati.* Eo fit, ut hujuſmodi remiſſio ſive fiat verbo remiſſionis, ſive verbo donationis, ſemper habeat implicitam eamdem conditionem: paciſci enim locator & conductor ſecundùm naturam conductionis intelliguntur, & abuti verbo donationis, quod huic donationi propriè non convenit. *l. in lege* 29. *ff. locat. l.* 4. *ff. de uſur.* Ibi: *quia non eſt veriſimile plus venditorem promiſiſſe, quàm judicio empti præſtare compelleretur.* Licèt igitur verbo donationis uſus fuerit, tamen veriſimile non eſt plus promiſiſſe, quàm conducti judicio præſtare compelleretur.

9 Alterum exemplum non minùs ſingulare ſuppeditat nobis Marcianus in *l. ubi ita donatur* 27. *ff. de mort. cauſ. donat. Ubi ita donatur mortis cauſâ, ut nullo caſu revocetur: cauſâ donandi magis eſt, quàm mortis cauſâ donatio; & ideò perindè haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio.* Pactum de non revocando, certò demonſtrat id actum inter contrahentes, ut donatio eſſet inter vivos. Nam de ſubſtantiâ donationis cauſâ mortis eſt, ut revocetur, ſi convaluerit donatarius: ſi donatorem pœnituerit: ſi donatario ſupervixerit §. 1. *inſt. tit. de donation. l. mortis* 16. *l. ſi mortis* 29. *cum ſeq. ff. de mort. cauſ. donat. l. non omnis* 19. *ff. de reb. cred.* Eſt enim omninò ſimilis legatis *d.* §. 1. *& l. ult. in fin. C. de don. cauſ. mort. l. Marcellus* 15. *l. illud* 37. *ff. eod.* legata autem uſque ad mortem revocari poſſunt, quòd eſt de naturâ ultimæ voluntatis *l.* 1. *C. de Sacroſ. Eccleſ. Ac nemo poteſt eam ſibi legem dicere, ut à priore ei recedere non liceat. l. ſi quis in principio* 22. *ff. de leg.* 3. quod tametſi de legatis dictum fuerit, ad donationes cauſâ mortis pertinet *l. Marcellus* 15. *ff. de don. cauſ. mortis l. ult. in fin. Cod. eod.* Et in hoc differt à donatione inter vivos §. 2. *inſt. de donat. l.* 1. *ff. eod.* Itaque cùm quis ita donat, ut nullo caſu revocet, perſpicuè oſtendit ſe donare inter vivos; *l. Senatus* 35. §. 2. *ff. de mort. cauſ. don.* Inſulſa profectò eſt quorumdam Pragmaticorum interpretatio, qui aïunt verba illa, *ut nullo caſu revocetur*, intelligenda, *rebus ſic ſtantibus*: videlicèt ſi permanebo in eâdem voluntate; ſi me non pœnituerit: adeòque ea verba non efficere donationem inter vivos. Verba illa, *nullo caſu*, falſam eſſe hujuſmodi ſententiam, evincunt; *nullo caſu*: ergo nec, ſi pœnituerit, pœnitentia eſt præcipuus caſus revocandæ donationis cauſâ mortis: & ex hoc maximè diſtinguitur à donatione inter vivos. Confer. *l.* 1. *princ. ff. de donat.* Ibi: *nec ullo caſu ad ſe reverti*: & infrà: *velit ad ſe reverti*, illis indicat donationem inter vivos: his donationem cauſâ mortis *l. Senatus* 35. §. *ſed mortis* 2. *l. Seja* 42. *in fin. verſ. bonis auferrentur* &c. *ff. de mort. cauſ. don.* Potiſſimè verò illud convincit donationem verè eſſe inter vivos, quòd inter virum & uxorem non valet: & quòd Falcidiâ non detrahitur, quæ detrahitur ex donatione cauſâ mortis *l. Seja* 42. *in fin. ff. de donat. cauſ. mortis l.* 2. *C. eod.* & valet inter conjuges *l. Fulcinius* 43. *ff. eod. l. ſi cùm uxori* 9. *in fin. cum ſeq. ff. de don. int. vir. & uxor.*

Nec obſtant *l. ſi alienam* 13. §. *Marcellus*, 1 *& l. Senatus* 35. §. *ergo ff. de don. cauſ. mort.* in quibus valet donatio, etiam ſi convenerit, ut nullo caſu ſit repetitio. Nam ibi duo caſus proponuntur, quibus convenire poteſt, ne revocetur donatio: ſi donator convaluerit: & ſi prior deceſſerit. Deindè ſubjicitur, quòd convenire etiam poteſt, ut nullo caſu ſit repetitio: hoc eſt, neutro caſu enumerato, ut explicatur illis verbis: *id eſt, ne ſi convaluerit quidem.* Suprà ſingulatim utrumque caſum propoſuerant: nunc utrumque conjungunt. Quòd ſi quis obſtinatè credat, verba illa generaliter eſſe intelligenda, nihil vetat dicere, quòd poteſt quidem etiam eo modo fieri donatio: ſed ea induit naturam donationis inter vivos, & perindè haberi debet, ac alia quævis donatio inter vivos *d. l. ubi ita* 27.

11 In quâ lege obſervandum, quòd regula propoſita præponitur alteri, quâ jubemus verba interpretari, ut actus valeat potiùs, quàm pereat *l. ubi eſt* 21. *in fin. ff. de reb. dub.* Nam in hâc *l.* etiamſi donatio ſit peritura, tamen dicimus eam eſſe donationem inter vivos *d. l.* 27. *in fine.*

CAPUT II.

Ad L. ſi ſervus plurium 50. *§. ult. ff. de leg.* 1.

SUMMARIUM.

1 *Ambigua diſpoſitio ad normam conſuetudinis patrisfamilias vel regionis interpretanda.*
2 *Deſtinatio patrisfamilias eſt, cùm ipſe rem aſſignavit ſpeciei, de quâ diſpoſuit.*
3 *Deſtinationem probant actus teſtatoris præcedentes teſtamentum.*
4 *Ex vicinis ſcripturis.*
5 *Ex ipſo teſtamento.*
6 *Deſtinatio facta in aliquâ ſcripturâ per tacitam repetitionem trahitur ad aliam, ſive ad aliam partem ejuſdem ſcripturæ. Exempla & n. 7.*
7 *Repetitio non datur de teſtamento ad teſtamentum.*
8 *Secùs eſt in codicillis.*
9 *Conditio inſtitutioni adjecta non ineſt ſubſtitutioni, niſi fuerit à teſtatore repetita.*
10 *Legata ab inſtituto relicta cenſentur repetita à ſubſtituto: ſed cum diſtinctione.*
11 *Subſtitutus vulgaris debet legata ſub iiſdem conditionibus, ſub quibus debet inſtitutus.*
12 *In ſubſtituto pupillari idem eſt, ſi pupillus hæres non fuit. Si hæres fuit, ea debet ex perſonâ pupilli, niſi teſtator ea repetierit.*
13 *Legatis à teſtatore repetitis, & repetitâ conditione, ſubſtitutus ad ea tenetur in eventum conditionis. Conditione non repetita expreſſè, tacitè repetita non præſumitur.*
14 *Ratio differentiæ, & n. 15.*

1 SI quid ambiguè ſcriptum fuerit, & ex ambiguo ſit controverſia, quid, quantumve ſcripto contineatur; tùm deficientibus conjecturis modò expoſitis ad normam conſuetudinis dirigenda eſt voluntatis interpretatio, *l. ſi ſervus plurium* 50. *§. ult. ff. de legat.* 1. *l. ſemper* 34. *ff. de R. J. l.* 3. *in fin. ff. de ſupell. leg. l. hæredes* 21. *§.* 1. *in fin. qui teſtam. fac. poſ. l. cùm de lanionis* 18. *§. item cacabos in fin. ff. de inſtr. vel inſtr. leg. l. ſi quis vinum* 9. *ff. de trit. vin. ol. leg.* Conſuetudo duplex eſt; patrisfamilias; & regionis. *d. l. ſi ſervus plurium in fin.* De conſuetudine patrisfam. primùm. Hæc in tres partes diſtribui poteſt: in deſtinationem patrisfamilias, conſuetudinem & uſum.

Deſtinatio patrisfam. eſt, cùm ipſe rem 2
aliquam animo deputavit, & aſſignavit alicui ſpeciei, quam poſteà legavit, aut deduxit in obligationem. Veluti ſi quis alicui legaverit Kalendarium, non ſolùm debentur, & legato continentur nomina debitorum, quæ Kalendario continentur: ſed etiam quæcumque pecuniæ, quæ à teſtatore fuerant Kalendario deſtinatæ *l. qui filium* 64. *ff. de leg.* 3. Si quis Sejana prædia, ſicuti comparata ſunt, legaverit; cùm eſſent Sabiniana quoque uno pretio comparata: non ſufficit hoc, ut Sabiniana quoque legato contineantur: ſed, ut ea Sejanis adſcripſerit & deputaverit, neceſſe eſt *l. prædiis* 91. *§. Titio ff. eod.* Simile exemplum in *l. Gajus Sejus* 86. *§. ult. ff. de leg.* 2. Idem in ſervis *l. ſervis urbanis* 99. *in princ. & §. muliones ff. de leg.* 3. in argento *l.* 3. *in fin. ff. de ſupell. leg.* in vino *l.* 1. *l. ſi quis* 9. *in princ. ff. de trit. vin. & ol. leg. l.* 2. *in fin. ff. de opt. vel elect. leg.* Videnda plura exempla in *l. quæſitum* 12. *§. ſi quis eodem* 14. *ff. de inſtr. vel inſtrum. l. cùm aurum* 19. *§. lectum* 8. *ff. de aur. & arg. leg. l. pediculis* 31. *§.* 1. *& §. quidam & §. Neratius ff. de aur. & arg. leg.*

Hanc deſtinationem maximè probant ac- 3
tus teſtatoris præcedentes ipſum teſtamentum, ut in exemplis modò propoſitis. Hos præfinit Papinianus in laudatâ *l. prædiis §. Titio ff. de leg.* 3. *Sed inſpiciendum, an litteris & rationibus appellatione Sejanorum Gabiniana quoque continerentur, & utriuſque poſſeſſionis confuſi reditus titulo Sejanorum accepto lati eſſent.* Paulus in *l. Gajus Sejus* 86. *in fin. ff. de leg.* 2. *Si teſtator fundum Sejanum uno nomine univerſum poſſedit: quamvis eumdem diviſis partibus locaverat, univerſum eum ex cauſâ fideicommiſſi præſtare oportere.* Idem Paulus in *l. ſervis urbanis* 99.

Digitized by Google

in princ. ff. de leg. 3. *Dicendum autem eſt, quòd urbani intelligendi ſunt, quos paterfam. inter urbanos adnumerare ſolitus ſit: quod maximè ex libellis familiæ, item ex cibariis deprehendi poterit.* Vide etiam §. 1. *ejuſd.* legis.

4 Probatur etiam deſtinatio ex vicinis ſcripturis *l. heredes palàm* 21. §. 1. *verſ. ſed ſi notam ff. qui teſtam. fac. poſſ. l. alimenta* 16. §. 1. *ff. de alim. leg.* Sed diſtinguendum eſt, utrum dubitetur, an aliquid legatum ſit, vel legato contineatur: an verò quid legatum ſit ex pluribus rebus ejuſdem nominis. Primo caſu non videtur ſufficere conjectura deducta ex vicinis ſcripturis, niſi aliquos actus adjunctos habeat, ut in *l. prædiis* 91. §. *balneas* & §. *ult. ff. de leg.* 3. Secundo caſu ſufficiunt ſolæ ſcripturæ, quia non agitur de inducendo legato, ſed declarandâ qualitate rei legatæ *d. l. heredes* 21. §. 1. & *l. ſi ſervus* 50. *in fin. ff. de leg.* 1. Verumtamen & hoc caſu, ſi obſtet aliqua conjectura ſuadens aliam fuiſſe mentem teſtatoris, dicemus ſecùs. Præit Papinianus in *l.* 1. *ff. de reb. dub.* Species ejus legis eſt. Cajus legavit Titio fundum Mævianum, aut Sejanum. Habebat autem fundum, qui Mævianus dicebatur: ſed eodem nomine in rationibus ſuis demonſtrabat etiam poſſeſſionem plurium prædiorum, quam pariter fundum Mævianum in iis nominabat. Dubitatum fuit, an Titius poſſet eligere univerſam hanc plurium prædiorum poſſeſſionem; an verò teneretur eligere fundum Mævianum, aut Sejanum, utrum ex his vellet. Reſpondit Papinianus: *non videri cætera prædia legato voluiſſe defunctum cedere, ſi fundi Sejani pretium, à fundi Mæviani pretio non magnâ pecuniâ diſtingueretur.* Comparatio nobis demonſtrat voluntatem legantis. Qui dat electionem, unam rem uni, parem pari comparat & confert; & in arbitrio legatarii ponit, utram alteri præponat. Itaque debet eſſe quædam æqualitas inter eligenda, propter quam teſtator ſit ambiguus, utrum malit, utrum præponat, ac præferat legatarius. Rectè Cicero in Topic. *aut ſimpliciter quæritur, aut comparatè. Simpliciter; expetenda ne ſit gloria: comparatè; præponenda ne ſit divitiis gloria.* Si Cajus ſimpliciter legaſſet *fundum Mævianum*, ex rationibus, in quibus nomine fundi Mæviani deſignabat univerſam poſſeſſionem, intelligeremus, de illâ ſenſiſſe. Sed cùm comparatè legaverit fundum Mævianum, eumque exæquaverit Sejano, apparet eum ſenſiſſe de illo fundo Mæviano, qui modicè differt à Sejano. Quamobrem ſi ejuſmodi ſit fundus ille, qui proprio nomine Mævianus appellatur, is legato continebitur: ſin ſecùs, univerſa prædiorum poſſeſſio. Id conſequens eſt collationi, & æquationi fundorum Mæviani, atque Sejani.

5 Demùm probatur ex ipſo teſtamento *l. qui non militabat* 78. §. 1. *verſ. quod veteres ff. de hered. inſt. l. ſi ſervus* 50. *in fin. ff. de leg.* 1. *l. cùm pater* 77. §. *cùm imperfecta* 22. *ff. de leg.* 2. *l. Titia* 134. §. 1. *ff. de V. O.* Non poteſt enim certiùs deprehendi voluntas teſtatoris, quàm ex illis, quæ ipſe diſpoſuit in eodem teſtamento: maximè ſi ambigatur, quid ambiguo ſermone, aut verbo voluerit comprehendere. Singulare exemplum habemus in *l. qui filiabus* 17. *in princ. ff. de leg.* 1. *qui filiabus legavit, ſi mentionem aliquâ parte teſtamenti poſthumæ fecit, videtur in filiarum legato, & de poſthumâ ſenſiſſe.* Quocircà in celebri quâdam cauſâ dicebam teſtatorem ſubſtituentem *filios & deſcendentes ab eis maſculos*, ſenſiſſe de maſculis ex maſculis, cùm in aliâ ſubſtitutione, quam iiſdem verbis conceperat, ea verba declaraſſet: *aut deſcendentes maſculos, & à maſculis.* Neque enim hâc in re valet commune Doctorum effatum: *cùm voluit, dixit; ergo, cùm non dixit, noluit.* Quoniam hîc agimus de interpretatione verbi, aut ſermonis ambigui, quem nemo rectiùs poteſt interpretari, quàm ille, qui dixit: *quia in ambiguo ſermone non utrumque dicimus: ſed id dumtaxat, quod volumus. l.* 3. *ff. de reb. dub.*

6 Hùc pertinet, quod in jure noſtro conſtitutum eſt, ut deſtinatio facta vel in aliâ ſcripturâ, vel in eâdem, per tacitam quamdam repetitionem trahatur ad aliam ſcripturam,

ram, vel ad aliam partem ejuſdem ſcripturæ, aliamque diſpoſitionem. Fit hoc in legibus: ejuſque exemplum habemus in lege Aquiliâ. Primo capite legis Aquiliæ ſancitum fuit, ut qui ſervum, vel quadrupedem occidiſſet, quanti plurimi res fuiſſet eo anno, tantùm domino daret. Tertio capite ejuſdem legis damnatur is, qui alio modo damnum dedit, quanti ea res fuit triginta diebus proximis, nec adjicitur *plurimi*. Nihilominùs repetitum tacitè cenſetur, & à primo capite tranſlatum in tertium. *l. quemadmodum* 29. *§. ult. ff. ad leg. Aquil. §. illud cum ſeq. inſt. eod.* Fit in contractibus *l. Titia* 134. *§.* 1. *ff. de V. O. l. triticum* 94. *ff. eod.*

7 In ultimis voluntatibus multò plura occurrunt exempla tùm in eodem teſtamento, tùm in pluribus. Ac primùm ſtatuendum eſt, quòd à teſtamento ad teſtamentum non datur repetitio, quia ſecundum teſtamentum priùs rumpit, adeòque teſtator nihil eorum, quæ in primo teſtamento ſcripta ſunt, valere vult *l.* 1. *l. cùm in ſecundo* 16. *ff. de injuſt. rupt. §. poſteriore inſt. tit quib. mod. teſtam. infir.* niſi in caſu propoſito in *§. ſed etſi quis* 3. *inſt. eod. & in l. ſi quis priore* 29. *ff. ad SC. Trebell. l. poſthumus §.* 1. *ff. de injuſt. rupt.* Idque ex clarâ, expreſſâque voluntate teſtatoris; non verò ex tacitâ, præſumptâque repetitione. Singulare eſt, quod Papinianus reſpondit in *l.* 3. *ff. de probat.* & Paulus in *l. Statius Florus* 48. *ff. de jure fiſci*, in quibus tacitum fideicommiſſum relictum in primo teſtamento tacitè repetitum cenſetur in ſecundo: & deſtinatio teſtatoris à primo teſtamento deducitur in ſecundum. Sed hoc ideò, quia cùm in ſecundo inſtituerit eumdem hæredem vel in eâdem, vel in majore parte, præſumitur id feciſſe ad occultandam fraudem, & fraudandum fiſcum: atque hæc præſumptio transfert onus probandi mutatam fuiſſe voluntatem in eum, qui convenitur à fiſco. Ampliùs obſervandum, quòd fideicommiſſum verè non fuerat relictum in primo teſtamento, ſed tacitè rogatus hæres, ut certas res reſtitueret incapaci, & ab eo exacta cautio, ut in *l. Statius.* Obligatio igitur reſtituendi non provenit à teſtamento, ſed à fide datâ ab hærede, qui ſecretum ſuſcepit: quam ſervare oportet, donec fuerit mutata voluntas. Teſtator autem non præſumitur mutaſſe voluntatem, cùm ipſum hæredem inſtituerit, cujus fidem elegerat, & fraudis participem fecerat *dd. ll* maximè quia voluntatis mutatio non præſumitur, niſi probetur *l. cùm qui* 22. *ff de probat. l. fideicommiſſa* 11. *§. ſi rem* 12. *ff de leg.* 3. Et licèt is, qui condit alterum teſtamentum, apertè demonſtrat ſe mutaſſe voluntatem: tamen hic non agitur de obligatione inducendâ vi teſtamenti, ſed occultæ & fraudulentæ conventionis, quæ quamvis non obliget hæredem fideicommiſſario; obligat tamen fiſco, ex S C. Plautiano.

Contrarium eſt dicendum de codicillis. In 8
his repetita cenſentur omnia, quæ in teſtamento diſpoſita ſunt, niſi expreſſim teſtator ab iis receſſerit. *l. alumnæ* 10. *§. qui filias* 3. *in fin. ff. de adim. leg.* Etenim neque teſtamentum derogat codicillis: ſi non appareat teſtatorem à voluntate, quam in codicillis expreſſerat, receſſiſſe *§.* 1. *inſt. tit. de codicill.* Neque codicilli vim habent tollendi teſtamentum *l. ſi idem* 7. *C. de codicill.* ſed jus ejus ſequuntur *l. ſi quis* 3. *§. ult. & l. ab inteſtato* 16. *in fin. ff. de jur. codicill* & pars ejus eſſe cenſentur *l. quidam referunt* 14. *in princ. verſ. nimirùm autem ff. eod. l. penult. ff. teſtam. quem. aperian.* Quamobrem & dilatio ſolvendi legata hæredi data in teſtamento, ad codicillos producitur *l. talis ſcriptura* 30. *§. ult. cum ſeq. ff de legat.* 1. & conditio adjecta legato in teſtamento, in codicillis repetita cenſetur. *l. avia* 77. *in princ. ff. de cond. & dem.* & onera cæteræque qualitates ſimiliter *l. alumnæ* 10. *§. qui filias ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* etiamſi legatum in alium fuerit tranſlatum *l. Cajo in princ. ff. de alim. vel cibar. leg.* Idem conſtitutum eſt in pluribus codicillis: nam codicilli non derogant codicillis, ſed omnes ſimul ſubſiſtunt, itidemque omnia, quæ in iis diſponuntur, niſi contrariam voluntatem contineant *l. cùm proponatis* 3. *C. de codic.*

9 His generatim expoſitis ad ſingulas ſpecies explicandas aggrediamur. Ac primùm de inſtitutione & ſubſtitutione. Quod ad conditionem attinet, certum eſt, eam, quæ adjecta eſt inſtitutioni, non ineſſe ſubſtitutioni, niſi fuerit in ſubſtitutione à teſtatore repetita *l. ſi re ſolùm 27. in princ. & l. ſub conditione 73. ff. de hæred. inſt.* Teſtator enim, qui ſubſtituit hæredi inſtituto ſub conditione, vult ſubſtitutum hæredem eſſe in caſum deficientis conditionis. Fit enim in eum caſum, quo inſtitutus hæres non ſit *l. poteſt 36. in princ. ff. de vulgar. princ. tit. inſt. eod.* non eſt autem hæres deficiente conditione. Communiter tamen exiſtimant DD. conditionem poteſtativam in ſubſtitutione cenſeri repetitam. Ego contrà ſentio. Enimverò ſubſtitutus tenetur implere voluntatem teſtatoris, & dare vel facere, quod juſſit teſtator apponendo conditionem inſtituto: ſed non ratione repetitæ conditionis: verùm lucri percepti, quod ſequitur onus, & gravamen ipſi annexum *l. unic. §. pro ſecundo C. de caduc. toll.* Hoc tamen ſolummodò locum habet in obſcurâ voluntate teſtatoris; non verò cùm conjecturæ contrarium ſuadent: de quibus latè Ulpianus in *l. licèt Imperator 74. ff. de legat.* 1. Illud eſt dignum animadverſione, quòd conditio adjecta fideicommiſſo univerſali, repetita cenſetur in ſubſtitutione ejuſdem perſonæ. *l. Latinus Largus 83. ff. de leg* 2. & ratio eſt, quia cùm teſtator eidem perſonæ reliquerit eamdem hæreditatem tùm per fideicommiſſum, tùm etiam per ſubſtitutionem, præſumitur in eumdem caſum reliquiſſe.

10 Quoad legata, certum eſt ea repetita cenſeri in ſubſtitutione. Sed ita diſtinguendum eſt. In pupillari ſubſtitutione nulla eſt repetitio legati, nam ſi pupillus hæres extiterit, ipſe legatum debet; & ſi non ſolverit, debebit ſubſtitutus ex perſonâ pupilli tamquàm ejus hæres; non verò in vim tacitæ repetitionis: nam etſi expreſſè legatum fuerit à teſtatore repetitum, tamen nulla eſt repetitio, quia voluntas defuncti eſt, ut ſemel tantùm debeatur. *l. ſervo alieno 113. §. ſed ſi pater ff. de leg.* 1. Quòd ſi pupillus non fuerit hæres, ſuccedet ſubſtitutus ex vulgari, non ex pupillari *l. jam hoc jure ff. de vulg. & pupill.* In vulgari ſubſtitutione, etſi olim legata non viderentur repetita; tamen ex reſcripto Severi & Antonini tacitè ſemper à teſtatore repetita præſumuntur. *l. licèt Imperator 74. ff. de leg.* 1. *l. ſi Titio & Mævio 61. in fin. ff. de leg.* 2. *l. non juſtam 4. ad S.C. Trebell.* Item ſi non adeat hæres legato, vel fideicommiſſo gravatus, & portio ejus accreſcat cohæredi; ipſe tenetur *d. l. ſi Titio.* Reſcriptum tamen Imperatorum locum habet, ſi obſcura ſit voluntas teſtatoris; non verò ſi aliam ejus voluntatem fuiſſe ſuadeant conjecturæ, de quibus in *d. l. licet Imperator*: in quâ obſervandum eſt, evidentem dici voluntatem, etiam quæ conjecturis probatur. Porrò illud eſt omninò ſingulare, quod decrevit Imperator, ut inſtitutio facta in primo teſtamento quaſi repetita cenſeretur in ſecundo propter errorem teſtantis; & ſimul legata ſecundæ inſtitutionis repeterentur in primâ: ut refert Paulus in *l. ult. ff. de hæred. inſt.*

Ex his conſtat, quid ſtatuendum ſit in câ 11 quæſtione: an legata debeantur à ſubſtituto ſub iiſdem conditionibus, quibus deberentur ab inſtituto. Communem diſtinctionem tacitæ & expreſſæ repetitionis haudquaquàm probo. Verior eſt diſtinctio inter vulgarem & pupillarem ſubſtitutionem, quam modò expoſui. Subſtitutus vulgaris debet legatum ſub eâdem conditione, ſive tacitè, ſive expreſſè fuerit repetitum. De tacitâ repetitione Papinianus in *l. cùm pater 77. §. ab inſtituto 15. ff. de legat.* 2. de expreſſâ Marcellus in *l. ult. ff. de fideicom. libert.* Ibi: *ſi alterius generis conditio eſſet, expectanda eſſet.* Excipiendum tamen eſt legatum, quod per repetitionem conditionis inutile redderetur *d. l. ult. in fin.*

In ſubſtitutione pupillari ita diſtinguendum eſt. Aut pupillus patris hæres fuit: aut non. Si hæres non fuit, ſubſtitutus hæres erit; verùm non ex pupillari ſubſtitutione, ſed ex tacitâ vulgari, contenta in expreſſâ pupillari: ac propterea tamquàm vulgaris ſubſtitutus debebit legata, quemadmodùm 12

Digitized by Google

modò diximus de vulgari ſubſtituto. Si hæres fuit, ipſe pupillus legatis adſtringitur: & ſi moriatur ante pubertatem, ſuccedit in obligatione legatorum pupillaris ſubſtitutus; ſed ea debet non ex ſuâ perſonâ, ſed ex perſonâ pupilli, qui acquirendo hæreditatem illis ſe obligaverat. *l. legato 65. ff. de cond. & demonſtr.* Subſtitutus enim hæres eſt ipſius pupilli *princip. tit. inſt. de pupil. ſubſt. verſ. quo caſu*, neque enim ſubſtitutus eſt in bonis teſtatoris, ſed impuberis *l. ſed ſi plures* 10. §. *ad ſubſtitutos ff. de vulg. & pub.* in quibus continentur etiam bona patris, cujus hæres fuit impubes; ſed ea juncta ſunt bonis impuberis, ita ut ab iis ſeparari non poſſint *d. l. ſed ſi plures §. filio & l. patri 59. ff. de acquir. hæred.* Atque hæc ſi pater legata non repetierit.

13 Quòd ſi legata repetierit, aut repetiit etiam conditionem: aut repetiit ſolummodò legatum non repetitâ conditione. Primo caſu ſubſtitutus utique non tenetur niſi in eventum conditionis: imò ſi conditio reddat inutile legatum, nihil debebit, ut in *l. ſi quis à filio 32. in princ. ff. de leg. 1.* Secundo verò, cùm non eſt expreſſè repetita conditio, ea tacitè repetita non præſumitur; & præſens legatum à ſubſtituto debetur, ſive ſit ejuſmodi conditio, quæ repetita legatum faceret inutile *l. ſervo alieno 113. in fine ff. de leg. 1.* talis enim conditio nec in vulgari repetita cenſetur *l. ult. ff. de fideicom. libert.* ſive ſit ejuſmodi, quæ non facit inutile legatum. *l. ſi quis à filio 32. in princ. verſ. ſed ſi ita. l. ſi cui ſervi 52. in fin. l. ſi fundum 81. §. ſi pater 7. ff. de leg. 1.* Quocircà Papinianus in *l. cùm pater 77. §. ab inſtituto 15. ff. de leg. 2.* ut conditionem expectandam eſſe definiat, proponit ſpeciem ſubſtitutionis extraneo factæ, nempè ſubſtitutionis vulgaris, indicans aliud eſſe in pupillari. Sed undè hæc differentia? Dicam, quod mihi videtur admodùm probabile.

14 Subſtitutus vulgaris hæres eſt teſtatoris, non hæredis inſtituti: ſed in locum ejus ſubrogatus, ſi ille defecerit, hæreſque non fuerit *l. 1. & l. poteſt 36. ff. de vulg. & pupill. princ. tit. inſt. de vulg.* Teſtator igitur plures gradus hæredum facit, ut tutior ſit habendi hæredem ex teſtamento, ideòque ultimo loco hæredem neceſſarium ſcribere poteſt *d. l. poteſt & d. princ. tit. inſt.* Quamobrem eos omnes idem jus habere, eadem onera ſufferre voluiſſe præſumitur. Sunt enim omnes æquè ſcripti hæredes in eodem teſtamento ab eodem teſtatore vocati: ergo & omnes æquè gravati cenſeri debent. Contrà ſubſtitutus pupillaris non eſt hæres teſtatoris, ut diximus: nec eſt inſtitutus in eodem teſtamento, quo pupillus: ſed in ſecundis tabulis: ſcilicèt in teſtamento ipſius pupilli. *l. 2. §. interdùm*: Ibi: *ex ſecundis tabulis ff. de vulgar. & pupil. l. ſi filius 11. ff. eod.* Duplex enim eſt teſtamentum: alterum patris, in quo filium hæredem inſtituit: alterum filii, in quo filio hæredi exiſtenti hæres adſcribitur *l. Papinianus 8. §. ſed nec impuberis ff. de inoff. teſtam.* Ibi: *quia filii teſtamentum eſt. l. in duplicibus 79 ff. ad leg. Falcid. l. 1. §. 1. verſ. etiamſi ff. ſi cui pluſquàm per leg. Falc. d. l. 2. §. interdùm ff. de vulg. §. igitur inſt. eod.* Teſtamentum patris dicitur *primæ tabulæ*, ſicut filii teſtamentum, *ſecundæ tabulæ. l. cohæredi 41. §. cohæres 6. ff. de vulg. & pupill. l. 2. §. ſi primis ff. de ſtatu lib. l. Lucius Titius 88. §. impuberem 7. ff. de leg. 2.* His efficitur, ſubſtitutum ex primis tabulis teneri nomine pupilli, cujus ipſe hæres eſt: nomine autem proprio teneri dumtaxat ex ſecundis tabulis, in quibus ipſe ſcriptus eſt hæres.

15 Quamobrem ſi legata relicta in primis tabulis repetantur in ſecundis, non valet repetitio, quia ſubſtitutus tenetur nomine pupilli obligati ex primis tabulis; & voluntas defuncti eſt, ut ſemel debeantur *l. ſervo alieno 113. §. ſed ſi puer ff. de leg. 1.* Eàdem ratione, ſi purè à filio, ſub conditione à ſubſtituto legatum fuerit, tenetur ſubſtitutus purè ex perſonâ pupilli, qui purè erat obligatus: nec poteſt obligari ſub conditione ex ſecundis tabulis, cùm jam purè ſit obligatus ex primis *l. ſi fundum 81. §. ſi paterfam. 7. verſ. quare ff. eod.* Contrà ſi à filio ſub conditione, à ſubſtituto purè legatum fuerit, ex ſolâ ſubſtitutione legatum valebit *d. §.*

Digitized by Google

verſ. contrà. Quid ita? Quia ſubſtitutus non poteſt obligari ex perſonâ pupilli, qui obligatus non erat, cùm deceſſerit ante eventum conditionis; hoc eſt, antequàm dies legati cederet *l. 5. §. ſed ſi ſub conditione ff. qu. di. leg. ced. l. cedere diem ff. de V. S.* Reſtat igitur, ut teneatur ex propriâ perſonâ, ſcilicèt ex ſecundis tabulis. Atqui in ſecundis tabulis purè legatum eſt non adjectâ, nec repetitâ conditione: conſequens ergo eſt, ut purè legatum debeat. Perindè enim habendum eſt, ſi rursùs à ſubſtituto legetur, ac ſi repetita legata eſſent *d. l. ſi fundum §. 7. verſ. hoc enim.* Quibus efficitur, legatum à ſubſtituto repetitum, non repetitâ etiam conditione, purè ab eo deberi *d. §. in fin. & l. ſi quis à filio 32. verſ. ſed ſi ita & l. ſi cui ſervi 52. in fin. ff. de leg. 1.* & verba illa: *quæ à filio meo legavi* &c. vicem demonſtrationis habent, non taxationis *d. l. ſi quis 32. verſ. & duntaxat*: hoc eſt, teſtator illis verbis demonſtrat, quid voluerit à ſubſtituto legare, non legati qualitatem & conditionem repetere. Uno verbo ex ſecundis tabulis obligatur in id, quod illis eſt comprehenſum: & ex primis tabulis in id, quod illis continetur. Quocircà ſi in ſecundis tabulis augeatur quantitas legati relicti in primis tabulis; quod excedit, debet ex ſecundis tabulis; quod concurrit, ex primis *l. quid ergò 53. ff. eod.* In ſpecie noſtrâ, in quâ nihil debetur ex primis tabulis ex perſonâ pupilli, ſequitur, ut debeatur ſolummodò, quod continetur in ſecundis ex ſolâ ſubſtitutione *d. l. ſi fundum §. ſi pater in fine.* Ibi: *ex ſubſtitutione ſolâ legatum valebit.*

CAPUT III.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Conditio adjecta legato non cenſetur repetita in inſtitutione.*
2 *Conditio adjecta inſtitutioni repetita cenſetur in legato ipſi inſtituto purè relicto juxta vulgarem opinionem, quæ refutatur.*
3 *Expenditur L. pater 17. §. ult. ff. de dol. mal. & met. except. & n. 4. 5. 6.*
7 *Exponitur L. ab omnibus 104. §. cùm quidam ff. de leg. 1.*
8 *Expenditur L. cùm ſervus 14. ff. de manum. teſt.*
9 *Exponitur L. filium 27. ff. qu. di. leg. ced.*
10 *Examinatur L. duos 70. ff. de cond. & dem.*
11 *Conditio emancipationis favore filiorum adjicitur ad excludendum patrem à lucro, & latè interpretanda eſt, & n. 12.*
13 *Expenditur L. avia 77. ff. de cond. & dem.*

Diximus de inſtitutione ac ſubſtitutione: modò de inſtitutione ac legatis. Conditio adjecta legato numquàm cenſetur repetita in inſtitutione: adeò ut ne quidem adjecta legato libertatis videatur repetita in inſtitutione ejuſdem ſervi purè inſtituti, ut in ſpecie propoſitâ à Juliano in *l. qui filio 31. §. ſi quis ſervum 2. ff de hæred. inſt.* ad quam intelligendam meminiſſe oportet, eo tempore inſtitutionem ſine libertate non valuiſſe *princ. tit. inſt. de hæred. inſtit. l penult. C. de neceſſ. ſerv. hæred.* Veruntamen ſi ſervus manſerit teſtatoris, & eo moriente ſit in ejus dominio, conditio adjecta libertati repetetur in inſtitutione, eaque differetur in tempus, quo libertas data eſt, ut poſſit ſervus ipſe conſequi hæreditatem *l. 3. §. 1. ff. de hæred. inſt.* cui tamen modum præſcripſit Juſtinianus in *l. ult. C de neceſſ. ſerv.* adeò ut hodiè ne quidem hoc caſu repetatur conditio. 1

Contrà conditio adjecta inſtitutioni cenſetur repetita in legato eidem purè relicto; ut plerique omnes arbitrantur: quâ de re ego ab illis longè diſſentio. Fateor ingenii mei tarditatem. Non poſſum percipere, quòd ſit, quamobrem conditio adjecta uni legato non cenſeatur repetita in altero legato eidem relicto, ut fatentur omnes in *l. in repetendis 63. ff. de leg. 3.* conditio autem adjecta inſtitutioni cenſeri debeat repetita in legato eidem hæredi relicto: cùm nihil ſimile habeat legato inſtitutio & hæreditas, cujus appellatione legata & fideicommiſſa non continentur; & quòd de ſuâ hæreditate diſpoſuit teſtator, de legato diſpoſuiſſe minimè cenſeatur. *l ſi Titius 96 ff. de leg. 3.* Quin imò conditio adjecta uni parti hæreditatis in 2

altera parte non repetitur *l. ſi quis ita 33. ff. de hered. inſt.* Cur igitur repetenda eſt in legato? Quantò major eſſet ratio inducendi repetitionem in alterâ parte hæreditatis, quàm in legato? Non admiſsâ repetitione fruſtrà alteri parti fuit adjecta conditio: voluntas autem ita eſt interpretanda, ut actus agentium non ſit inutilis. *l. cogi 16. in fine principii ff. ad S C. Trebell. l. quoties 12. & l. ubi eſt 21. ff. de reb. dub.* & ſuprà copioſè diximus. Contrà in legato veriſimile eſt, teſtatorem apponere noluiſſe conditionem, ne utrumque poneret in incerto, & hæreditatem, & legatum; ſed legato damnum deficientis conditionis compenſaret.

3 Nunc cominùs agamus, experiamurque, an id legum auctoritate confirmare poſſimus. Ac primo loco affero illam ipſam legem, quâ in contrariam opinionem adducuntur adverſarii. In *l. ult. §. ult. ff. de dol. mal. & met. except.* Scævola proponit, matrem inſtituiſſe hæredem ex ſemiſſe filium communem & maritum ſuum: ex alio autem ſemiſſe filiam ex primo matrimonio ſuſceptam, ſub conditione, *ſi parem rationem feciſſet cum cohæredibus ex cauſa tutelæ, quam pater ſuus, ejuſque avus adminiſtraverat*, ex qua cauſa poterat ipſa aliquid debere: eidemque quædam legata reliquerat. Filia noluit parere conditioni; ſed omiſsâ hæreditate legata petebat à cohæredibus. Reſpondit Scævola, eam contra voluntatem defunctæ petere, & ideò ipſi obſtare doli exceptionem. Ergo, aïunt adverſarii, conditio adjecta inſtitutioni cenſetur repetita in legatis: nam non impleta conditione, ne legata quidem conſequi poteſt. Ego contra aïo: obſtat petitioni legatorum exceptio doli; ergo conditio repetita non eſt in legatis. Si datur exceptio, datur etiam actio: nam exceptio datur ad excludendam actionem; eſt enim actionis excluſio *l. 2. ff. de exception.* & quidem actio juſta: actio efficax: actio, quæ naſcitur ex civili obligatione, ad quam elidendam à Prætore ex naturali æquitate datur exceptio doli, vel alia exceptio *inſt. tit de except. in princ. & in § 1. & ſeqq. l. ſi quis 36. ff. de V. O. l. 1. §. 1. ff. de dol. mal. except.* Non daretur autem actio, & petitio legatorum, ſi defeciſſet conditio ipſis adjecta *l. cum duobus 52. §. ſi qui ſocietatem 11. ff. pro ſoc. l. qui quadringenta 68. §. 1. ff. ad l. Falcid.* Deficiente enim conditione actus eſt nullus, nullam parit obligationem; nihil ex eo debetur *l. nam etſi 5. verſ. poſt defectum ff. de injuſt. rupt. l. neceſſario 8. in princ. verſ. quòd ſi ſub conditione ff. de peric. & com. rei vend. l. decem 116. verſ. nec ſolvente ff. de V. O.*

At enim, inquies, filia repellitur à legato ipſumque nequit conſequi obſtante doli exceptione. 4 Non repellitur à petitione, neque ab agendo: neque enim petere prohibetur; ſed quia dolo petit, incurrit in exceptionem doli, quæ ipſi opponitur *d. l. in fin.* Exceptio doli datur etiam cùm nullus dolus actoris interceſſit, ſed ipſa res in ſe dolum habet, cùm qui petat, hoc ipſo dolo facit, quod petit. *l. ſi quis cùm aliter 36. in fin. ff. de V. O.* Hìc filia dolo petit, quia petit contrà voluntatem defunctæ: hâc *l. in fin.* Petit autem contra voluntatem defunctæ, quia mater ideò præſumitur inſtituiſſe filiam in multò majore portione quàm filium, ſcilicèt filium in quadrante, filiam in ſemiſſe; & inſuper filium gravaſſe legatis, iiſque filiam honoraſſe, ut ſuſtineret onus, quod ipſi imponebat, faciendi parem rationem cum cohæredibus. Quamobrem filia, quæ hoc onus injunctum à matre rejicit, & nihilominùs petit legata, facit contrà voluntatem teſtatricis, & dolo petit. Exemplis id confirmo. Teſtator tutorem dedit filiis ſuis, is à tutela ſe excuſat. Reſpondit Paulus: *placuit eum, qui recuſat* 5 *id, quod teſtator relinquit ab eo, quod petit, quod idem dedit, repelli debere.* Idque etiam cùm tutor non legitimè datus, putà, à matre, vel ab extraneo, fuit à Prætore confirmatus. Dubitavit ſolummodò Paulus, an idem dicendum eſſet, ſi teſtator legatum adſcripſerit teſtamento, eumque tutorem dederit in codicillis poſteà factis: in hoc enim legato non poteſt dici ideò ei relictum, quia & tutorem eſſe voluerit. Sed ſubdit deinceps; ſed hæc nimiùm ſcrupuloſa ſunt, nec admittenda: niſi evidenter pater expreſſerit, velle

ſe dare etiam ſi tutelam non adminiſtraverit. Hæc in *l. Neſennius 32. & ſeq. ff. de excuſ. tutor.* in quibus hæc ſunt obſervanda. Primum, quòd Paulus nititur auctoritate Scævolæ, qui eſt auctor noſtræ legis. Item quòd adeò efficax eſt hæc præſumptio, ut ab ea non recedatur, niſi contrarium teſtator expreſſerit. Denique quòd hoc caſu legatarius ideò repellitur, quia facit *contra judicium teſtatoris*, ut idem innuit in *l.* 34. ſubſequenti: & in *l. 5. §. amittere ff. de his quæ ut indign.* quemadmodùm in *l. noſtrâ* ait Scævola, legatarium *contra voluntatem petere, & ideò exceptionem doli obſtaturam.* Ampliùs fit eò certior hæc præſumptio voluntatis, ſi animadvertamus, filiam, contemnendo præceptum matris, facere meliorem ſuam conditionem, deteriorem verò ſuorum cohæredum. Præterquàm quòd enim liberatur ab onere paria faciendi, conſequitur integra legata, quæ, pro dimidia tantùm parte conſequeretur aditâ hæreditate, & cohæredes ſuſtinere coguntur onus ſolvendi integra legata *l. qui filiabus 17. in fin. cum l. ſeq. ff. de leg. 1. l. quæſitum 91. §. duobus 2. ff. eod.* quæ pro dimidia tantùm parte ſolverent, ſi filia adiviſſet hæreditatem; *l. legatum 116. §. 1. ff. eod.* Porrò veriſimile non eſt, matrem voluiſſe præmio filiam allicere ad contemnendum præceptum ſuum: imò nec credibile quidem eſt. Itaque Scævola hæc accuratè perpendens non reſpondit, filiam legati conditionem non impleviſſe, quo ſignificaſſet conditionem in legato repetitam, ut reſpondit in *l. à teſtatore 109. ff. de cond. & dem.* ſed ſcitè, ut ſolet, reſpondit: *ſecundùm ea, quæ proponerentur, contra voluntatem defunctæ petere*: ſcilicèt ejuſmodi eſſe, ut demonſtrent contrariam defunctæ voluntatem. Quamvis enim conditionaliter non expreſſerit: tamen ſi non intellexerit, eam habere legatum omiſſâ hæreditate, à legato expelletur *l. ſed etſi non alias 88. ff.*
6 *de leg.* Non eſt admodùm diſſimile exemplum propoſitum in *l. apud Celſum 4. §. ſi quis ex uncia 11. ff. eod. tit. de dol. & met. except.* Qui accepto pretio à ſubſtituto ne adiret hæreditatem, prætulit hæreditati legatum, exceptione doli mali à legato repellitur. Hîc etiam filia præfert legatum hæreditati, quia ejus loco retinet actionem tutelæ adverſus cohæredes. Faciunt ad rem etiam tradita in *l. ſi non ſolus 10. § 1. ff. ſi quis om. cauſ. teſt.* & in *l. ſi patroni 55. §. quid ergo. verſ. cur enim ff. ad S C. Trebell.* Maximè autem convenit exemplum ab eodem Scævolâ propoſitum in *l. filio 94. ff. ad leg. Falc.* ubi filia poſtulat quidem jure, Falcidiam, ex legatis præſtandis cohæredibus, retinere: ſed eâ retentâ non poteſt ab eiſdem cohæredibus conſequi legata ſibi relicta: *non aliàs ea, quæ ei data ſunt, accepturam, quam voluntati defuncti, ſolvendum præſtando, pareret.*

Jam verò ad alia progrediamur. Julianus 7
in *l. ab omnibus 104. §. cùm quidam ff. de leg. 1.* factum hujuſmodi proponit. Quidam hæredem inſtituit ſub conditione, *quandòque mater ejus deceſſiſſet*: deindè ei ſubſtituit Cajum, & à ſubſtituto dedit legata hæredi inſtituto ſub conditione. Is viva matre deceſſit, poſtquàm dies legati ceſſerat. Tranſmittit legata ad hæredes. Si conditio adjecta inſtitutioni repetita cenſeretur in legatis, neque eorum dies cedere potuiſſet vivâ matre *l. 5. §. ſed ſi ſub conditione ff. qu. di. legat. ced.* nec hæres mortuus ante eventum conditionis tranſmitteret legatum *l. intercidit 59. ff. de cond. & dem.* Neque quemquam turbet, quod ait Julianus: *quia moriente eo conditio impletur*: nam impletur conditio, *ſi hæres non erit*, quæ tacitè ineſt in omni vulgari ſubſtitutione, & in legatis à ſubſtituto relictis. Hæc autem impletur moriente hærede, quia tunc certum fit, eum hæredem non eſſe, nec eſſe poſſe. Secùs eſt in conditione, *quandòque mater ejus deceſſiſſet*: quæ non impletur niſi per mortem matris.

Duo adhuc adjiciam argumenta ad hanc 8
ſententiam confirmandam. Primum ex *l. cùm ſervus 14. ff. de manumiſſ. teſtam. Cum ſervus purè liber ſcribitur, & hæres ſub conditione, placet deficiente conditione, habere eum libertatem.* Conditio igitur adjecta inſtitutioni, non eſt tacitè adjecta legato libertatis. Neque id conſtitutum puta favore libertatis:

Digitized by Google

hoc enim nuſquam à veteribus traditum, ut ſolent, cùm aliquid contra regulas juris pro libertate receptum fuit. Imò hâc de re apud veteres videtur fuiſſe dubitatum. Nam Ulpianus hujus opinionis auctorem citat Julianum in *l. 2. §. penult. ff. de ſtatu lib. quo caſu ſecundùm Julianum vel libertatem adipiſcitur*, eumque ſequitur in *d. l. cùm ſervus.* Et Pomponius in *l. Trebatius* 21. *§. 1. ff. de hered. inſt.* indicat, id non compertum omnibus & exploratum fuiſſe. *Servo libertatem purè, & hæreditatem ſub conditione dari poſſe veriſſimum puto*; quod autem ad rem noſtram pertinet, aliter ſenſiſſe videtur: ſubdit enim: *ut tamen utrumque ex conditione pendeat.* Corrigitur tamen ſecundùm Julianum in *l. ſeq. expletâ quidem conditione liber, hereſque erit, quocumque loco libertas data fuerit: deficiente autem conditione perindè habetur ac ſi libertas ſine hereditate data fuerit.* In dubium, ut arbitror, id vocabatur, quia, cùm eo tempore nulla eſſet inſtitutio ſervi ſine libertate *l. quidem C. de neceſſ. ſerv. hered. inſt.* præſumi facilè poterat dominum dediſſe libertatem ſervo, ut poſſet eſſe hæres, ut exiſtente conditione haberet hæredem neceſſarium, quod ſæpè numero teſtatoribus maximè expediebat *§. 1. inſtit. tit. quib. ex cauſ. man. non lic. §. 1. inſt. tit. de hered. qualit. & differ. Cajus lib. 2. inſt. tit. 3. §. 6.* & non ad favorem ſervi, ſed ad commodum, & utilitatem domini pertinent; nec privilegium libertatis, ſed exiſtimationem, & famam domini tuentur, & fovent *dd. ll.* Optimè Conſtantinus in *l. 3. C. Theodoſ. de inoffic. teſt. ſervus neceſſarius heres inſtituendus eſt, quia non magis patrimonium, quàm infamiam conſequi videtur.* Dominus enim, qui de facultatibus ſuis dubitat, non eò ſpectat, ut ſervum honoret, ſed ut infamiâ ſe exoneret, eamque rejiciat in ſervum. Quocircà Juſtinianus in *l. ult. C. de neceſſ. hered.* contra omnes juris regulas ſanxit, ut ſi ſervus purè liber, ſub conditione hæres inſtituatur, deficiente caſu conditione; ſi hæreditas ſolvendo non ſit, nihilominùs ſervus ſit & liber & hæres neceſſarius. Nimirum ad tuendam exiſtimationem defuncti eumque infamiâ ſublevandum, conditio deficiens habetur pro impleta: reſpectu ſervi non item: nam ſi hæreditas ſolvendo ſit, ſervus non adipiſcitur hæreditatem defectâ conditione *d. l. ult.* In his igitur favor libertatis non attenditur: quin potiùs cùm præſumi poſſet exiſtimationi conſulere voluiſſe defunctum; non autem ſervo: difficiliores fuerunt veteres ad excludendam repetitionem conditionis à legato libertatis, quàm à cæteris legatis.

Alterum ex *l. filiumfam.* 17. *in princ. ff.* 9
qu. di. leg. ced. in quo non multùm eſſe momenti ingenuè fateor. Ibi Scævola proponit filiumfamilias ex parte purè inſtitutum fuiſſe, eique fideicommiſſum datum: & eodem teſtamento ita cautum. *Quod ego Lucium Titium hæredem inſtitui, ita eum adire hæreditatem volo, ſi is patriâ poteſtate liberatus fuerit.* Quæſitum fuit, an, antequàm à patriâ poteſtate liberaretur, fideicommiſſum peti poſſet. Reſpondit: poſſe. Videtur hìc adjecta conditio ſoli hæreditati: adeòque non attingere fideicommiſſum. Tamen Scævola hâc ratione non videtur adductus ad ita reſpondendum. Neque enim ait: *ſecundùm ea, quæ proponerentur*: ut plerùmque ſolet, neque *quæſtionem facti eſſe*; ut ſæpè numero reſpondet. Sed ait; *ſi purè ſit datum fideicommiſſum à cohærede filii pro hæreditariâ parte fideicommiſſum peti poſſe.* Nimirum ſtatuit regulam generalem, quod legatum eſt purum, cedit ejus dies, & peti poteſt etiam, antequàm exiſtat conditio adjecta inſtitutioni; videlicèt conditionem inſtitutionis non videri repetitam in legatis. Cæterùm quandonam teſtator voluerit manere purum legatum aut repeti conditionem, non decidit: eſt enim hæc quæſtio facti, *l. cùm pater* 77. *§. ab inſtituto* 15. *de l. 2.* ad quam Scævola non reſpondet *l. Seja* 20. *§. ult. ff. de inſtr. vel inſtrum.* & huic noſtro reſponſo admodùm ſimilia ſunt reſponſa in *l. à teſtatore* 109. *ff. de cond. & dem.* in *l. tabernam* 7. *ff. de inſtr. vel inſtrum.* & alia multa.

Supereſt, ut excutiamus opinionem eo- 10
rum, qui contrà ſentiunt. Labuntur illi, quòd pro regulâ accipiunt regulæ exceptiones: cujuſmodi ſunt ea, quæ tradit Papinia-

Digitized by Google

nus in *l. duos* 70. *& in l. avia* 77. *in princ. ff. de cond. & dem.* In *l. duos* 70. mater duos filios ſub conditione emancipationis hæredes inſtituit ; eiſque plurium rerum præceptiones purè dedit. Si conditio adjecta inſtitutioni non cenſeretur repetita in prælegatis , eorum dies ſtatim à morte matris cederet. *l.* 5. *in princ. ff. qu. di. leg. ced.* quo tempore filii erant in poteſtate patris : adeòque prælegata patri , non filiis acquirerentur *l. placet* 79. *ff. de acquir. vel om. hæred.* Papinianus contrà ait patrem etiam à prælegatis ſubmoveri.

11 Eſt hæc exceptio regulæ. Conditio emancipationis adjicitur in gratiam legatarii , in gratiam filiorum , ut ſibi ipſis acquirant , non patri , quæ à teſtatore relinquuntur. Ideò frequenter hæc conditio apponi ſolebat in legatis, & hæreditatibus filiofam. relictis *l. filiumfam.* 27. *ff. quan di. leg. ced. l. mater* 17. §. 1. *ff ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. l. ult. ff. de petit. hæred. l. quidam* 46. *ff. de hæred. inſt.* Eàdem de cauſâ etiam relinquebant poſt mortem patris , ut in *l. mulier* 22. *in princ. ff. ad S C. Trebell. in l. ſi ita* 15. *ff. quan. di. leg. ced.* Nam cùm teſtatores amicis , ac de ſe benè meritis ſolerent olim gratificari (hodiè non eſt in uſu) *l. nec adjecit* 9. *ff. pro ſoc.* conſequenter volebant etiam ipſis acquiri ; non autem patri , quem ſæpè numero nec amore , nec benevolentiâ , aliquandò etiam odio proſequebantur : ut apparet ex *d. l. quidam* 46. Quocircà Imperatores D. Marcus & Antoninus non reſtrictè has conditiones interpretandas eſſe crediderunt , ſed latiùs quàm cæteras , quæ per æquipollens impleri non poſſunt : ac propterea conditio emancipationis expleta cenſetur etiam per mortem patris tam naturalem , quàm civilem *l.* 3. *C. de inſt. & ſubſtit.* & vice mutuâ conditio mortis per emancipationem *d. l. mulier* 22. *ff. ad S C. Trebell & l. ſi ita* 15. *ff. qu. di. leg. ced.* quia nihil aliud intendit teſtator adjiciendo ejuſmodi conditiones , quàm ne patri , quod relinquit , acquiratur , ſed uni filio , quem ſingulari affectione proſequitur. Quamobrem ſi hâc affectione adductus ei reliquit hæreditatem , præſumendum eſt propter eamdem affectionem etiam reliquiſſe legatum , & voluiſſe itidem legatum filio acquiri. In eo enim magis ſpectanda eſt perſona ejus , cui relinquitur , quia legata relinquuntur ob meritum *l. nec adjecit* 9. *ff. pro ſoc.* meritum autem perſonæ cohæret. Et hæc maximè conſideranda ſunt in matre , quæ hæreditatem filiis relinquit ex quâdam neceſſitate tum naturæ , tum legis : prælegata autem ex ſolâ affectione.

Altera ratio , quæ hanc confirmat , & quæ 12
ſola conſideratur à Papiniano in noſtrâ *l. duos mater* omnem amovet dubitationem. *Patrem à legatorum commodo illa quoque ratio debet ſubmovere , quòd emancipando filios obſecutus voluntati , ſupremum judicium uxoris ſuæ cu odiri voluit.* Ex hâc eruo veriſſimum eſſe , quod modò dicebam , teſtatorem etiam à legato patrem excludere voluiſſe : ſi enim à legato ſubmovetur , quia paruit voluntati uxoris , ergo ea voluit ipſum etiam à legato ſubmoveri. Eruo etiam argumentum contra repetitionem : nam ſi his de cauſis admittitur repetitio , in aliis legatis , in quibus hæ cauſæ rationeſque deficiunt , nequaquàm admittenda.

Eſt etiam exceptio regulæ in d. *l. avia* 77. 13
in princ. tum quia etiam ibi agitur de eâdem conditione emancipationis : tum quia adjecta erat particula , *amplius* , quæ vim habet repetendi dies & conditionem *l. in repetendis* 63. *l. ſi purè* 54. *ff. de leg.* 3. *l. libertis* 108. *ff. de cond. & dem.* Obſervo tamen , quòd Papinianus ad inducendam repetitionem conditionis non movetur dictione , *hoc amplius* , ſed exemplo ſervi , in cujus legato repetitam fuiſſe libertatem adjectam inſtitutioni, D. Pius & Divi fratres reſcripſerunt *l. Divus* 26. *ff. de man. teſtam. l. cùm ſervus* 18. *ff. de cond. inſt. l. Trebatius in fin. cum ſeq ff. de hæred. inſt.* Sicut enim ibi teſtator , cùm adjecerit inſtitutioni libertatem , ut poſſet ſibi acquirere hæreditatem , cenſetur eam adjeciſſe etiam legato , ut hoc etiam ſibi acquirat : ſimiliter & in conditione emancipationis adjectâ inſtitutioni filiorum , quemadmodùm modò expoſuimus.

CAP.

CAPUT IV.

Ad eamdem l.

SUMMARIUM.

1 *Legatorum multiplex cognitio, ac diſtinctio.*
2 *Eâdem re, primò purè, deindè ſub conditione, & ex intervallo eidem legatâ, attenditur poſterius legatum ſub conditione. Duæ exceptiones.*
3 *Si ex continenti eadem res purè & ſub conditione legetur, legatarii eſt electio, an præſens legatum velit, an exſpectare conditionis eventum. Duæ exceptiones.*
4 *Eâdem re non ab eodem legatâ non repetitâ conditione, an conditio tacitè repetita cenſeatur, aliàs tractatum eſt.*
5 *Eâdem re ab eodem legatâ, ſed non eidem, onus, & conditio repetita cenſentur. Exceptiones & n. 6. 7. 8.*
9 *Conditio uni legato adjecta, in altero repetita non cenſetur, ſi eidem perſonæ duæ res à diverſis teſtatoribus legatæ fuerint.*
10 *Si eidem perſonæ diverſa legata idem teſtator relinquat à diverſis hæredibus, conditio uni legato adjecta in altero non eſt repetita.*
11 *Sic ab eodem hærede, pariter non erit repetita, niſi legata conjungantur per verba, quæ vim habeant repetendi ſuperiora.*
12 *Eâdem re pluribus legatâ à diverſis hæredibus, conditio unius legati in altero non cenſetur repetita.*
13 *Eâdem re pluribus legatâ ab eodem hærede disjunctim, conditio repetita non præſumitur.*
14 *Si verò conjunctim legata fuerit, omnia legata conditio ſuſpendit. Exempla.*
15 *Si teſtator conditionem referat ad unum, cujus perſonæ cohæreat, illum ſolum conditio afficiet. Exempla.*

1 RESTANT legata. Horum multiplex eſt cognitio : multiplex diſtinctio. Primùm in duas quæſtiones diſpertiamus neceſſe eſt : an conditio in eodem legato repetita cenſeatur : an etiam in altero. Primam quæſtionem in tria membra, partesque rurſus diſpertio. Aut eadem res legatur eidem, & ab eodem : aut legatur eidem, ſed non ab eodem : aut legatur ab eodem, ſed non eidem.

I.

2 Prima pars iterum in alias diſtinguitur. Qui legat eamdem rem eidem, modò purè, modò ſub conditione ; aut id facit ex intervallo : aut ex continenti. Si ex intervallo leget ſub conditione quod anteà purè legaverat, attenditur hoc poſterius, quod ſub conditione legatum eſt *l. non ad ea 89. verſ. itaque ff. de cond. & dem.* Duplex eſt exceptio. Prima in ſumma legata : ſi quis centum purè leget : poſteà eidem centum leget ſub conditione, voluntatis quæſtio erit : nam ſi aliam ſummam legare voluerit, utraque debebitur, alia purè, alia ſub conditione : ſin autem mutata voluntate eamdem ſummam legare voluerit, ſola centum debebuntur exiſtente conditione *l. cùm centum 9. ff. de adim. leg.* Cùm autem mutatio voluntatis non præſumatur, utraque ſumma debebitur, niſi hæres probaverit teſtatorem à priore voluntate receſſiſſe *l. Lucius Titius 22. in fin. ff. de legat. 2.* Altera exceptio eſt, quòd huic regulæ non ſubjicitur hæredis inſtitutio : nam ſi te purè hæredem inſtituero, & poſteà inſtituero ſub conditione ; valet prima inſtitutio pura, quia ſatis plena eſt *l. ſi te ſolum. 27. §. 1. ff. de hæred. inſt.* plurimùm enim teſtatoris intereſt hæredem habere, & ideò expreſſim debet revocare inſtitutionem, ſi eam valere nolit. Quocircà ſi plures inſtitutiones ex eâdem parte ſub diverſis conditionibus fecerit, quæ prior extiterit, occupabit inſtitutionem *l. ſi plures 17. ff. de condit. inſtit.* Putarem tamen poſteriorem valere, ſi facta fuerit ſub commemoratione prioris : atque id de legatis traditum eſt in *d. l. non ad ea 89. in fin.* & de inſtitutione in *l. filiumfamilias 27. ff. quan. di. leg. ced.* Quid in legato ſub diverſis conditionibus relicto? In hoc prodita eſt hæc regula : in legatis noviſſima conditio, in libertatibus leviſſima, id eſt, quæ ipſi ſervo commodior ſit, ſpectanda eſt. *l. quod traditum 87. cum ſeq. ff. de cond. & dem.*

Si ex continenti, veluti : *Titio fundum do,* 3
lego, eidem do, lego, eumdem fundum, ſi navis ex Aſia venerit : electio eſt legatarii, utrum velit præſens legatum, an exſpectare eventum conditionis *d. l. non ad ea verſ. quod ſi purè.* Cui bono? videretur ſecundum legatum ſub conditione inutile eſſe, & valere

ſolummodò primum , quòd pleniùs eſt , argumento *l. ſi ita ſtipulatus* 12. *ff. de V. O.* ſed poteſt electio utilis eſſe legatario , veluti ſi in præſens capax non ſit ; ſperet autem ſe capacem futurum tempore exiſtentis conditionis. Hujus quoque duæ ſunt exceptiones. Prima , ſi ſecundum legatum factum ſit ſub commemoratione primi ; veluti ; *Stichum , quem illi legavi , hæres meus , ſi illud factum erit , dato.* tunc enim primum videtur revocatum ; & ſi ante eventum conditionis rem legatarius vindicet , doli exceptione repellitur *d. l. non ad ea in fin.* Altera eſt , ſi legatum fuerit alternativum : ſi disjunctivo modo legetur : *Titio fundum Sejanum, aut ſi navis ex Aſia venerit Cornelianum do lego. Titio uſumfructum Stichi, aut ſi navis ex Aſia venerit, decem*: pendente conditione non eſt electio *l. cùm ita* 25. *in princ. ff. quan. di. leg. ced. l. ſi Titio* 21. *ff. de uſufr. leg.* conditio enim uni parti adjecta , & alteri adjecta videtur , quia unicum eſt legatum *d. l. cùm ita*, & tolli non debet electio *d. l. Titio* 21. & ante conditionis eventum eligi non poteſt , quia pendente conditione nullus fundus debetur : electio autem non cadit niſi inter duas res in obligationem deductas. Idcircò non ſolùm fundi relicti ſub conditione dies non cedit pendente conditione *l.* 5. §. *ſi ſub conditione ff. quan. di. leg. ced.* ſed nec fundi relicti purè. Eo fit , ut eâ pendente mortuo legatario ad hæredem legatum non tranſmittat *d. l. cùm ita* : niſi conditio defecerit ultimo vitæ momento ; ſcilicèt mortis , quod vitæ tribuitur, ut aliàs diximus ; quemadmodùm evenit in conditione , de quâ in *l. ſi uſuſfructus* 14. §. 1. *verſ. argumentum ff. quan. di. leg. ced.*

II.

4 Si legatur eidem , ſed non ab eodem , veluti ſi teſtator reliquerit legata ſub conditione ab hærede inſtituto , eaque repetierit à ſubſtituto non repetitâ conditione : quæſtionis eſt , an conditio tacitè repetita cenſeatur: an ſubſtitutus legata debeat ſub iiſdem conditionibus , ſub quibus deberentur ab inſtituto. Hanc quæſtionem copioſè tractavimus in ſuperioribus , diſtinguendo inter ſubſtitutum vulgarem , & pupillarem.

III.

5 Si idem ab eodem , ſed non eidem legatum fuerit, conditio repetita cenſetur. Evenit id , quotieſcumque legatum ab uno in alium transfertur : tranſlatum enim præſumitur cum iiſdem qualitatibus & conditionibus. *l. legatum ſub conditione* 24. *in princ. ff. de adim. legat. l. legatum ſub conditione* 95. *ff. de cond. & dem.* Non ſolùm autem conditio , ſed etiam onus adjectum legato videtur repetitum. *l. Gajo Sejo* 13. *in princ. ff. de alim. vel cibar. leg.* Atque hæc etiam in fiſco ſervanda ſunt *l. in facto* 60. §. 1. *ff. de cond. & dem.* Hujus etiam regulæ plures ſunt exceptiones. Prima eſt , ſi conditio adjecta primo legatario , ejus perſonæ cohæreat : veluti ſi quis legaverit mulieri fundum ſub conditione , ſi nupſerit , eumque poſteà transtulerit in Titium : utique non eſt repetita conditio *d. l. legatum* 24. *ff. de adim. legat. & d. l. legatum* 95.

6 Secunda eſt , ſi aliud onus , vel alia conditio injecta eſt in legati tranſlatione : quia non poteſt præſumi repetere voluiſſe onus , quod injunxerat, qui aliud onus diverſum injungit. De onere expreſſum in *l. Gajo Sejo in princ. ff. de alim. leg.* Ibi : *niſi aliud doceat ſibi a teſtatore injunctum.* Id valet etiam de conditione , in qua prorſus eſt eadem ratio.

7 Tertia eſt , ſi per modum ſubſtitutionis non tranſlationis , quod uni legatum eſt , alteri legetur. Poteſt in legatis ſubſtitui , ſicut in hæreditatibus *l. ut hæredibus* 50. *ff. de leg.* 1. & rectè ducitur argumentum à ſubſtitutione hæredum ad ſubſtitutionem legatariorum *l. Titius & Sejus* 24. *cum duab ſeqq. ff. de hæred. inſt.* Atqui conditio adjecta inſtituto non cenſetur repetita in ſubſtituto *l. ſub conditione* 73. *ff. eod.* ergo idem dicendum in legatario ſubſtituto. Finge , teſtator ita legavit : *Titio , ſi navis ex Aſia venerit fundum do , lego : & ſi Titius legatum non agnoverit , lego Cajo.* Sicut in ſubſtitutione hæredis verba : *ſi hæres non erit* , comprehendunt utrumque caſum , *ſive noluerit , ſive non potuerit hæres eſſe* : ita & in ſubſtitutione legatarii debent utrumque caſum compre-

Digitized by Google

hendere, ſi noluerit, aut non potuerit agnoſcere legatum: atqui deficiente conditione non poteſt legatum agnoſcere: ergo admittendus eſt Cajus ſubſtitutus, ſicut deficiente conditione inſtitutionis admittitur ſubſtitutus. Imò multò magis: quia caſus noluntatis, ut aïunt, admodùm frequens eſt in hærede inſtituto, rariſſimus autem in legatario: propterea quòd hæreditas interdùm damnoſa eſt, & moleſtiis hæreditariis ſemper implicat hæredem: legatum autem damno eſſe non poteſt *l. ſi hæreditatem* 32. *ff. mand. l. apud Celſum* 4. §. *ſi quis ex unica* 11. *ff. de dol. mal. except.* Quocircà teſtator, qui ſubſtituit in legato conditionali, hoc unum ſpectat, ut ſubſtitutus legatum conſequatur deficiente conditione. Non poteſt igitur habere voluntatem repetendi conditionem in ſubſtituto.

8 Quarta eſt; ſi conditio inutile legatum faceret *l. ſervo alieno* 113. §. *ſi ab impubere ff. de leg.* 1. *l. ult. in fin. ff. de fideicom. libert.*

Secunda Quæſtio.

9 Secunda quæſtio eſt, an conditio adjecta uni legato cenſeatur in altero repetita. Et quidem ſi à duobus diverſis teſtatoribus relicta fuerint duo legata eidem perſonæ, nulla eſt controverſia, conditionem non præſumi repetitam; cum à voluntate unius duci non poſſit argumentum ad voluntatem alterius; aut præſumi quòd hic voluerit, quod alter voluit. Controverſia igitur exiſtit ſolummodò cùm plura legata relicta fuerunt ab eodem teſtatore. Habet autem duo membra: nam aut plura illa legata relicta ſunt eidem perſonæ; aut pluribus perſonis; utrumque autem rurſus dividitur in duas partes, ut modò dicemus.

I.

10 Si eidem duæ res ſeparatim legatæ fuerint altera ſub conditione, altera purè; diſtinguendum eſt, utrum à diverſis hæredibus ſingulæ legatæ fuerint: an utraque ab eodem hærede. Si à diverſis hæredibus diverſæ res fuerint legatæ: veluti Cajus hæres meus fundum Titio dato, ſi navis ex Aſia venerit: Sempronius eidem Titio domum dato: certum eſt, conditionem non eſſe repetitam: perindè enim eſt, ac ſi duobus teſtamentis legatum eſſet *l. quid ergo* 53. §. *ſi quis duos ff. de legat.* 1. adeò, ut ſi quantitas legata ſit, bis debeatur *l. ſi pluribus* 44. §. 1. *ff. de leg.* 2. Sunt duo legata diverſa & omninò ſejuncta atque diſtincta. Diverſi ſunt debitores utriuſque legati: diverſæ res, quæ utroque continentur. Non eſt eadem cauſa utriuſque debitoris: nam teſtator noluit utrumque hæredem æquè, eodemque modo gravare. Si hoc voluiſſet, utrumque ſimul gravaſſet tum ad dandum fundum, tum ad dandam domum. Multas cauſas habere potuit gravandi alterum plus, alterum minùs. Non eſt eadem cauſa utriuſque rei legatæ. Multas cauſas habere potuit teſtator legandi fundum ſub conditione, domum autem purè; ſicut re verâ legavit. Quamobrem nec ſi adjiciantur particulæ *item*, *hoc ampliùs*, repetitam conditionem puto. Neque enim hùc pertinet celebre Juliani dictum in *l. in repetendis* 63. *ff. de leg.* 3. Non repetitur hîc legatum jam datum, ſed novum legatum datur: Repeti legatum dicitur, cùm relegatur, quod jam legatum erat: cùm id, quod relictum erat ab aliquo, iterum ab eodem, vel ab alio relinquitur *l. legata* 19. *in princ. & in* §. 1. *l. ſi quis à filio* 32. *in princ. l. ſi cui ſervi* 52. *cum ſeq. ff. de leg.* 1. *l. Aurelius* 28. §. 1. *ff. de liber. leg. l. licet* 23. *ff. de uſufr. leg. l.* 3. §. *idem ff. quib. mod. uſufr. am.* Repetere enim eſt rurſùs petere, ut detur, quod, ut daretur, anteà petitum fuerat.

Quòd ſi eidem, & ab eodem hærede 11
utraque res fuerit legata, pariter non intelligitur repetita conditio, aut qualitas adjecta primo legato, niſi utrumque legatum conjungatur per verba, quæ vim habeant repetendi ſuperiora: aut res ipſæ jungantur per copulam in eâdem oratione. Verba repetentia ſunt: *hoc ampliùs l. ſi purè* 54. *l. ſi ſic locutus* 13. *l. uxori* 33. §. *ult. ff de leg.* 3. & verbum *item l. in repetendis* 63. *ff. eod.* & utrumque repetit dies & conditiones *d. l. in repetendis & l. libertis* 108. *ff. de cond.*

Digitized by Google

& dem. Falluntur, qui inter hæc recenſent etiam copulam *et*: hæc verè non repetit, ſed jungit, & nectit res ita, ut pro unâ quodammodò habeantur: & unicum legatum conſtituit, ita ut conditio & qualitas utramque rem reſpiciat, & afficiat *l. quæ conditio* 39. *ff. de cond. & dem. l. ult. ff. de reb. dub. l. ſi plures* 98. *ff. de leg.* 3. Idcircò in *l. Sejæ* 20. §. *Cajo ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* Cajo Sejo fundos, ut inſtructi ſunt, *& domum ſuperiorem dari volo*: reſpondit Scævola, etiam domum inſtructam datam videri. Rectè obſervat Bartolus, orationem non eſſe perfectam, niſi poſt legatam domum. Eo fit, ut unicum ſit legatum, complectens duas res ſimul junctas per copulam; adeòque in utraque eaſdem qualitates requiri ſit præſumendum. Multò certius id dicendum, ſi ita legaverit: *Titio fundum, ſi navis ex Aſia venerit, & domum dari volo*: quia copula conjungit conditionem. *l. Julius* 81. *ff. de cond. & dem.* Maximè ſi aliàs foret inutile legatum, ut in *l. cùm ſervus* 82. *ff. eod.*

II.

12 Si pluribus eadem res legata fuerit: aut legata eſt à diverſis hæredibus, aut ab eodem. Si à diverſis hæredibus legetur diverſis legatariis: veluti, Cai, fundum Sejanum Titio dato, ſi navis ex Aſia venerit, Semproni, eumdem fundum Callimacho dato: utique conditio repetita non videtur. Nam ſi teſtator voluiſſet ab utroque deberi legatum ſub conditione, non diſtinxiſſet perſonas hæredum, & breviùs & clariùs dixiſſet: *Lego Titio & Callimacho fundum Sejanum ſub conditione* &c. vel *hæres meus dato Titio* &c. Itaque idem dicendum puto, ſi adjecta ſit particula *item*, quæ hîc jungit perſonas hæredum, non repetit conditionem, cùm diverſi ſint legatarii.

13 Si verò ab eodem hærede duobus eadem res legata fuerit, aut disjunctim legata eſt, aut conjunctim. Si disjunctivo modo: *Titio fundum Sejanum do, lego, ſi navis ex Aſia venerit: Callimacho fundum Sejanum do, lego.* præſumi non poteſt repetita conditio: ſunt enim duæ orationes perfectæ, duæ perſonæ ſeparatim vocatæ, ac proindè conditio communicari non poteſt: ac ne quidem adjecto verbo *item*, quod hîc videri poteſt adjectum ad continuandam orationem, non ad repetendam conditionem. Verbum enim *item* continuat, & connectit, ut in *l. item* 49. *ff. de leg.* 3. & aliquandò conjungit etiam oppoſita, ut in *l. cùm de lanionis* 18. §. *aſinam cum ſeq. ff. de inſtrum. legat.* Plaut. in Aulul. Sc. 4. præſagibat

Venit hoc mihi in mentem, Megadore,
te eſſe hominem divitem,
Factioſum, me item eſſe hominem pauperrimum.

Nec obſtat quod aiunt DD. quòd ſi teſtator ita legaverit: *ſi filius meus ſine liberis deceſſerit, lego Titio centum, item Sejo fundum, item Cajo domum*: conditio illa in omnibus repetita cenſetur. Etenim afficit quidem illa conditio omnia legata, non tamen vi repetitionis; non quia in omnibus ſit repetita; ſed quia ad omnia legata ſubſequentia refertur, & omnia ab eâ pendent, cùm teſtator noluerit illis legare, niſi filio ſine liberis decedente *l. quæ conditio* 39. *ff. de cond. & dem.* Non opus eſt igitur tacitâ, ac præſumptâ repetitione, cùm adjecta generalis conditio omnia legata deinceps relicta complectatur.

Si verò conjunctim legatum fuerit; utriuſ- 14
que legatum conditio ſuſpendit: non quia ſit repetita, ſed quia utrumque comprehendit, cùm conjuncti unius perſonæ poteſtate fungantur *l. planè* 34. *in princ. ff. de leg.* 1. Exempla in *l. ſi ſervo* 32. §. 1. *ff. de ſtatu lib. l. Julius* 81. *verſ. ſub eadem ff. de cond. & dem.* & licèt ſubjungat, dici poſſe conjunctionem ad demonſtrandam neceſſitudinem, non ad conjungendam conditionem pertinere: tamen id non eſſe admittendum, niſi probetur, exiſtimo, cùm repugnet Julianus in *d. l. ſi ſervo.* Verum illa exceptio 15
eſt omninò admittenda, ſi teſtator ad unum tantummodò conditionem referat, cujus perſonæ conveniat, & cohæreat. Exemplum in *l. ſi tibi* 10. *ff. de leg.* 3. ubi conditio ſpectat ad ſolos liberos quos teſtator volebat ad ſuum funus venire. Aliud in *l. ult.* §.

Digitized by Google

Sejo ff. de leg. 2. ibi quoque conditio ſpectat ad ſolum Sejum, quem teſtator voluit legato honorare, dumtaxat in caſum, ſi hæres non eſſet, ut defectum hæreditatis legato compenſaret. Hoc autem ad Marcellam uxorem, quam non inſtituerat, nihil attinet. Animadvertendum tamen, non ſufficere, ut putant, quòd conditio alteri non conveniat: nam omnis conditio congrua eſt volente teſtatore, & ſuſpendit legatum, etiamſi in perſona legatarii non poſſit impleri. Itaque in *l. mulieri & Titio* 74. *ff. de cond. & dem.* licèt conditio *ſi non nupſerit* in ſolâ muliere, non in Titio poſſit impleri, tamen ſpectat utrumque, & ad utrumque referrur, ut potè in fine poſita poſt utriuſque vocationem: & utrumque complectitur.

CAPUT V.

Ad eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Conſuetudo ſermonis patrisfamilias exquirenda ad interpretationem diſpoſitionis ambigua.*

2 *In interpretandâ voluntate potiùs reſpicitur quod paterſamilias faciebat, quàm quod facere debuerat.*

3 *Explicatur l. 3. ff. de trit. vin. & ol. leg.*

4 *Uſus teſtatoris maximè attenditur. Exempla & n. 5. 6.*

7 *In contractibus conſuetudo & uſus plurimùm valet. Exempla & n. 8.*

9 *Uſus non attenditur, quoad ea, qua teſtator praſtabat extra ordinem.*

10 *Exponitur L. Gajus Sejus 86. §. ult. ff. de leg. 2.*

11 *Explicatur L. fundi 25. §. 1. ff. de fund. inſtr. vel inſtr. leg.*

1. VEniamus ad conſuetudinem, & ad uſum patrisfamilias. Ex conſuetudine ſermonis, & ex eo, quod ſolitus eſt facere teſtator, ambigua ejus verba commodiſſimè interpretamur. Ipſum enim ſui ipſius interpretem, teſtemque certiſſimum ſuæ voluntatis adhibemus. Scitè Ulpianus in *l. ſi ſervus* 50. §. *ult. ff. de leg.* 1. *Si numerus nummorum legatus ſit; neque apparet, quales ſunt legati: ante omnia ipſius patrisfam. conſuetudo: deindè regionis, in qua verſatus eſt, exquirenda eſt.* Ante omnia inquit: rectè ſanè: eſt enim maxima vis conſuetudinis, eaque eſt quaſi altera natura, ut ait Cicero 5. de finib. Itaque plerique omnes agunt ut plurimùm id, quod agere ſoliti ſuerunt. Eleganter Plautus in *Amphitr. Act.* 1. *Sc.* 1. *Si dixero mendacium, ſolens meo more fecero.* Idem Ulpianus in *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. primo loco recenſet conſuetudinem patrisfam. Ad hanc regulam diriguntur omnia veterum reſponſa. Cùm ſervis urbanis legatis diſceptaretur, quinam ſervorum urbanorum nomine fuiſſent deſignati, notavit Paulus in *l. ſervis urbanis in princ.* 99. *ff. de leg.* 3. *dicendum autem eſt, quòd urbani intelligendi ſunt, quos paterſam. inter urbanos adnumerare ſolitus ſit: quod maximè ex libellis familia, item cibariis deprehendi poteſt*, & in *l. fundi inſtrumento* 25. *ff. de fund. inſtr. Fundi inſtrumento legato id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus ſuſtinere potuiſſet. Labeo contrà.* Javolenus Labeonis ſententiam probat, qui dicebat; *quarendum non eſſe, quid debuiſſet parari pecoris, ſed quid paratum eſſet.* Quod paterfam. faciebat, 2
ei quod facere debuerat, in voluntate ejus interpretandâ præfertur: meritò, nam quid quiſque voluerit, ex ejus facto, non ex facto aliorum deprehenditur. In *l. ſi cui annuum* 14. *ff. de ann. leg. ſi cui annuum fuerit relictum ſine adjectione ſumma: nihil videri huic adſcriptum Mela ait: ſed eſt verior Nerva ſententia: quod teſtator praſtare ſolitus fuerat, id videri relictum: ſi minùs ex dignitate perſona ſtatui oportebit.* Idem ſtatuit Valens de alimentis relictis ſine certa quantitate in *l. penult. ff. de aliment. leg. ante omnia inſpiciendum eſt, qua defunctus ſolitus erat ei praſtare: deindè quid cateris ejuſdem ordinis reliquerit.* In *l. Gajus Sejus* 86. §. 1. *ff. de leg.* 2. Paulus reſpondit: *ſi teſtator fundum Sejanum uno nomine univerſum poſſedit: quamvis eumdem diviſis partibus locaverat, univerſum eum ex cauſa fideicommiſſi praſtari oportere.*

Contrà reſpondiſſe videtur Ulpianus in 3

l. 3. *in princ. ff. de tritic. vin. & ol. leg. Si cui vinum ſit legatum centum amphorarum, cùm nullum vinum reliquiſſet: vinum hæredem empturum, & præſtaturum; non acetum, quod vini numero fuit.* Item tamen in *l.* 1. *ff. eod.* contrarium dixerat. *Vino legato acetum quoque continetur, quod paterfamilias vini numero habuit.* Contraria dicit? minimè: teſtatoris voluntas ex ipſius conſuetudine, factiſque elicienda eſt, non ex aliena conſuetudine, & uſu venditoris; qui nihil influit in animum teſtatoris; nec quicquam confert ad voluntatem ejus declarandam. Quocircà ſi teſtator vinum, & acetum habeat, quod vini numero habet, utrumque legato continetur: quoniam legando vinum, etiam de aceto cogitaſſe videtur, quo utitur tamquàm vino, & loco vini habet. At ſi neque vinum, neque acetum habeat, cùm hæres id emere debeat, nihil refert, quod emat ab eo, qui acetum vini numero habet; an ſecùs. Voluntas enim teſtatoris non pendet ab æſtimatione, & reputatione venditoris: maximè cùm ignoraverit à quo hæres foret empturus. Quinimò & ſi ipſe teſtator ſolitus fuiſſet aceto uti pro vino: nihilominùs, ſi vinum non reliquerit, hæres acetum præſtare non poterit: tunc enim neque teſtatoris conſuetudo, neque regionis attenditur *l. cùm certum* 4. *ff. de tritic. vin. & ol. leg.* Idque ſummâ ratione, quia cùm non leget vinum vel oleum quod habet, cùm non habeat, legat vinum vel oleum in genere: ac proptereà in arbitrio hæredis eſt, cujus generis vinum vel oleum velit legatario præſtare *d. l.* 4. Contrà cùm vinum, vel oleum habet; legat in ſpecie, id quod habet: & cùm cogitationem intendat ad vinum quod habet; in animo verſatur etiam acetum, quod loco vini habet. At, inquies, ſi in arbitrio hæredis eſt, præſtare vinum, quodcumque voluerit; poterit præſtare etiam acetum. Non ita eſt. Acetum vini appellatione non continetur *l. ſi quis vinum* 9. *in princ. verſ. item acetum ff. eod.* Non debet autem recedi à propriâ verborum ſignificatione, niſi cùm manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe teſtatorem *l. non aliter* 69. *in princ. ff. de leg.* 3. ergo dicendum eſt, teſtatorem legaſſe vinum, quod ex vinea natum vinum permanſit *d. l. ſi quis vinum in princ.* Itaque, ut mea fert ſententia, etiamſi quoties teſtator legat omne vinum, legato contineatur omne id, quod vini numero habuit: videlicèt, acetum, zythum, camum, cereviſia, & reliqua vina factitia *l.* 1. *& d. l. ſi quis vinum* 9. *ff. eod.* tamen ſi legaverit centum amphoras vini; & reliquerit centum, pluresve amphoras vini, quod ex vinea natum eſt: licèt reliquerit etiam acetum, zythum, & alia ejuſmodi, quæ vini numero habebat: non poterit hæres hæc vina præſtare legatario, ſed debebit centum amphoras vini, quod ex vinea natum eſt, vinumque permanſit: hoc enim propriè vini appellatione continetur *d. l. ſi quis vinum* 9.

Supereſt, ut de uſu teſtatoris nonnulla 4
dicamus. Exemplum in *l. ſi cui ædes* 31. *ff. de leg.* 3. *Si cui ædes legatæ fuerint, is omne habebit id ædificium, quod ſupra ſolum earum ædium erit.* Paulus notat ab hâc definitione Labeonis recedendum propter uſum teſtatoris. Nam ſi is aliquod conclave, quod ſupra concamerationem alterarum ædium eſſet, in uſum alterarum convertit; atque ita his uſus fuerit: alteris ædibus id accedet, alteris decedet.

Simile exemplum proponitur à Scævolâ 5
in *l. uxori* 33. *ff. eod. Uxori ſuæ inter cætera legavit: & domus eam partem, in quâ morari conſuevimus.* Reſpondit Scævola legato contineri non ſolùm cubicula, in quibus dormire conſueverat, ſed totam domum, ſi ipſe cum familiâ totâ domo utebatur ad habitandum, & nullam ejus partem locabat. Non diſſentit Papinianus in *l. prædiis* 91. *§. balneas ff. eod. Balneas legatæ domûs eſſe portionem conſtabat: quod ſi eas publicè præbuit, ita domûs eſſe portionem balneas, ſi per domum quoque intrinſecùs adirentur, & in uſu patriſfamilias, vel uxoris nonnumquàm fuerunt.* Quatuor in hâc lege requirit Papinianus, ut cenſeantur eſſe portio domûs legatæ. Contrà Paulus *lib.* 3. *rec. ſent. tit.* 8. *§.* 60. hoc unum requirit, ut balnei ratio non ſit ſeparatim à domûs ratione con-

Digitized by Google

fecta, quod contrariam domini deſtinationem oſtenderet. *Domo legata balneum ejus, quod publicè prabetur; niſi aliàs ſeparetur, legato cedit.* Hoc quidem exigit etiam Papinianus: Ibi: *& mercedes ejus inter cæteras meritoriorum domûs rationibus accepto ferebantur.* Sed Paulus pro regulâ habet, quod habet: balneum, quod publicè præbetur, legato domûs cedere, niſi aliàs ſeparetur. Papinianus autem contrariam regulam ſtatuere videtur, legato non cedere, niſi concurrant illa quatuor, quæ in eo §. diſtinctè recenſet. Quantùm autem ad hæc, non admodùm à Paulo arbitror diſcrepare: nam verba illa *niſi alias ſeparetur*, puto eadem ferè comprehendere; videlicèt & ſeparationem domûs à balneo, & ſeparationem rationum, & diſtinctionem uſûs familiæ, & ſeparationem communis conjunctûs: licèt doctiſſimus Cujacius in hujus legis interpretatione ad ſolam diſtinctionem rationum ea referat.

6 Aliud exemplum in *l. ſi quis vinum 9. in fin. cum duab. ſeqq. ff. de vin. trit. & ol. leg. Item ſi vinum vetus ſit legatum; ex uſu teſtatoris legatum æſtimabitur: id eſt, quot annorum vino, pro vetere utebatur. Quod ſi non appareat, vetus accipitur, quod non eſt novum: id eſt, & anni prioris vinum appellatione veteris continebitur.* Alia exempla vide in *l ſi quando 29. §. 1.* & in *l. inter veſtem 33. ff. de aur. & arg. leg.* in *l. 1. C. de fideicom. l. uxori 13. ff. de aur. arg. leg. l. 3. in fin. ff. de ſupellect. leg.*

7 In contractibus quoque plurimùm valet uſus & conſuetudo contrahentium, non ſolùm ad augendam, minuendamve & declarandam obligationem, ſed interdùm etiam ad eam inducendam. Si locatio domûs vel fundi, vel operarum, certâ mercede non definitâ, contrahatur, nulla eſt locatio *l. ſi vir uxori 52. in princ. ff. de don. int. vir. & uxor. l. ſi convenerit 23. in fin. ff. comm. divid. princ. tit. inſt. de locat. & cond.* Nihilominùs ſi uſu locatoris certa merces conſtituta fuerit; veluti ſi decem locare ſolitus erat, valebit locatio, & decem pro mercede debebuntur, ut rectè decidit celebris *gloſ. in l. excepto 18. C. de locat.* Verùs quidem puto legem illam agere de conſuetudine ſolvendi fructûs pro pecuniâ numeratâ; quod fieri aliquandò conſueviſſe conſtat ex *l. & hæc diſtinctio 35. §. 1. ff. locat. l. circà 19. l. ſi olei 21. l. licet 8. C. eod.* tamen non minùs verum eſſe arbitror, ſervandam eſſe conſuetudinem patrisfam. in præfiniendâ certâ mercede, ſi ea in contrahendo non fuerit conſtituta. Nam & qui locat, & qui conducit, tacitè videntur conveniſſe, ut pro ſolitâ mercede res locetur, cùm diverſam mercedem non conſtituunt: in locatione autem etiam tacitè valent conventiones *l. item quia 4. in princ. ff. de pact.* ſolâ enim conventione, conſenſuque locatio contrahitur *l. 1. l. qui ad certum 14. ff. loc. l. 2. de obl. & act. inſt. tit. de oblig. ex conſen. u. in princ.* Non minùs eſt contra naturam locationis, mercedem non conſtitui in pecuniâ numeratâ, quàm non conſtitui in certâ quantitate. *l. 1. §. ſi quis ſervum 9. verſ. ſed quia pecunia ff. depoſ. l. naturalis 5. §. at cum do 2. ff. de præſcr. verb.* & tamen conſuetudine efficitur, ut etiam in fructibus rei locatæ mercede conſtitutâ, non deſinat eſſe locatio. Nec dici poteſt, id obtinere probatâ generali conſuetudine regionis, non verò ex uſu particulari locatoris: etenim in noſt. â *l. excepto 18.* manifeſtè agitur de conſuetudine locatoris. Ibi: *juxta præteritam conſuetudinem.* Conſuetudo regionis præſens eſſe debet: conſuetudo locatoris præterita; videlicèt præcedentium annorum, quibus ſolitus erat pro eâ mercede fundum domumve locare. Sed hæc ex abundanti: nam verè non deeſt tacita conventio certæ mercedis, ut diximus: quemadmodùm non deeſt, quoties finito tempore locationis tacitè conſenſu conductio renovatur *l. legem 16. C. locat.* Porrò uſitatum eſt & quotidianum, tunc ſolummodò agi inter contrahentes de quantitate mercedis, cùm aut res non eſt ſolita locari, aut locator vult cariùs locare, ſeu conductor viliùs conducere.

Alia exempla ſunt in ſtipulatione damni 8
infecti *l. ſi finita 15. in princ. ff. de damn. inf.* Item in uſuris, ſaltem per triennium

præſtitis; nam ſi is qui ſemiſſes uſuras promiſerat, minores per multos annos præſtiterit non reclamante creditore, videtur tacitè conventum, ut minores ſolverentur *l. qui ſemiſſes* 13. *ff. de uſur.* Præſtatio annua efficit, ut in poſterum etiam debitor teneatur *l. cùm de in rem verſo* 6. *ff. eod.* verè quidem non inducit obligationem *l. ſi certis* 28. *C. de pact. l. creditor C. de uſur. l. operis* 31. *ff. de oper. libert.* ſed inducit præſumptionem obligationis jam contractæ, niſi creditor contrarium probaverit, & ita intelligenda *l. cùm de in rem verſo* 6. *ff. de uſur.* imò & inducit præſumptionem principalis obligationis *d. l.* 6. §. 1. item præſumptionem taciti pacti: nec ſolam præſumptionem, ſed ipſum pactum continet, quod in futurum etiam vires ſuas protendit, ut in *d. l. qui ſemiſſes.* & in *l. adverſus* 5. *& l. quamvis* 8. *C. de uſur.*

9 Monendum tamen eſt, vim uſûs non protrahi ad ea, quæ teſtator præſtabat extra ordinem, ut exemplis explicatur in *l. Sejo* §. 1. *&* §. *ult. ff. de ann. leg.*

10 Expendamus modò, quid poſſit opponi. Ac primùm videtur adverſari, quod ait Paulus in *l. Gajus Sejus* 86. §. *ult. ff. de legat.* 2. Teſtator fundum Sejanum in duos diviſerat; in Sejanum ſuperiorem, & Sejanum inferiorem, eoſque diverſis conductoribus locabat. Legavit fundum Sejanum. Paulus reſpondit, univerſum deberi. Facilis eſt, & prompta reſponſio. Non diviſit in duos fundos, quo caſu fieret locus electioni: ſed in duas partes, ut faciliùs conductorem poſſet invenire. Cæterùm univerſum uno nomine habuit: univerſum uno nomine poſſedit: propterea legando Sejanum, legare videtur univerſum, niſi hæres contrarium probaverit *d. l.*

11 Alterum depromi poteſt ex *l. fundi* 25. §. 1. *ff. de inſtr. vel inſtrum.* Qui figlinas in fundo habebat, majore parte anni figulis ad opus ruſticum utebatur. Legavit fundi inſtrumentum: figuli eo non continentur: deberent autem contineri ſecundùm uſum teſtatoris *l. in inſtrum.* 8. *ff. eod. junctâ l. legatis* 65. §. *ſi unus ff. de leg.* 3. Reſpond. quòd figulus, cùm ad opus ruſticum traducitur, non ad aliud artificium, ſed ad alium uſum traducitur: ac proindè non deſinit eſſe figulus, & legato figulorum contineretur; non verò legato inſtrumenti *l. textoribus* 61. *ff. de leg.* 3. Figlinas invenit Coroebus Athenienſis. Plin. *lib.* 7. *c.* 56. Figuli ſunt artifices, eorumque collegium initio urbis inſtituit Numa. Id. *lib.* 35. *c.* 12. opus ruſticum officium eſt *l. prædia* 27. §. 1. *ff. de fund. inſtr. vel inſt. leg.* De his igitur ita jus eſt. Si quis ex officio tranſeat ad artificium, veluti ſi ex cubiculario fiat coquus, extinguitur legatum, quia officium artificio mutatur; nec ille ampliùs eſt cubicularius, ſed coquus. Contrà ſi ex artificio tranſeat ad officium: veluti ſi coquus vel textor fiat cubicularius vel oſtiarius, legatum non extinguitur, quia artificium officio non mutatur; nec ille deſinit eſſe coquus, aut textor. *l. legatis* 65. *in pr. &* §. 1. *ff. de leg.* 3. *& d. l. textoribus.* Quòd ſi ex artificio tranſeat ad aliud artificium, neutrum mutatur, ut ſi ex lecticario fiat coquus *d.* §. 1. *verſ. non idem,* & tunc continetur legato ejus artificii, in quo plurimùm verſabatur *d. l.* 65. §. *ſi unus.* In noſtrâ ſpecie non tranſeunt figuli ad aliud artificium, ſed ad alium uſum traducuntur, & ideò legato figulorum, non inſtrumenti debent contineri. Quinimò teſtator ne quidem ad alium uſum traduxit, ſed voluit in artificio figlinarum exerceri ac permanere, & ne manerent otioſi ceſſante opere figlino, præter inſtitutum ad opus ruſticum utebatur. Itaque nihil mutatur quoad legatum *l. prædia* 27. §. 1. *ff. de fund. inſt. vel. inſt. leg.*

CAPUT VI.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Conſuetudo regionis magnam vim habet in contractibus.*
2 *Et in legatis.*
3 *Ex communi uſu quaſtiones à Juriſconſultis definiri ſolebant, & n.* 4. 5.

6 Res

6 *Res pluribus generibus ſubjecta ad quod referatur?*
7 *Si conſuetudo regionis non conveniat cum conſuetudine patrisfamilias, præferenda eſt conſuetudo patrisfamilias in ultimis voluntatibus.*
8 *Secùs eſt in contractibus, & n. 9.*
10 *Excipitur mandatum & locatio domûs vel fundi.*

1 CONſuetudinem patrisfamilias ſequitur conſuetudo regionis, cujus profectò magna vis eſt. *l. quòd ſi nolit* 31. §. *quia aſſidua* 20 *ff. de Ædil. ed. quia aſſidua eſt dupla ſtipulatio: idcircò placuit etiam ex empto agi poſſe, ſi duplam venditor mancipii non caveat: ea enim, quæ ſunt moris, & conſuetudinis in bonæ fidei judiciis debent venire.* Neque ſolùm in contractibus bonæ fidei, ſed etiam ſtricti juris magnam vim habet ad eos interpretandos. *l. ſemper in ſtipulationibus* 34. *ff. de R. J. Semper in ſtipulationibus, & in cæteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt; ſi non appareat, erit conſequens, ut id ſequamur, quod in regione, in quâ actum eſt, frequentatur.* Hoc intereſt inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris; quòd in illis ſupplet etiam id, quod à contrahentibus fuit omiſſum, ut in *d.* §. *quia aſſidua*: in his, quod omiſſum eſt, pro omiſſo habetur *l. quicquid adſtringendæ* 99. *ff. de V. O.* Valet igitur ſolummodò quoad interpretationem ambiguæ & obſcuræ voluntatis.

2 Hæc de contractibus: non minùs valet in legatis. Si teſtator nummos legaverit, & dubitetur, de quibus nummis ſenſerit: *ante omnia ipſius patrisfamilias conſuetudo: deindè regionis, in quâ verſatus eſt, exquirenda eſt. l. ſi ſervus plurium* 50. *ff. de leg.* 1. Idem in *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. & in *l. heredes palam* 21. §. 1. *verſ. nam etſi ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Cùm dubitaretur, an legato inſtrumento fundi, contineretur ahenum, quo aqua ad potandum calefit, & urcei, quibus aqua in ahenum infunditur, & alia hujus generis reſpondit Paulus; *optimum ergo eſſe Pedius ait, non propriam verborum ſignificationem ſcrutari, ſed in primis, quid teſtator demonſtrare voluerit: deindè in quâ præſumptione ſint, qui in quâque regione commorantur.* In *l. cùm de lanionis* 18. §. 3. *ff. de fund. inſt. vel inſtr. leg.* Præſumptionem & uſum populi præfert propriæ verborum ſignificationi. Item traditur in *l.* 3. §. *ult. ff. de ſupell. leg. hodiè propter uſum imperitorum, ſi in argento relatum ſit candelabrum argenteum, argenti eſſe videtur.* Meritò: populi enim uſus eſt arbiter loquendi. Rectè Horat. in *Art. Poët. verſ.* 71. *Si volet uſus. Quem penès arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.* Cic. in *Orator. ultra medium; uſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſervavi.* Perbellè igitur Paulus in *d. l.* 3. *in fine* ſubjicit: *& error jus facit*, hoc eſt, jus ſe accommodat populo; quoad uſum loquendi, etiamſi populus erret; quod multis exemplis Cicero declarat laudato loco. Monendum tamen eſt, quòd inſtrumentum, ſupellex, ſunt genera, quæ plurimas res complectuntur. Genus autem tùm latè patere poteſt, tùm reſtrictè contrahi: & modò plura, modò pauciora complecti. Quamobrem cùm uſus populi aliquid certo generi adſcribit, aut ab eo ſegregat, verè non recedit à propriâ ſignificatione verborum: ſed tollit omne diſcrimen, & quod dubium eſſe poterat, & controverſum certum facit atque perſpicuum. Nam ipſi veteres Juriſconſulti ſæpenumerò dubitarunt, an hoc, vel illud contineretur in aliquo genere legato, ut conſtat ex titulis *de ſupellect. leg. de inſtrum. leg. de aur. & arg. leg.* & paſſim. Sæpè etiam inter eos graviſſimæ controverſiæ extiterunt: ut conſtat ex *l.* 7. *ff. de ſupell. leg.* ex *l. qui penum* 3. § *planè &* §. *ligna ff. de pen. leg. l. pediculis* 32. §. 1. *ff. de aur. & arg. leg. l. ſcribit* 34. *in princ. eod. l. quæſitum* 12. §. *ſaltuarium, &* §. *idem reſpondit* 42. *& alibi ff. de inſt. l. inſtrum. leg. l. vinum* 15. *ff. de trit. vin. & ol. leg.* ſed ejuſmodi ſunt propè innumerabilia.

Cicero in topicis, quæ, cùm ad Trebatium Juriſconſultum ſcripſerit, exemplis à jure depromptis refellit, in argumento à genere utitur hoc exemplo. *Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata.* Contrà Ulpianus in *l. cùm aurum* 19. *ff. de aur. & arg. leg. Cùm aurum vel argentum legatum eſt, quicquid auri, argenti-* 3

Digitized by Google

quæ relictum ſit, legato continetur, ſive factum, ſive infectum: pecuniam autem ſignatam placet legato non contineri. Ac ne quis putet Ciceronem ab Ulpiano diſſentire, quòd hic ponat fuiſſe legatum *argentum* ſimpliciter: ille verò *argentum omne*: idem Ulpianus in *l. Quintus Mucius* 27. §. 1. *ff. eod. An cui argentum omne legatum eſt, nummi quoque legati eſſe videantur, quæritur: & ego puto, non contineri: non facilè enim quiſquam argenti numero nummos computat.* Verba hæc oſtendunt id fuiſſe quæſtionis, quàm ſolvit Ulpianus obſervato communi uſu. Notandum autem eſt, quòd tanta vis eſt hujus uſus & conſuetudinis, ut ab eâ non recedatur, etiamſi teſtator adjecerit ſignum, quod ex propriâ ſignificatione omnia comprehendit: illud enim alias omnes ſpecies complectitur, non verò eam, quam excludit uſus & conſuetudo regionis, quæ genus reſtringit & contrahit. Non omittam Ulpianum in hâc *l. in §. argento*, quod ad creditum optimè convenire cum Cicerone. Ait hic: *argento omni legato, quod ſuum eſſet: ſine dubio non debetur id, quod in credito eſſet: hoc ideò, quia non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit.* Ait ille: *non ſi uxori vir legavit omne argentum, quod ſuum eſſet, idcircò quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multùm enim differt, in arcâne poſitum ſit argentum; an in tabulis debeatur.*

4 Reliqua perſequamur. In *l.* 1. *ff. de alim. leg. Si alimenta fuerint legata, dici poteſt etiam aquam legato ineſſe, ſi in eâ regione fuerint legata, ubi venundari aqua ſolet.* In *l. Mela* 14. §. *ult. ff. eod.* idipſum multò diſtinctiùs explicavit. *Quidam libertis ſuis, ut alimenta, ita aquam quoque per fideicommiſſum reliquerat: conſulebar de fideicommiſſo, cùm in eâ regione Africæ, vel fortè Ægypti res agi proponebatur, ubi aqua venalis eſt. Dicebam, eſſe emolumentum fideicommiſſi, ſive quis habens ciſternas id reliquerit, ſive non: ut ſit in fideicommiſſo, quantò quis aquam ſibi eſſet comparaturus, nec videri inutile eſſe fideicommiſſum, quaſi ſervitute prædii, non poſſeſſori vicinæ poſſeſſionis relictâ, hæc enim aquâ perſonæ relinquitur.* Detractis verſiculis intermediis; neſcio à quo interjectis, clara eſt & expedita Ulpiani ſententia. Illud tantummodò, quod dicit de Ægypto, poteſt incurrere in aliquam difficultatem. Spartian. in *Peſcen. Nig. Hic erga milites tanta fuit cenſura, ut cùm apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent; reſponderit: Nilum habetis, & vinum quæritis. Siquidem tanta eſt illius fluminis dulcedo, ut accolæ vina non quærant.* Sed hoc non impedit, quominùs aqua in Ægypto venderetur: nam & vectura in remotas à Nilo regiones, & opera atque induſtria in ea defæcanda pretio æſtimatur. Nulla propè dixerim urbs eſt, aquis abundantior urbe Româ, & tamen aqua Tiberis defæcata venalis erat teſte Fabric. in *deſcript. Urb. Rom. cap.* 15.

5 Aliud exemplum Ægyptiæ conſuetudinis proponit Ulpianus in *l. ligni* 55. §. *lignorum ff. de leg.* 3. *Lignorum appellatione in quibuſdam regionibus (ut in Ægypto, ubi arundine pro ligno utuntur, & arundines, & papyrum comburitur), & herbulæ quædam, & ſpinæ, vel vepres continebuntur. Quid mirum? cum* ξύλον *lignum hoc, & naves* ξυληγὰς id eſt *lignorum vectrices appellant, quæ hæc* ἀπὸ τῶν ἑλῶν *à paludibus deducunt: in quibuſdam provinciis & editu bubum ad hanc rem utuntur.* De papyro teſtis eſt Plin. *lib.* 13. *cap.* 11. *Radicibus* (papyri) *incolæ pro ligno utuntur, nec ignis tantùm gratiâ, ſed ad alia quoque utenſilia vaſorum. Ex ipſo quidem papyro navigia texunt: & è libro vela tegeteſque: nec non & veſtem, etiam ſtragulam, & funes.* Vides ſolam radicem pro ligno habitam, papyrum autem ipſam ad alios uſus converſam. De ſpinis Ægypti idem Plin. *lib.* 24. *c.* 11. *Eſt & acacia ſpina. Fit in Ægypto, alba nigraque arbore, item viridi; ſed melior è prioribus.* Non mirum eas inter ligna cenſeri; ſi inter arbores. Naves autem ξυληγὰς ad deducenda ligna è paludibus non facilè apud alios auctores invenias eo nomine deſignatas.

6 Duplex hoc loco quæſtio ſuboritur. Prima, ad quod genus referenda ſit res legata, quoties diverſis generibus eſt ſubjecta.

Digitized by Google

Ecce ad genus veſtimentorum pertinent ea omnia, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi, injiciendi, accubandique cauſâ parata ſunt. *l. veſtis* 23. *in princ. ff. de aur. & arg. leg.* ad genus ornamentorum pertinent ea, quibus mulier ornatur. *l. argumento* 25. §. *ornamenta ff. eod.* Legata ſunt Flaviæ veſtimenta muliebria: Fauſtinæ ornamenta. Quædam ſunt, quæ corpus tegunt; idque ſimul ornant: quatenùs corpus tegunt inter veſtes numerandæ *l. argumento* 25. *in pr. ff. eod.* quatenùs ornant inter ornamenta *d. l.* 25. §. *ornamenta.* Utrius legato cedere debent, Flaviæ ne, an Fauſtinæ? Paulus in *l. quamvis* 26. *ff. eod.* ita definit: quæ eo nomine ſunt reperta, ut corpus tegant, quamvis ornatûs cauſâ comparentur, tamen veſtibus annumeranda ſunt potiùs, quàm ornamentis. Contrà ea, quibus mulieres uti cœperunt venuſtatis, & ornatûs cauſâ, licèt corpus tegant, ut mitræ, & anademata, ornamentis ſunt adſcribenda.

7 Altera quæſtio eſt, utra conſuetudo ſit præferenda; ſi conſuetudo patrisfamilias non conveniat cum conſuetudine regionis. Diſtinguendum puto inter ultimas voluntates, & contractus. In legatis, & aliis ultimis voluntatibus prævalere debet conſuetudo patrisfam. hoc ideò, quia' ejus ſolius voluntate conſtant: ac proptereà non alia voluntas ſervari debet, quàm ipſius teſtatoris. *Nov.* 22. *de nupt. cap.* 2. Voluntas autem teſtatoris ex ejus uſu & conſuetudine potiſſimùm deprehenditur. Proptereà Ulpianus in *l. ſi ſervus* 50. §. *ult. ff. de leg.* 1. *ante omnia ipſius patrisfamilias conſuetudo, deindè regionis, in quâ verſatus eſt, exquirenda eſt.* apertè docet conſuetudinem patrisfam. conſuetudini regionis eſſe præferendam. Eamdem pariter anteponit in *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. & in *l. heredes palàm* §. 1. *in fine ff. qui teſtam. fac.* In *l. pen. ff. de alim. leg. ante omnia inſpiciendum eſt, quæ defunctus ſolitus erat ei præſtare.* Plerùmque etiam ſolius conſuetudinis patrisfamilias mentionem faciunt: regionis non item; ut in *d. l. penult.* in *l. ſi cui annuum* 14. *ff. de ann. leg.* in *l. ſervis urbanis* 99. *in princ. ff. de leg.* 3. in *l. fundi inſtrumento* 25. *ff. de fund. inſtr.* ubi præfertur non ſolùm aliorum conſuetudini, ſed etiam ei, quod teſtator facere debuiſſet. Nec obſtat *l. legatis ſervis* 65. §. *ult. ff. de leg.* 3. ibi: *ex uſu cujuſque loci ſumendum eſt.* Nam ibi ſupponendum eſt deficere conſuetudinem patrisfam. de quâ vix poteſt liquere, cùm agni ſimul cum ovibus paſcantur, & ſtabulentur. Quòd ſi ex libris aut vicinis ſcripturis appareat, quas ovium numero teſtator habuerit, pro certo habeo, eas tantummodò legato contineri per text. in *l. prædii* 91. §. *Titio ff. de leg.* 3. & *l. ſervis urbanis* 99. *in princ. ff. eod.*

In contractibus multò aliter ſe res habet; 8
quia cùm hi conſtent voluntate conſenſuque utriuſque contrahentis *l. inter ſtipulantem* 83. §. 1. *ff. de V. O.* non poteſt obſervari unius tantummodò uſus & conſuetudo; quia hæc indicat quidem nobis ejus voluntatem, ſed ſola ejus voluntas non ſufficit ad contrahendum. Quamobrem Ulpianus in *l. ſemper in ſtipulationibus* 34. *ff. de reg. jur.* ait in contractibus nos ſequi debere id, quod actum eſt; videlicèt id, de quo uterque convenerit: ſi non apparet, id quod in regione, in quâ actum eſt, frequentatur. Conſuetudinis contrahentium nulla mentio, ſed ſi varius ſit uſus regionis, ad id quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt. Confer hanc legem cum *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. & perſpicuè videbis expreſſam differentiam inter contractus & legata, cùm utraque lex ſit ejuſdem Ulpiani ad Sabinum. Paulus etiam in *l. ſi prius* 17. §. 1. *ff. de aq. & aq. pluv. arc.* deficiente expreſſâ conventione, ſequendam eſſe conſuetudinem communem ſtatuit. Idem in *l.* 1. & *in l.* & *in contraria* 37. *d. ff. uſur.*

Enimverò hoc diſcrimen inter contractus 9
& legata perſpicuum erit, ſi conferas *l. inter veſtem* 33. *ff. de aur. & arg. leg. cum l. ſi mihi & Titio* 110. *ff. de V. O.* In prima teſtator legaverat veſtem muliebrem: ipſe autem domi utebatur veſte quâdam muliebri, hæc legato non continetur propter uſum teſtatoris, quo eximitur è numero veſtium muliebrium. In alterâ quidam ſtipulatus erat veſtem muliebrem: continetur etiam illa

quâ promiſſor utebatur, ejuſque uſûs nulla ratio habetur.

10 Excipitur mandatum, cui legem dat ipſe, qui mandat, cùm in gratiam ſolius mandantis contrahatur §. 1. *inſt. tit. de mand.* In hoc ſervatur uſus ipſius mandantis in *l. ſolutum* 21. *in fin. cum l. ſeq. ff. de pignor. act.* Excipitur etiam locatio fundi, vel domûs; in quâ, ſi non fuerit definita quantitas mercedis, præſumitur contracta pro mercede, quâ ſolebat locari: non ex natura contractûs, ſed quia tacitè videtur inter contrahentes ita conveniſſe, ut antè fuſiùs expoſuimus. Cæterùm in aliis omnibus, etiam in locatione, conſuetudo regionis obſervanda deficiente contrariâ conventione. *l. licet* 8. *l. excepto* 18. *& l. ſeq. C. de locato.*

CAPUT VII.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Ad interpretandam diſpoſitionem conſideranda eſt perſona teſtatoris, perſona legatarii, & res legata.*

2 *In perſona teſtatoris attenditur charitas & neceſſitudo erga hæredem, vel legatarium.*

3 *Ex eâ legata pleniſſimè interpretantur. Exponitur l. Aurelius 28. §. Titius ff. de liber. leg.*

4 *Teſtator quoad rem legatam magis diligit legatarium, quàm hæredem.*

5 *In ſubſtitutione pupillari ſpectanda eſt affectio patris teſtatoris potiùs quàm pupilli.*

6 *In ſubſtitutione pupillari quamvis pater diſponat de hæreditate tum ſuâ, tum pupilli, tamen unum eſt teſtamentum.*

7 *Neceſſitudo inter quoſcumque intercedens etiam inter affines ſpectatur ad interpretandam diſpoſitionem.*

8 *Explicatur l. cùm alienam* 10. *C. de leg. & n.* 10.

9 *Pleniſſima interpretatio legati fit etiam ob amicitiam.*

11 *Teſtatoris facultates, ars, & miniſteria examinantur ad interpretandam diſpoſitionem.*

1 NOn ſolùm conſuetudo patrisfamilias, deindè conſuetudo regionis eſt exquirenda, de quibus hactenùs: ſed & mens patrisfamilias, & legatarii dignitas, vel charitas, & neceſſitudo: item earum, quæ præcedunt, vel quæ ſequuntur, ſummarum ſcripta ſunt ſpectanda. *l. ſi ſervus plurium* 50. *§. ult. ff. de leg.* 1. Igitur & perſona teſtatoris: & perſona legatarii: & res legata: tum etiam teſtamenti contextus, & rerum in eo diſpoſitarum accuratè eſt expendendus, ut mentem teſtatoris aſſequamur.

In perſona teſtatoris potiſſimùm charitas, 2
& neceſſitudo erga hæredem vel legatarium eſt attendenda. Hâc efficitur, ut excludantur etiam hæredes inſtituti, eiſque non inſtituti præponantur, ut in *l. cùm avus* 102. *ff. de cond. & dem.* quam commendat, & amplificat Juſtinianus in *l. cùm acutiſſimi* 30. *C. de fideicomm. & in l. generaliter C. de inſt. & ſubſtit.* ſed hoc tantummodò admittitur inter parentes & liberos conjectura pietatis, hoc eſt, eximiæ charitatis, quam habent parentes erga liberos, quâ fit ut minùs ſcriptum, quàm dictum eſſe videatur *d. l. cùm avus.* ne teſtator alienas ſucceſſiones propriis anteponere videatur *d. l. cùm acutiſſimi in fin.*

Hâc eâdem affectione, & charitate fit, 3
ut pleniſſimè legata interpretanda ſint. In *l. Aurelius* 28. *§. Titius teſtamento* 3. *ff. de liber. leg.* Titius filiis hæredibus inſtitutis ita locutus eſt. *Sejum patrem meum ab actione tutelæ liberatum eſſe volo.* Quæſitum fuit, an liberatus etiam à reddendâ pecuniâ redactâ ex venditionibus rerum pupillarium, aut ex nominibus exactis, quam in uſus ſuos converterat, aut nomine ſuo fœneraverat. Reſpondit Scævola, *eum, cujus notio eſt, æſtimaturum, præſumptio enim propter naturalem affectum facit omnia patri videri conceſſa: niſi aliud ſenſiſſe teſtatorem ab hæredibus approbetur.* In hoc reſponſo illud maximè notandum, quòd in legati interpretatione ſpectatur charitas, & affectio teſtatoris erga legatarium, non erga hæredem, cujus hoc in reſponſo nulla ratio habetur. Etenim legatarius eſt pater teſtatoris; ejus filii ſunt hæredes: major autem ſolet eſſe affectio patris erga filium, quàm erga patrem. Nihilominùs affectio teſtatoris erga filios hæredes minimè conſideratur, licèt major ſit: ſed ſo-

Digitized by Google

ſummodò naturalis affectus filii erga patrem legatarium : licèt naturâ minor ſit. Ratio evidens eſt ; quia teſtator ad legandum movetur, & adducitur affectione erga legatarium, quem vult honorare *l. nec adjecit ff.*
4 *pro ſocio.* non hæredis, quem gravat. Quamobrem numquàm mihi arriſit opinio communis, quòd teſtator præſumatur hæredem magis diligere, quàm legatarium, & ideò cenſeatur quàm minimum fieri poſſit hæredem gravare voluiſſe. Magis diligit hæredem, quàm legatarium : quoad hæreditatem ? eſto. Magis diligit quoad rem legatam ? falſiſſimum. Nam, ſi rem legatam avellit ab hæreditate, eamque adimit hæredi, & dat legatario, perſpicuum eſt, in re legatâ plus diligere legatarium, quàm hæredem : imò affectionem teſtatoris in ſolum legatarium intendi, ut apparet ex laudatâ lege. Illud etiam poſſet in dubium venire, an etiam ſimpliciter, & generatim teſtator hæredem plus diligat, quàm legatarium : nam hæreditatem plerùmque relinquit quaſi debitum *l. & quia plerùmque* 10. *ff. pro ſoc.* vel quia conſentaneum eſt, convenit, decet : legatum ſemper ob meritum, amicitiam, benevolentiam. Quorſùm enim tot leges Furia teſtamentaria, Voconia, Falcidia ? niſi ut coercerent licentiam teſtatorum totam, aut ferè totam hæreditatem legatis abſorbentium? *princ. tit. inſt. de leg. Falcid.* Profectò illi magis diligebant legatarios quàm hæredes. Neque enim dici poteſt inſcienter id feciſſe, argument. *l. in fraudem* 10. *ff. qui & à quib. man.* cùm lex Voconia lata fuerit, ut occurreret fraudibus eorum, qui legem Furiam legatorum multiplicatione fruſtrabantur : & cùm ſimiliter Voconiam etiam eluderent, ferenda fuit lex Falcidia, quæ omnes fraudes amputavit. Leges autem, quibus nituntur, hanc majorem affectionem erga hæredem, quàm erga legatarium non probant. Sed hîc locus non eſt, hanc opinionem accuratiùs examinandi.

5 Confutanda potiùs eſt aliâ ineptiſſima plurium DD. opinio, quod in ſubſtitutione pupillari ſpectanda ſit affectio pupilli non patris teſtantis. Nituntur autem eâ inſulſâ ratione, quòd pupillaris ſubſtitutus pupillo ſuccedit, non patri *l. ſed ſi plures* 10. *§ ad ſubſtitutos ff. de vulg. & pup.* & ſubſtitutio pupillaris eſt teſtamentum pupilli *l. Papinianus* 8. *§. ſed nec impuberis* 5. *ff. de inoff. teſtam. l.* 1. *§.* 1. *ff. ſi cui plus quàm per leg. Falc.* Eſt quidem teſtamentum filii, ſed à patre factum *d. l. Papinianus §.* 5. & ſolâ patris voluntate nititur ; nullamque in partem filii voluntas requiritur : tum quia hâc in re nullum habet animi judicium *§. prætereà inſt. tit. quib. non eſt permiſ. fac. teſt.* tum maximè, quia facultas libera faciendi teſtamentum pro pupillo patri data eſt à lege, quia ipſe pupillus teſtamentum facere non poteſt. *princ. tit. inſt. de pupill. ſubſt. l.* 2. *in princ. ff. de vulg. & pupill.* adeòque etiam eo ignorante & invito poteſt ſubſtituere, quemcumque voluerit. Proptereà etiam poſthumis, qui nec velle, nec conſentire poſſunt, rectè ſubſtituitur *d. l.* 2. *in princ. §. non ſolùm* 4. *in fin. inſt. de pub. ſubſt.* Imò prudenter fecerit pater, ſi hanc ſubſtitutionem occultaverit ita, ut nemo poſſit ejus notitiam habere, ut conſulit *Juſtin. in §. ſin autem* 3. *inſt. eodem.* Exploratiſſimum igitur eſt, ſolâ patris voluntate conſtare ſubſtitutionem pupillarem, atque in eam nihil omninò concurrere filii voluntatem. Spectanda eſt igitur ſolâ patris voluntas. Si ejus voluntas ſpectanda eſt, ſequitur, ſpectandam pariter eſſe ejus affectionem : affectio enim ſpectatur ad explorandam voluntatem teſtantis, ut, quæ anteà diximus, & quæ poſt dicemus, oſtendunt.

Ampliùs addo : & illud omninò verum 6
non eſſe, duplex eſſe teſtamentum, alterum patris, alterum filii. Equidem duæ ſunt hæreditates, patris, & filii, de quibus pater diſponit in ſuo teſtamento : de ſua ex legibus XII. tab. de filii moribus *l.* 2. *ff. de vul.* Reſpectu duarum hæreditatum dicitur aliquandò duplex teſtamentum. Cæterùm verè unicum eſt. Juſtin. in *§. igitur inſt. de pupil.* rectè dixit : *quodammodo ſunt duo teſtamenta tamquàm ſi &c.* Verba *quodammodo & tamquàm ſi* clarè demonſtrant verè, ac propriè ita non eſſe. Subdit : *aut certè unum teſ-*

tamentum eſt duarum cauſarum, *id eſt*, *duarum hæreditatum.* Id certè eſt, id verè eſt. Ulpianus in *l.* 2. §. *prius ff. de vulg. conſtat enim unum eſſe teſtamentum, licèt duæ ſint hæreditates.* In *l. paterfamilias* 28. *ff. de reb. auctor. jud. me illud maxime movet, quòd præceptoribus tuis placet unum eſſe teſtamentum.* Meritò Javoleni præceptoribus placuit, unum eſſe teſtamentum, cujus pars eſt, pupillaris ſubſtitutio §. *liberis* 5. *inſt. eod. Teſtamentum eſt juſta ſententia de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. l.* 1. *ff. de teſtam.* Hìc eſt unicus teſtator pater, unica ejus ſententia de eo, quod poſt mortem ſuam fieri vult: ergo unicum etiam teſtamentum. Propterea unius tantùm teſtamenti in eo ſolemnitates adhibentur, & ſeptem teſtium ſigna ſufficiunt *l. patris & filii* 10. *ff. de vulg. & pup. ſubſt.* & una ſolùm Falcidia ſervatur *l. in ratione* 11. §. *quod vulgò ff. ad leg. Falc. l.* 1. §. 1. *ff. ſi cui plus.* & legatarii tum patris tum filii conjuncti ſunt *l. planè* 34. §. *ſed ſi in pupillari* 10. *ff. de leg.* 1. & qui repudiat hæreditatem patris excluditur ab hæreditate filii *l. ſed ſi plures* 10. §. *idemque ff. de vulg.* & ſi non valeat teſtamentum patris, aut rumpatur, aut irritum fiat, nec filii valere poſſit §. *liberis in fin. inſt. eod. l. ſi quis eum* 16. §. 1. *ff. eod. l.* 2. §. 1. *eod.* & pater non poteſt filio ſubſtituere, niſi & ſibi hæredem inſtituat, quia ſine hæredis inſtitutione nihil in teſtamento ſcriptum valet *l.* 1. *in fin. l.* 2. §. *prius ff. eod.* Hæc ideò, quia unum eſt teſtamentum *d. l.* 2. §. *prius verſ. conſtat enim.* & ſubſtitutio pupillaris non eſt teſtamentum per ſe diſtinctum à teſtamento patris; ſed pars eſt paterni teſtamenti *d.* §. *liberis* 5. & *l. penult. ff. teſt. quem. aper.* His conſequens eſt, ſolam voluntatem patris, qui auctor eſt, & conditor teſtamenti, eſſe ſpectandam, ejuſdem patris affectum, charitatem, neceſſitudinem prælucere. Quocircà arbitror, tenebras offundere perſpicuæ veritati eos, qui contrà ſentiunt: & in eâ quæſtione, an præferatur frater utrinque conjunctus pupillo, ei, qui ex uno tantùm latere conjunctus ſit, ex pupillari ſubſtitutione, in qua pater habens plures filios ex duplici matrimonio omnes hæredes inſtituit, & invicem ſubſtituit; certiſſimum eſſe, omnes æquè ſuccedere, quia omnes eâdem charitate ac neceſſitate conjuncti ſunt patri pupillariter ſubſtituenti: licèt pupillus magis diligere præſumatur utrimque conjunctum, cum quo major intercedit neceſſitudo. Sed reliqua jam proſequamur.

Non ſolùm neceſſitudo, quæ inter parentes & liberos intercedit, facem præfert interpretationi teſtamentariæ diſpoſitionis, ſed in 7
univerſum inter quoſcumque alios, etiam inter affines. *l. prædia* 27. §. *idem quæſiit* §. 2. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Ibi: *cum pleniſſima teſtatoris erga affinem voluntas ex eo quoque manifeſtetur.* Et quamvis major ſit cum uxore, quàm cum concubinâ neceſſitudo: tamen eadem interpretatio, quæ in legato uxori relicto admittitur; eadem & in legato facto concubinæ. Exemplum hujuſmodi legati proponitur in *l. qui concubinam* 29. *in princ. ff. de leg.* 3. ubi reprobatur opinio Caſcellii & Trebatii conſtituentium differentiam inter uxorem & concubinam, & ſequentium jus uxorium potiùs quàm verborum intelligentiam.

Aliud exemplum habemus in *l. cùm alienam* 10. *C. de legat.* Quamvis res aliena legari 8
poſſit §. *non ſolùm* 4. *inſtit. tit. de legat. l. cùm ſervus* 39. §. *conſtat* 7. *ff. de leg.* 1. tamen ſi teſtator ignorabat, rem alienam eſſe, ſuamque eſſe credebat, non tenentur hæredes eam redimere, & præſtare legatario ipſam rem, aut ejus æſtimationem: quia ſi teſtator ſciviſſet rem eſſe alienam, fortaſſe non legaſſet; & ita D. Pius reſcripſit. Ideircò deficiente teſtatoris voluntate, non valet legatum, niſi legatarius probet, aut nihilominùs eum legaturum fuiſſe, aut ſciviſſe rem alienam, *d.* §. 4. *in fin. l. unum ex familiâ* 67. §. *ſi rem* 8. *ff. de leg.* 2. *l. fideicommiſſa* 11. §. *ſi ſervo* 16. *ff. de leg.* 3. *l. Sticho* 36. *ff. de uſufr. leg.* Verùm ſi proximæ perſonæ, vel uxori, vel alii ſummâ neceſſitudine & affectione conjuncto legaverit, valet legatum, ſive ſciverit, ſive ignoraverit, rem alienam eſſe, quia nihilominùs legaturus fuiſſe præſumitur. Ita reſcripſit Imperator Alexander

Digitized by Google

in *l. cùm alienam* 10. *C. de legat.* in qua notanda ſunt illa verba : *vel alii tali perſonæ*, quæ complectuntur etiam amicitiâ, & familiaritate conjunctos. Quemadmodùm J C. utuntur verbo *neceſſitudinis*, ut in *l. ſervus* 50. *in fin. ff. de leg.* 1. & alibi. Verbum autem *neceſſitudinis* non ſolùm ad cognationem, vel affinitatem refertur ; ſed etiam ad merita, ad amicitiam, & his ſimilia. *l.* 1. *§ quin imò ff. de ſuſp. tut.* Corn. Fronto *de diff. voc. Neceſſitudo vel ſanguinis, vel meritorum cum præceptoribus, cum amicis.* Cic. *de Amicit. In amicitiæ conjunctioniſque neceſſitudine ſuperiores ſe æquare cum inferioribus debent. &* *lib.* 13. *Ep.* 14. *l. Titio Strabone Equite Romano* &c. *familiariſſime utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura ſummæ neceſſitudinis. & Epiſt.* 17. *Maximum autem mihi vinculum cum eo eſt, quaſi ſanctioris cujuſdam neceſſitudinis, quod eſt Attici noſtri familiariſſimus*; & *Epiſt.* 19. *Cum Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium vetus, quam ego neceſſitudinem ſanctè colendam puto.* & paſſim Cicero.

9 Pleniſſima igitur fieri debet interpretatio non ſolùm ob ſanguinis conjunctionem, ſed etiam amicitiæ. Scitè Cicero *de Amicit. cap* 7. *paulò poſt princ.* ait amicum eſſe tamquàm exemplar amici, & frater dicitur, qui fraternâ charitate diligitur in *l. nemo* 58. §. 1. *ff. de hered. inſt. Eccleſiaſtic.* 6. 11. *Amicus, ſi permanſerit fixus, erit tibi coæqualis.* & *Proverb.* 18. 24. *Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quàm frater.*

10 Revertor ad reſcriptum Alexandri. Contrarium reſpondit Scævola in *d. l. Sticho §. ult. ff. de uſufr. leg.* ſed Scævola reſpondit ſecundùm reſcriptum D. Pii, quod nuper emanaverat ex ſententia Neratii J C. ut indicat Papinianus in *l. unum ex familia d. §. ſi rem.* non verò ſecundùm reſcriptum Alexandri, ſecundùm quod reſpondere non poterat, quia nondum editum erat, cùm ipſe tantò antè floruerit, nempè ſub Marco Antonino, qui eo præcipuè uſus eſt in jure conſtituendo, ut refert Julius Capitolinus in ejus vitâ. Quod enim reſpondent DD. quòd ceſſaverit titulus ſpecialis, ex quo teſtator credebat rem ad ſe pertinère, ideòque non valere legatum, licèt conjunctæ perſonæ, id eſt, nepotibus relictum ; id eſt, planè commentitium, nullo jure, nullâ ratione ſuffultum. Imò contra jus : contra rationem : contra factum ipſum fictum & excogitatum. Contra jus, quia repugnat Alexandri reſcriptum in *l. cùm alienam* 10. *C. de legat.* quod generale eſt : *l.* 1. *ff. de leg. præſt.* Contra rationem ; quia ratio, cur valeat legatum rei alienæ, etiam ab ignorante relictum conjunctæ perſonæ, ea eſt, quia charitas & neceſſitudo nos cogit præſumere teſtatorem eam rem legaturum, etiam ſi ſciviſſet, eam eſſe alienam. Hæc ratio generalis eſt, & non minùs valet in hoc legato, quàm in omnibus aliis. Quid enim refert, quòd crediderit rem, quam legabat, ſuam eſſe ex aliquo titulo ſpeciali, qui fuerit extinctus : an ex titulo, quo non fuerit tranſlatum dominium ; veluti, ſi empta fuiſſet à non domino, qui dominus habebatur ? Quid hæc ad neceſſitudinem, & affectionem teſtatoris erga legatarium ? Contra factum ipſum à Scævolâ propoſitum ; proponit enim Scævola Stichum legaſſe nepotibus proprietatem, quam numquàm habuit ; cùm ipſi à patrono legatus eſſet ſolus uſusfructus : proprietas autem legata erat Lucio Titio. Fortaſsè credidit Stichus per mortem Lucii Titii proprietatem reverſam ad uſumfructum, ſeque plenam proprietatem habere ; ideòque eam nepotibus ſuis legavit ; ſed juris errore lapſus id credidit. Quocircà ſi ulla eſſet pugnantium legum diſtinctio, ſatiùs eſſet diſtinguere inter errantem in jure, & errantem in facto : ita ut ille, ſicut ignorat rem ſuam eſſe, ita ignorèt ſe poſſe hæredem onerare : ac propterèà non habeat animum onerandi hæredis. Cæterùm Scævola, cujus ætate non valebat etiam legatum conjunctæ perſonæ datum, non poterat hâc ratione moveri : movetur autem eâ ratione, quæ tunc communis erat omnibus legatis ; videlicèt, quòd legaverit potiùs, quia rem ſuam eſſe credebat, quàm quòd hæredem vellet onerare, non legaturus, ſi ſciſſet rem alienam eſſe *d. §. non ſolùm*, & aliis ſuprà allegatis.

11 Præter conjunctionem, & affectionem in perſonam teſtatoris, examinandæ ſunt etiam ejus facultates, & ars, & miniſterium *l. quæſitum* 12. §. *idem reſpondit* 43. *in fin. verſ. ſed & ipſe Papinianus ff. de fund. inſtr. vel inſt. l. cùm alimenta* 22. *in princ. ff. de alim. leg. cùm de lanionis* 18. §. 1. *ff. de inſtr. l. filii sf.* 7. §. *nonnumquàm ff. de donat. l. quidam* 30. *ff. de leg.* 2. *l. ſi filiæ* 43. *ff. de leg.* 3.

CAPUT VIII.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Dignitas legatarii conſideranda. Exempla & n.* 2.
3 *Item qualitas & conditio perſonæ. Exempla & n.* 4.
5 *Conditio Servilis variat interpretationem. Exempla.*
6 *Conciliatur L. quidam ita* 25. *in princ. ff. ad Sct. Trebell. cum l.* 3. §. *idem dicendum ff. de adim. leg. & n.* 7 8 9. 10.
11 *Officium ſive artificium, ac miniſterium aliquandò variat interpretationem. Exempla.*

SEquitur perſona legatarii, quæ ad rectam legati interpretationem plurimùm valet. In ea conſideranda eſt, tum dignitas: tum qualitas & conditio: tum officium ac miniſterium.

1 De dignitate Pomponius in *l. ſi ſervus* 50. §. *ult. ff. de leg.* 1. Ibi: *& legatarii dignitas, vel charitas, & neceſſitudo.* Dignitatem quodammodò præponit neceſſitudini. Agit de nummis legatis quales legati videantur. Finge, legati ſunt decem, aut viginti nummi Senatori, Prætori, Conſuli, vel homini nobili opulento & copioſo: veriſimile non eſt, teſtatorem voluiſſe legare decem aut viginti nummos ſeſtertios. Nummi quidem propriè & in ſpecie dicuntur ſeſtertii & ita à veteribus hoc nomen uſurpatur. Sed ſeſtertius duos aſſes cum dimidio valebat, & quaſi pro nihilo habebatur, & pretio opponitur in *l. ſi quis ante* 10. *in fin. ff. de acquir. vel am. poſſ.* & emptio ac locatio uno nummo nullæ ſunt quaſi nullo pretio interveniente. *l. ſi quis conduxerit* 46. *ff. locat. d. l.* 10. *in fin.* Cic. *pro Rabir. Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona Rabirii Poſthumi nummo ſeſtertio ſibi addici velit?* rurſùs. *Tua bona, Poſthume, nummo ſeſtertio à me addicuntur?* Celebre eſt factum eorum qui libitinam exercebant apud Valerium Max. *lib.* 5. *c.* 2. §. 10. Abhorret igitur à vero, teſtatorem tam tenui ſummâ hominem perſpicuum, aut amicum benè meritum remunerari voluiſſe. Si legatum fuiſſet relictum inopi ac plebeïo, debentur ei tot nummi ſeſtertii, qui ſunt nummi exiguiores *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. Homini fortunæ mediocris nummi argentei: illuſtri verò ac præclaro nummi aurei, quorum ſinguli centum ſeſtertios valebant. Sed hæc judex cognoſcet, & æſtimabit.

Aliud exemplum in dote legatâ filiæ arbitratu tutorum in *l. ſi filiæ* 43. *ff. de leg.* 3. *Labeo quærit, quemadmodùm appareat, quantam dotem cujuſque filiæ boni viri arbitratu conſtitui oportet. Ait id non eſſe difficile ex dignitate, facultatibus, ex numero liberorum teſtamentum facientis æſtimare.* Quò dignior pater eſt, eò dignior filia: quò locupletior pater, eò locupletior filia: facultates ex numero liberorum æſtimantur. Hæc omnia in conſtituendâ dote ſunt examinanda; ſicut etiam in decernendis alimentis *l. cùm alimenta* 22. *in princ. ff. de alim. leg.* Sed hæc obvia ſunt omnibus. Illud ſingulare eſt, quod de annuo legato tradit Marcianus in *l. cùm quidam* 23. *ff. de an. leg. Cùm quidam decurionibus diviſiones dari voluerit die natalis ſui; Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt non eſſe veriſimile teſtatorem de uno anno ſenſiſſe: ſed de perpetuo legato.* 2

Sequitur qualitas & conditio perſonæ. Primùm autem à legato excluduntur perſonæ odioſæ teſtatori: neque enim veriſimile eſt, teſtatorem honorare voluiſſe, & beneficio afficere eum, quocum ſimultates gerit. Itaque Scævola in *l. Lucius Titius* 88. §. *Lucius Titius* 11. *ff. de legat.* 2. cùm patronus libertos ſuos Damam & Pamphilum, quos domi alebat, biennio ante 3

mortem

mortem de domo dimiſiſſet,& cibaria præſtare deſiiſſet: quamvis teſtamento omnibus libertis ſuis, ſive quos teſtamento manumiſit, ſive quos antè habuit, alimenta reliquiſſet: reſpondit Damæ & Pamphylo alimenta non deberi: niſi *manifeſtè docerent, eo animo circa ſe patronum, cùm teſtamentum faceret, eſſe cepiſſe, ut his quoque legatum dari vellet.* Obſervandum eſt, eos legato non comprehendi, quamvis teſtator omnibus reliquerit, tam in vita, quàm in teſtamento manumiſſis. Meritò. Nam propter inimicitias graves poſteà exortas inter teſtatorem, & legatarium videtur ademptum legatum; niſi iterum in amicitiam redierunt, & pœnituit teſtatorem prioris offenſæ *l. 3. §. ult. & l. ſeq. ff. de adim. leg.* Hic autem Scævola non requirit graviſſimas inimicitias, quemadmodùm Ulpianus in *d. l. 3.* tum quia agitur de libertis, à quibus debetur patrono reverentia; adeòque etiam levis injuria, ſi quomodocumque patrono ſit inofficioſus, graviter vindicetur *l. 1. ff. de jure patron. l. pen. & ult. ff. de in jus voc.* tum quia ipſe patronus judicavit eos libertos indignos alimentis, cùm eos domo expulit, & deſiit alimenta præſtare.

Eſt aliud non diſſimile in *l. cum filiofami-*
4 *lias 50 ff. de leg. 3.* Mulier à marito diverterat ſuſpectam habens mariti vitam. Legavit filio ſuo impuberi, *cùm is in tutelam ſuam perveniſſet.* Hæc verba in legato dato impuberi ſolent ſignificare tempus pubertatis *d. l. in princ.* Hoc autem caſu referuntur ad liberationem à patria poteſtate, quaſi dixerit: *cùm in ſuam tutelam & poteſtatem venerit.* Neque enim veriſimile eſt teſtatricem, quæ ſuſpectam habebat mariti vitam, ac proindè ab eo diverterat, voluiſſe legatum ipſi acquiri, ut ipſum diſperderet. Porrò etiam in genere diverſa ætas diverſam inducit eorum verborum ſignificationem, variatque conditionem. Etenim impuberi adjecta comprehendit tempus pupillaris ætatis: puberi minoris ætatis: majori viginti-quinque annis liberationem à patria poteſtate: furioſo, & prodigo liberationem à poteſtate curatoris. Hæc in *d. l. in princ.* & in *quatuor §§. ſeqq.* & de ſimilibus formulis uſque ad finem legis.

Conditio quoque ſervilis aliquandò variat 5
interpretationem, ut in *l. quibus diebus 40. §. dominus ff. de cond. & dem. Dominus ſervo aureos quinque ſic legaverat: hæres meus Sticho ſervo meo quem teſtamento liberum eſſe juſſi, aureos quinque, quos in tabulis debeo, dato: nihil ſervo legatum eſſe Namuſa Servium reſpondiſſe ſcribit, quia dominus ſervo nihil debere potuiſſet: ego puto ſecundùm mentem teſtatoris naturale magis, quàm civile debitum ſpectandum eſſe.* Rectè ſanè, cùm agitur de obligatione ſervi, ſemper naturalis, non civilis obligatio, cujus capaces non ſunt, intelligi debet. Poterat & aliâ ratione Servii opinionem confutare. Nam falſa demonſtratio legatum non vitiat *l. falſa 33. ff. de cond. & dem.* & ſi quis legaverit Titio decem, quæ ipſi debet, legatum valet, etiam ſi ei nihil debeat. *l. ſi ſic legatum 75. §. 1. ff. de leg. 1.* Mirum igitur eſt, Servium eo modo reſpondiſſe. Putavit fortaſſè Servius, obligationem naturalem ſervi nullam eſſe: nullam ejus habendam eſſe rationem: ac propterea verba illa: *quos in tabulis debeo*, demonſtrare rem, quæ non eſt: & ideircò vitiare legatum, quemadmodùm nullum eſt legatum, ſi legavero decem, quæ in arca habeo, cùm nihil in arca habeam *l. 1. § ſed et ſi dotem 7. ff. de dot. præl. l. ſi ſervus 108. §. qui quinque 10. ff. de leg. 1.*

Supereſt Juliani reſponſum in *l. quidam* 6
ita 25. in princ. ff. ad S C. Trebell. Titius habens filium impuberem, filio exhæredato Cajum hæredem ſcripſerat, eumque rogaverat, ut quicquid ad eum ex ſua hæreditate perveniſſet, filio primâ quâque die, aut ſi priùs quid ei accidiſſet, matri ejus daret, redderet. Quæſitum fuit, an cùm puer deceſſiſſet ante aditam à Cajo hæreditatem, matri fideicommiſſum deberetur. Diſtinguit Julianus: ſi deceſſerit antequàm dies fideicommiſſi cederet, illud ad matrem fuiſſe translatum: ſi poſteà, ad hæredem pueri pertinere. Subdit deinceps: *ſed an ea voluntas fuit patrisfamilias, ut ſi ante reſtitutum fideicommiſſum puer deceſſiſſet, matri potiùs, quàm*

hæredibus præſtaretur, prætor æſtimabit ex perſona matris, & ex perſona hæredis pueri. Subjicit Marcellus. *Sed voluntati teſtatoris congruum eſt, quandocumque puer deceſſerit: ſive antequàm dies fideicommiſſi cedit, ſive poſteà, ad matrem transferri fideicommiſſum; ſi non jam puer hoc acceperit, eoque jure utimur.* Nimirum Marcellus conſideratâ perſonâ filii & perſonâ matris, quæ erat uxor teſtatoris, verba illa *: ſi priùs quid ei acciderit*: intelligenda eſſe putat: ſi mortuus fuerit, antequàm acceperit fideicommiſſum. Non ea refert ad diei ceſſionem, ſed ad reſtitutionem. Contra Marcellum tamen ſcripſit Ulpianus in *l. 3. §. idem dicendum ff. de adim. leg. de fideicommiſſâ hæreditate puero datâ: aut ſi ante reſtitutam deceſſiſſet, matri ejus relicta: ſi puer ante diem legati cedentem deceſſiſſet, matri debeatur: ſi poſteà ad pupilli hæredes fideicommiſſum tranſmitatur; utpotè re ipſâ morâ ſubſecutâ.* Eadem omninò ſpecies utrobique proponitur: niſi quod Julianus ponit generaliter: *Si priùs quid ei acciderit*, quod poteſt intelligi tam de ceſſione diei, quàm de reſtitutione fideicommiſſi: Ulpianus verò expreſsè: *ſi ante reſtitutam deceſſiſſet*: quod de diei ceſſione non poteſt intelligi. Nihilominùs ait, quòd ſi poſt diei ceſſionem puer deceſſit, etiamſi non fuerit ei reſtituta hæreditas, eam tranſmittit ad hæredes: hoc ideò, quia hæres, qui ſtatim die cedente puero non reſtituit, in mora eſt, quæ puero nocere non debet, & perindè habetur, ac ſi fuiſſet reſtituta. Pupillis enim & minoribus re ipſâ mora fit etiam ſine ullâ interpellatione *l. cùm verò 26. §. 1. verſ. certè minoribus ff. de fideicom. libert.* Atque id favore ætatis *l. curabit 5. C. de act. empt.* Conſtat igitur ea, quæ tradit in hâc lege Ulpianus, contraria eſſe iis, quæ ad Julianum antè notaverat Marcellus in *l. quidam ita 25.*

7 Commentitia ſunt, quæ veteres ad conciliandas has leges excogitarunt. Commentitium eſt, quod fingunt in unâ agi de fideicommiſſa hæreditate: in altera de legato particulari. In utraque enim agitur de hæreditate. Nihil apertius. In *l. quidam 25. quicquid ex hæreditate meâ ad te pervenerit.* In §. *idem dicendum. Idem dicendum eſt, etſi fideicommiſſa hæreditate puero data.* Impoſuerunt noſtris illa verba *ſi puer ante diem legati cedentem deceſſerit*, non animadvertentibus, quòd abſurdum eſt exiſtimare, Ulpianum propoſuiſſe quæſtionem de fideicommiſſâ hæreditate, & de legato decidiſſe; niſi eadem ſit utriuſque ratio, eadem deciſio. Fatuus eſt, ſi de aliâ re agit, de aliâ decidit longè diverſa. Sed longè aliter ſe res habet. In principio legis agit de legato: ſubdit in §. 1. *idem dicendum etſi fideicommiſſa hæreditas puero data.* Æquiparat igitur omninò fideicommiſſam hæreditatem legato, & ſtatuit eamdem eſſe utriuſque deciſionem: & in utroque eodem modo diſtinguit, utiturque eâdem formulâ, iiſdemque verbis: *ſi ante diem legati cedentem deceſſerit*: quâ utitur etiam Julianus in laudata *l. quidam ita.* Et quamvis Julianus nominet *fideicommiſſum*, Ulpianus autem legatum: id nihil variat, quia certum eſt, appellatione legati fideicommiſſum contineri *l. & fideicommiſſum 87. ff. de leg. 3.* & Juriſconſultos his vocibus uti promiſcuè. Præſertim, cùm agunt de diei ceſſione: quia eodem modo cedit in legatis, & in fideicommiſſis tam particularibus, quàm univerſalibus. Nam & in his dies cedere dicitur, ut in noſtra *l. quidam ita*, & in *l. ſi in perſonam 11. C. de fideicom.* Nec uſquam hâc in re differre dicuntur legata à fideicommiſſis, ſive particularibus, ſive univerſalibus: quâ de cauſâ in toto titulo *ff. qu. di. legat. vel fideicommiſſ. cedat.* ferè ſemper legata nominantur; vix umquam fideicommiſſa; legatorum enim nomine etiam fideicommiſſa comprehendunt, & quod de uno dicitur, de omnibus dictum eſſe intelligendum eſt. Ampliùs, verbum legandi ſui naturâ, & primævâ origine refertur etiam ad hæreditates *l. verbis legis 120. ff. de V. S. Verbis legis duodecim tabularum, his: uti legavit ſua rei, ita jus eſto: latiſſima poteſtas tribui videtur, & heredis inſtituendi, & legata, & libertates dandi.* Scitè Liv. *lib. 1.* de Albanorum rege. *Numitori, qui ſtirpis maximus erat regnum vetuſtum Sylvia gentis legat.* Apud noſtros etiam & portio hæreditatis legari po-

teſt. Ulpian. in *l. mulier* 22. §. *ult. ff. ad S C. Trebell. legari enim poſſe etiam portionem hereditatis placet nobis.* & pars bonorum. Paulus in *l. ſi quis bonorum* 23. *ff. de leg.* 1. *Si quis bonorum partem legaverit; ut hodie fit. l. non amplius* 26. §. 1. *ff. eod. l. cùm autem* 9. *ff. de leg.* 2.

8 Commentitium etiam id, quod protulerunt de verbis directis ad hæredem, vel ad legatarium, & quod inter ea magnum ſit diſcrimen, quoad moram inducendam. Hæc enim verane, an falſa ſint, modò non diſputo: hoc tantùm dico nihil ad rem noſtram attinere. Primùm quia in utrâque lege agitur de fideicommiſſo relicto puero, cujus favore mora re ipſâ ſubſequitur ceſſionem diei, ut paulò ante probavimus ex *l. cùm verò* 26. *ff. de fideic. libert.* & apertè Ulpianus in noſtra *l.* 3. *utpotè re ipſâ mora ſubſecuta.* In utraque igitur lege ſtatim mora committitur. Præterea falſum eſt etiam, quod *in d. l.* 3. verba non ſint directa ad hæredem, ſed ad legatarium. Etenim in ſpecie propoſitâ in antecedenti paragrapho verba manifeſtè diriguntur ad hæredem, continuat autem orationem in hoc paragrapho per hæc verba: *idem dicendum eſt*: ergo ſimilem ab eo fingi poſitionem exiſtimandum eſt. Si diverſum aut contrarium jus eſſet, cùm teſtator verba dirigit ad hæredem, ac cum ea dirigit ad legatarium, & ex hoc penderet hujus controverſiæ deciſio, debuiſſet id omninò admonere Ulpianus, aut ſaltem indicare, mutatâ poſitione; non in errorem nos inducere, eâdem poſitione continuatâ. Sed quorſùm adverſùs illos tam ſubtiliter diſputamus? Liquet, quo in errore verſentur. Non animadverterunt, nullam inter veteres eſſe diſcrepantiam, quoad quæſtionem juris; ſed ſolùm quoad facti quæſtionem, nempè voluntatis. Quoad quæſtionem juris optimè convenit inter Ulpianum & Julianum: uterque idem ſentit diſtinguendum eſſe, an puer deceſſerit ante diem legati vel fideicommiſſi cedentem; an verò poſteà: uterque idem ſtatuit tum cùm anteà, tum cùm poſteà deceſſit. Non diſſentiunt igitur, quoad quæſtionem juris. Julianus, juris quæſtione deciſâ, tranſit ad quæſtionem voluntatis, & in dubium revocat, an ea mens fuerit teſtatoris, ut, ſi ante reſtitutam hæreditatem puer deceſſiſſet, matri potiùs, quàm hæredibus præſtaretur, & ait, prætorem æſtimaturum *ex perſona matris, & ex perſona hæredis pueri.* Rectè. Nam *quæſtio voluntatis defuncti in æſtimatione judicis eſt. l. voluntatis* 7. *C. de fideic.* Marcellus autem in notis non reprobat quidem juris definitionem, ſed non admittit voluntatis quæſtionem: & putat voluntati teſtatoris congruum eſſe, transferri in matrem fideicommiſſum, quandocumque puer deceſſerit, ſi ante mortem illud non acceperit. Controverſia igitur eſt inter eos non de jure, ſed de voluntate teſtatoris.

Doctiſſimus Cujacius pro certo habet locum Ulpiani in *d.* §. *idem dicendum* debere ſuppleri ſecundùm notas Marcelli, quemadmodùm ſuppletur reſponſum Juliani in *d. l. quidam ita.* quo facto ſublata eſt omnis controverſia. Verumtamen vereor, ut ſit conſentaneum Ulpiani ſententiæ. Hoc enim dato ſequitur Ulpianum contra jus jam diù receptum reſpondiſſe: quoniam Marcellus ſcripſit multò ante Ulpianum, & ait: *eoque jure utimur.* Teſtatur igitur, uſu receptum fuiſſe, ut fideicommiſſum ad matrem transferretur, etiamſi puer deceſſiſſet poſtquàm dies fideicommiſſi ceſſiſſet. Contrà Ulpianus ait ad matrem non transferri, ſi puer decedat, poſtquàm dies legati ceſſerit. Definit igitur contra jus, quòd uſu receptum erat: & falſa nos docet. 9

Ego, ut dicam quod ſentio, puto ſpeciem propoſitam ab Ulpiano, diverſam eſſe ab ea, quam proponit Julianus; & in hoc diſcrepare, quòd Julianus agit de puero filio teſtatoris, ut clarè exprimitur in teſtamento: Ulpianus autem de puero generaliter: Ibi: *de fideicommiſſâ hereditate puero datâ.* Ante agit de legato relicto cuicumque, nempè Titio: indè ſubjicit: *idem dicendum de fideicommiſſâ hereditate puero datâ.* Eadem propè in utroque paragrapho theſis: eadem omninò deciſio: nihil igitur cauſæ eſt, eur dubitare debeamus, hîc de quocumque puero agi, ſicut ibi agitur 10

Digitized by Google

de quocumque homine. Quo fixo ac conſtituto; non poterat æſtimari ex perſona matris, & ex perſona hæredis pueri, an teſtator voluerit fideicommiſſum ad matrem transferri quandocumque mortuo puero ante reſtitutum fideicommiſſum. Non ex perſona matris, quia non ponitur uxor teſtatoris. Non ex perſona pueri, quia non ponitur filius teſtatoris. Nihil igitur in hoc §. habetur contra Julianum: multò minùs contra Marcellum, quia uſu receptum ait, in matrem transferri fideicommiſſum in ſpecie propoſitâ à Juliano; videlicèt cum filio relictum eſt fideicommiſſum, non cum extraneo: tunc enim præſumitur pater ſecundùm commune votum, piamque omnium voluntatem prætuliſſe matrem extraneis *l. nam etſi* 15. *in principio ff. de inoff. teſt.* Hæc igitur quæſtio voluntatis ad Ulpianum non attinebat propoſitâ theſi generali pueri cujuslibet: quam ideò proponit de puero, quia in eo mora re ipſa committitur.

21 Supereſt, ut de officio ſeu artificio, ac miniſterio dicamus, quod pariter aliquandò variat interpretationem. Exemplum proponit J C. in *l. plenum* 12. §. *equitii* 4. *ff. de uſu & habit.* ſi cui legatus ſit uſus equitii, non poterit is uti Circenſibus, quia quaſi locare eos videtur: ſed ſi forte ſit auriga, & teſtator, ſciens hujus eſſe inſtituti & vitæ reliquit, videtur etiam de hoc uſu ſenſiſſe. Hâc de re veteres interpretes ridicula prodiderunt ad *l. ſed etſi ſuſceperit* 52. §. 1. *ff. de judic.* & in *l. Titia Sejo* 87. *ff. de leg.* 2. in quibus agitur de legato teſſeræ frumentariæ. Exiſtimantes enim teſſeram fuiſſe menſuram frumenti, quærunt, an cenſeatur legata ipſa menſura, an frumentum, quod capit: & diſtinguunt inter diverſas perſonas, & officia legatariorum. Si legata fuerit teſſera venditori frumenti, intelligitur legata menſura, quâ poſſit admetiri frumentum, quod vendit: ſi pauperi, intelligitur legatum frumentum. Diſtinguunt etiam inter modos legandi: legata teſſera frumentaria, ipſum corpus menſuræ legatum videtur: legata teſſera frumenti, ipſum frumentum. Et quia hoc genere menſuræ ſolùm Romæ utebantur, ideò Romæ petenda erat, Romæ præſtanda *d. l. ſed ſi ſuſceperit*. Sunt hæc, & alia, quæ fingunt, abſurdiſſima: ſed illos excuſat ſæculi barbaries, & antiquitatis ignoratio: illud mirandum, doctiſſimum Manticam in eumdem errorem fuiſſe prolapſum. Teſſera non erat vas, non menſura; ſed globulus ligneus, in quo inſcriptus erat numerus modiorum frumenti, quod accipiebat à menſoribus frumentariis is, qui teſſeram à Præfecto annonæ obtinuerat, qui eas populo frumentum è publico accipienti diſtribuebat. Idcireò legatum hujuſmodi magis in quantitate, quàm in corpore conſiſtere dicitur in *d. l. Titia Sejo*: nimirum non in corpore illo ligneo, quod per ſe nihil valet, ſed in frumento, quod per illud exigitur; & ex quantitate frumenti teſſera æſtimatur, ideòque legata teſſera, videtur legata æſtimatio *l. mortuo bove* 49. §. 1. *ff. eod.* Cùm autem Romæ ſolummodo teſſeræ diſtribuerentur, itemque frumentum: Romæ ſolvi voluiſſe videtur teſtator ex genere comparationis *d. l. ſed etſi* 52. *comparationis*, id eſt, *acquiſitionis & conſecutionis.* Cic. *lib.* 2. *de finib. ſit, inquam, tam facilis, quàm vultis, voluptatis comparatio.* & *pro Muræn. non teſtium potius, quàm ſuffragatorum comparatio.* Quia verò ſolùm plebecula è publico alebatur, pauperibus tantummodò teſſera legabatur, & plerùmque libertis, quibus ſolebant alimenta legari. Sed de his uberiùs diximus *lib.* 2. *cap.* 18.

CAPUT IX.

Ad Eamdem L.

SUMMARIUM.

1 *Res ipſa legata facem præbet interpretationi voluntatis; & maximè in legato alimentorum.*

2 *Alimenta pueris vel puellis relicta uſque ad pubertatem, debentur pueris uſque ad decimum octavum, puellis uſque ad decimum quartum annum.*

3 *Trajanus inſtituit, ut pueri puellaque frumentum è publico acciperent uſque ad pubertatem. Adrianus prorogavit tempus pubertatis.*

4. *Alii quoque Imperatores hac eadem ſtatuerunt, & n.* 5.

6 *Exponitur l. cùm unus* 10. §. *ult. ff. de alim. leg.*

7 *Aliud exemplum quantitatis ex re ipſâ legatâ declarata, in legato pro operibus publicis.*
8 *Alia exempla.*
9 *Explicatur l. ſi ita teſtamento* 15. *in princ. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.*
10 *Explicatur l. quæſitum* 12. §. 43. *verſ ſed & ipſe ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.*
11 *Teſtamenti contextus examinandus ad indagandam teſtantis voluntatem.*
12 *Una pars teſtamenti aliam declarat.*
13 *Subſequentia aliquid quandòque limitant de antecedentibus: nonnumquàm ampliant.*
14 *Antecedentia nonnumquàm ampliant vel reſtringunt ſequentia, ſed rarò.*

1 PErſonæ legatarii res legata ſuccedit, quæ quandòque facem præfert voluntatis interpretationi, & maximè in legato alimentorum. Primùm enim valet legatum, etiamſi teſtator ea reliquerit non adjectâ quantitate. Res ipſa legata quantitatem & modum circiter definit. Quantùm ſufficiat ad alendum hominem non eſt incertum. Sed quia poteſt legatarius, aut parciùs, aut liberaliùs ali; idcircò modus alimentorum ſtatuendus inſpecto eo, quod ſolitus erat ei præſtare teſtator: vel quod aliis ejuſdem ordinis reliquit: ſi non appareat, pro facultatibus defuncti, & charitate ejus, & dignitate alimentarii *l. cum alimenta* 22. *in princ. ff. de alim. leg.* Idem ferè reſpondit de dote Papinianus in *l. cum poſt divortium* 69. §. *gener. ff. de jur. dot.* Gener à ſocero dotem ſtipulatus erat non adjectâ quantitate: placuit valere ſtipulationem, & ejus quantitatem pro modo facultatum patris, & dignitate mariti conſtituendam eſſe: nec ſimilem eſſe legato, vel ſtipulationi fundi, cujus corpus ignotum eſt, atque adeò valere non poſſunt; ſicut non valet ſtipulatio tritici non adjectâ certâ quantitate, niſi conſtet, de quo tritico ſenſerint contrahentes *l. triticum* 91. *ff. de V. O.*

2 Illud eſt omninò ſingulare, quòd ſi relinquantur alimenta pueris aut puellis uſque ad pubertatem; illis debentur uſque ad decimum-octavum annum; his uſque ad decimum-quartum. nam *etſi generaliter pubertas non ſic definiatur, tamen pietatis intuitu in ſola ſpecie alimentorum hoc tempus ætatis eſſe obſervandum non eſt incivile.* ita Ulpianus in *l. Mela* 14. §. 1. *ff. de alim. leg.* Hæc lex uberiori indiget explicatione, ut intelligatur, quid ſit, cur tantâ hæſitatione, tractuque verborum, id Ulpianus affirmet: primùm enim affert exemplum alimentorum, quæ dudùm pueris ac puellis dabantur: dein Adriani conſtitutionem: & tamen cunctanter affirmat, hoc tempus obſervandum eſſe. *non eſt*, inquit, *incivile.* Quod eſt hujuſmodi exemplum? Quæ Adriani conſtitutio, cujus nuſquàm fit mentio? Hæc oportet explanare.

Sciendum, quòd Trajanus clementiſſimus 3
Imperator primus inſtituit, ut pueri, puellæque frumentum è publico acciperent. Summis laudibus illum hoc nomine *Plinius* extollit in *Panegyrico c.* 26. *Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti, & quamquàm lætiſſimum oculis tuis eſſet conſpectu Romanæ ſobolis impleri: tamen antequàm te viderent, adirentve, recipi, incidi juſſiſti, ut jam indè ab infantiâ parentem publicum munere educationis experirentur.* Erat autem eorum numerus, ut idem teſtatur *c.* 28: *paulò minùs quinque millia ingenuorum fuerunt, quos liberalitas Principis noſtri conquiſivit, invenit, adſcivit*, Adrianus, qui ei ſucceſſit: *pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.* ita Spartian. *in Adriano.* Quomodò adjecit? num augendo eorum numerum? non ita. haud obſcurè innuit Spartianus eum dediſſe alimenta iis, quibus Trajanus detulerat, quorum nomina in tabulas publicas incidi juſſerat; non alios igitur adjecit, nec novos inſtituit, quemadmodùm poſteriores imperatores: ſed adjecit incrementum liberalitatis; ſcilicèt ætatem prorogando. Juſſerat Trajanus impuberes recipi atque incidi, & alimenta ſubminiſtrari, uſque ad pubertatem. Adrianus produxit tempus in feminis uſque ad decimum-quartum annum, in maribus uſque ad decimum octavum, & juſſit illis uſque ad hanc ætatem alimenta præſtari. Et hùc referenda ſunt verba Ulpiani in noſtra lege: *ſciat Adrianum conſtituiſſe, ut pueri uſque ad decimum octavum, puellæ uſque ad quartum decimum annum alantur.*

Exempla, tum Adriani in ætate ſtatuendâ, tum Trajani in adſcribendis novis pue- 4

Digitized by Google

ris ac puellis nonnulli poſteà Principes ſecuti ſunt. Capitol. *de Antonino Pio*, *Puellas alimentarias in honorem Fauſtinæ Fauſtinianas conſtituit*: & de *Antonino Philoſopho*: *Ob hanc conjunctionem pueros, & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni aſcribi præceperunt.* & infrà. *novas puellas Fauſtinianas inſtituit in honorem uxoris mortuæ.* Ait, *novas puellas* ſicut anteà dixerat: *pueros & puellas novorum hominum.* Utrumque, meâ quidem ſententiâ, idem ſignificat. *Novas* dixit, referens eas ad puellas Fauſtinianas à Pio inſtitutas: nimirum vel earum numerum auxit: vel potiùs novam claſſem puellarum adjecit, quas eodem nomine Fauſtinianas in honorem uxoris mortuæ nuncupavit. *Novorum hominum*, eodem ſenſu dixit. Hæc enim verba quæ doctiſſimis Viris magnas turbas dederunt, non aliter interpretor. *Novos homines* dixit, non referens eos ad civitatem, vel ad religionem, ut quidam crediderunt, qui vel recens cives factos, vel Chriſtianos volunt ſignificari. Retulit eos ad homines, quorum pueros, & puellas frumentariæ rei Trajanus adſcripſerat: illi veteres: hi novi: quemadmodùm novæ puellæ, quæ ab Antonino Philoſopho fuerunt adſcriptæ, dicuntur reſpectu earum quas anteà Pius elegerat. Neque doctiſſimi Salmaſii emendationem, qui legendum putat: *novorum nominum*, libens admitto. Quis enim ita loquitur? *pueros & puellas novorum nominum*? pro: *nova nomina puerorum ac puellarum.* Si nomen aliquod novum indidiſſet, ut Alexander Severus, de quo Lamprid. *in ejus vitâ*: *Puellas, & pueros, quemadmodùm Antoninus Fauſtinianas inſtituerat, Mammæanas & Mammæanos inſtituit*: non invitus admitterem, etſi dicendum potiùs eſſet: *novi nominis.* Sed Antoninus pueris ac puellis ad frumentationem adſcitis nullum nomen impoſuit, ſicut neque Trajanus, quia non in honorem cujuſquam perſonæ, undè nomen ſumerent, inſtituerunt. At enim *novorum nominum* dicuntur, quia præter illos, quorum nomina jam erant adſcripta priorum imperatorum juſſu, novè alios adſcripſit. Atqui clariùs hoc explicatur, ſi retineamus verba: *novorum hominum*, quàm ſi ſubſtituamus: *novorum nominum.* Quænam ſunt iſta nova nomina? an puerorum, & puellarum, quæ adſcripta fuerunt in tabulis? ſed nullum illis novum nomen impoſitum: ſingulis autem eadem, ut puto, nomina, quæ prioribus; niſi nomen, quod familiam diſtinguit, accipiamus. Verùm hoc quantò clariùs, & apertiùs explicant verba: *novorum hominum.* Solus Trajanus ante Antoninum pueros, & puellas ſimul adſcripſerat frumentariæ perceptioni. Præter illos & illas, alios, aliaſque Antoninus & Verus adſcribi præceperunt: ergo pueros & puellas novorum hominum: ſcilicet novos pueros, & novas puellas, præter illos & illas, quas Trajanus adſcripſerat. Nominat autem novos homines, videlicet puerorum, & puellarum parentes, & proximos, qui eos, eaſque alebant: ipſi enim frumentum ad præſtanda alimenta percipiebant: quia pueri & puellæ, qui *jam indè a binfantia* eligebantur, ut ait Plinius, neque frumentum percipere, neque ipſi ſeipſos alere poterant. Sed jam, undè digreſſa eſt oratio, revertamur; & hæc Criticis & Grammaticis diſputanda relinquamus.

Poſteriores Principes, qui novos pueros 5
& puellas allegerunt, ſecuti ſunt exemplum Adriani, quoad ætatem, ac tempus pubertatis. Perſpicuè id oſtendunt Ulpiani verba in noſtra *l. Mela.* §. 1. *Si quis exemplum alimentorum, quæ dudum pueris ac puellis dabantur, velit ſequi; ſciat Adrianum conſtituiſſe* &c. Summa rerum hæc eſt: non conſtituit Adrianus generaliter, alimenta uſque ad pubertatem præſtanda pueris & puellis deberi uſque ad annum decimum octavum ac decimum quartum: ſed in ſpecie definivit hanc ætatem in pueris ac puellis, qui Trajani inſtituto alimenta accipiebant è publico. Qui conſecuti ſunt Principes, hanc definitionem ætatis ſervarunt etiam in novis pueris ac puellis, quibus è publico alimenta præſtari præceperunt. De alimentis in teſtamento relictis, aut præſtandis à privatis uſque ad pubertatem nihil definitum fuerat ab Imperatoribus: ſed Ulpianus exemplo alimentorum, quæ è publico præſtabantur, non incivile eſſe dixit obſervare hoc tempus ætatis: & formam

ab Adriano datam publicis alimentis, & ab Alexandro Severo confirmatam, extendit ad alimenta privata à teſtatoribus relicta: & id, ut ait, *intuitu pietatis*. Mela tentaverat alimenta pueris ac puellis relicta ad tempus pubertatis reſtringere, adductus, ut puto, Imperatorum exemplo: ſed ejus opinionem refutavit Ulpianus in *eâd. l. Mela in princ.*

6 De modo alimentorum ſtatuendo occurrit etiam ſingulare Papiniani reſponſum in *l. cùm unus* 10. *§. ult. ff. de alim. leg.* Alimenta ſtatui ſolent pro facultatibus defuncti *l. cum alimenta* 21. *in princ. ff. eod.* Contrarium reſpondit Papinianus in *d. §. ult. non pro viribus hereditatis eam exhibendam eſſe.* Species ejus legis hæc eſt. Pater filium heredem inſtituit; filiam verò exheredavit, eamque juſſit eſſe contentam dote, quam ei dari juſſit, cùm nuberet: eidemque reliquit alimenta viri boni arbitratu. Reſpondit Papinianus præſtanda alimenta filiæ non pro viribus hæreditatis, à qua fuit excluſa, ſed pro modo dotis ſibi à patre relictæ. Ea enim eſt patrimonium mulieris, & datur ad ejus victus, & alimonias, ut ait Juſtinianus in *l. aſſiduis. in fine principii C. qui pot. in pign.* Itaque veriſimile eſt, patrem, qui certam ei reliquit, voluiſſe eam ali pro modo relictæ dotis; ſcilicèt ſui patrimonii: nec vir bonus aliter arbitrari debet, quàm, ut quis alatur pro viribus ſui patrimonii, quod ad ſe alendum poſſidet: itemque pro incrementis ætatis *d. l.* 10. *in fin.* & *l. alimenta* 16. *§. Baſilica ff. eod.* Ibi: *prout ætatem ampliaverit.* Sanè optimam regulam præſcripſit alimentis decernendis.

7 Ab alimentis ad opera publica tranſeamus. *Quidam in teſtamento ita ſcripſit: Reipublicæ Graviſcanorum lego in tutelam viæ reficiendæ, quæ eſt in colonia eorum uſque ad viam Aureliam.* Jubentius Celſus imperfectam eſſe dixit hanc ſcripturam: *in tutelam Aureliæ viæ*; quia ſumma adſcripta non eſt. Sed hoc nimis rigidum eſt ac durum. Res ipſa ſummam determinat. Ideò Celſus filius humaniùs reſpondit: *poteſt videri tanta ſumma legata, quanta ei rei ſufficeret.* in *l. quidam* 30. *ff. de leg.* 2. Addit quòd *officio judicis ſecundùm æſtimationem patrimonii, & legati quantitas definiri poteſt.* Graviſcæ, undè Graviſcanorum Reſpublica, oppidum in ora maritima Tuſci maris, diſtans à Pyrgis ſtadiis cxxc. à Coſſa ccc. ut Strabo *Geograph. lib.* 5. Meminit etiam Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. Mela *lib.* 2. *cap.* 4. & Cato *in Origin.* qui à gravi aëre dictum putat. Hinc Virgil. *Æneid. lib.* 10. *verſ.* 184.

Et Pyrgi veteres, intempeſtæque Graviſcæ.

Intempeſtas ob intemperiem aëris à Poëta dictas putant interpretes. Eò colonia deducta eſt à Romanis Cornelio Cethego & M. Bæbio Coſſ. Liv. *lib.* 40. *Colonia Graviſca deducta eſt in agrum Etruſcum à Tarquinienſibus quondam captum; quina jugera agri data* &c. Ideò teſtatrix legare ſe dicit *Reip. Graviſcanorum*, nam coloniæ quamdam ſpeciem Reip. Romanæ præ ſe ferebant: Decuriones Senatum Romanum repræſentabant: Duumviri duos Conſules: Ædiles, Quæſtores, quemadmodùm Romæ, creabant; & ut ait Gell. *lib.* 16. *cap.* 13. jura, inſtitutaque populi Romani non ſui arbitrii habebant. Viam igitur refici vult, quæ eſt in colonia Graviſcanorum; videlicèt in agro Etruſco ipſis diſtributo à Triumviris; uſque ad viam Aureliam. Via Aurelia à porta Aurelia protendebatur per oram maritimam Tuſciæ Piſas versùs, cujus meminit Cic. in 2. *Catilin. Phil.* XII. Non magnus igitur erat tractus viæ reficiendæ, & poterat ſufficere patrimonium teſtatricis ad ſolvendum legatum: ſin minus, diminuenda legati quantitas juxta vires patrimonii.

Quid legato contineatur res ipſa quandòque definit etiam in aliis legatis: ut in *l.* 1. *ff. de reb. dub.* factâ comparatione rerum, quarum data eſt electio legatario: in *l. filia* 28. *§.* 1. *ff. de condit. & demon.* eodem nomine impoſito, quod indicat voluntatem ſubrogandi ancillam emptam in locum ancillæ venditæ, quam legaverat: in *c. requiſiſti* 15. *de teſtam.* ubi qualitas rei legatæ declarat, cui legatum debeatur, Epiſcopo ne an Eccleſiæ. In propoſito autem duæ ſunt leges, quarum difficilis eſt explicatio. 8

Certum eſt, merces, & ea, quæ cuſtodiæ causâ aliquo loco habentur, legato rerum non contineri *l. quæſitum* 12. *§. ſed ſi qua* 29. *&* 9

Digitized by Google

§. *inſtructo* 34. *ff. de fund. inſtr. vel inſtr. leg. l. generali* 52. §. *uxori ff. de uſufr. leg.* Ne quidem ſi teſtator earum mercium fuerit mercator. Elegans eſt text. in *l. ſuos autem* 73. §. *eum qui* 4. *ff. de leg.* 3. Qui venaliciariam vitam exercebat, ſervos ſuos legavit: putat Ulpianus, legato non contineri mancipia, quæ ideò comparavit, ut illicò diſtraheret: quia *mercis magis loco, quàm ſuorum habuiſſe credendus eſt*: *habuiſſe* ait, non *fuiſſe*: nam mercis appellatione homines non continentur *l. mercis* 207. *ff. de V. S. l.* 1. §. 1. *ff. de trib. act.* Venaliciarii ſunt mangones ſervorum, mancipiorum negotiatores. *l. mercis* 207. *ff. de V. S. l. præcipiunt* 37. & *l. juſtiſſimè* 44. §. 1. *ff. de Ædil. ed.* Aliud exemplum in *l. pediculis* 32. §. *idem cùm quæreretur* 4. *ff. de aur. & arg. leg. non videri id legatum, quòd negotiandi cauſa venale proponeretur.* Aliud in *d. l. generali* §. *uxori* & §. *ſeq.* Nihilominùs in *l. ſi ita teſtamento* 15. *in princ. ff. de fund. inſtr. vel inſtrum leg.* ait Pomponius, quòd ſi legata ſint, quæ tabernarum exercendarum cauſâ facta parataque ſunt, *merces, quæ in his tabernis eſſent, legatas videri.* Id ſane res ipſa legata demonſtrat. Taberna ſine mercibus eſſe non poteſt, nec poteſt exerceri. *l. inſtructam* 185. *ff. de V. S.* & taberna pignori data, merces, quæ in ea continentur, obligari videntur, etiamſi mutentur, & aliæ ſubrogentur loco earum, quæ quotidie diſtrahuntur. *l penult. in princip. ff. de pignor.* Negotiatio enim & univerſitas mercium ſemper eſt eadem. Idem de grege dicendum, qui ſemper eſt idem, licet mutata ſint omnia capita *l. grege* 13. *in princ. ff.*
10 *eod.* Multò difficilius eſt Papiniani reſponſum in *l. quæſitum* 12. §. 43. *verſ. ſed & ipſe Papinianus ff. de fund. inſtr. vel inſtrum leg.* in quo non de taberna, ſed de domo teſtatoris agitur. Sed credendum eſt, teſtatorem, qui mercator erat, ac fœnerator, domi merces ad negotiandum ſervaſſe: domo tamquàm tabernâ uſum, quemadmodùm ſolent multi mercatores, & artifices, qui commodi cauſâ in inferiori parte ædium habent promercalia. Itaque hoc Papiniani reſponſum conſentiens eſt Pomponii ſententiæ in *d. l. ſi ita teſtamento* 15. Hoc tantùm intereſt, quòd qui legat ea, quæ tabernæ exercendæ inſtituendæque cauſâ parata ſunt, ſemper merces legato comprehendit: qui verò legat domum inſtructam, non videtur legare merces, niſi mercator ſit; & leget iis, qui mercaturam poſſint exercere: ideò enim proponitur legata domus filiis maribus non feminis, ut facultatibus ejus examinatis judex poſſit capere conjecturam, eum voluiſſe legare etiam merces. Videnda etiam, quæ diximus *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 37.

Supereſt contextus teſtamenti, rerumque 11
in eo diſpoſitarum, de quo breviter dicemus, quia in ſuperioribus ſparſim, & interciſè commeminimus. Teſtamenti verborumque contextus eſt obſervandus ad indagandam voluntatem teſtatoris, non ſingula verba captanda. Cùm enim dicimus, non eſſe recedendum à ſignificatione verborum, non hoc intelligimus, oportere verba aucupari, & ſingulorum vim, & ſignificationem excutere, aut verbo alicui inhærere; ſed quid verborum contextus, complexuſque ſignificet, diligenter attendere. In hoc enim latet voluntas, veritaſque & ſententia teſtatoris, non in aucupio verborum, & tendiculis literarum. *l. Mævia* 43. *ff. de manum. teſtam.* ibi: *contextus verborum totius ſcripturæ l. nummis* 75. *in fin. ff. de legat.* 3. *neque ex contextu teſtamentis.* Rectè: neque enim ſolùm ex una periodo, ambituque, & comprehenſione verborum; ſed ex contextu teſtamenti, & totius ſcripturæ eſt verus ſenſus & voluntas teſtatoris; aut ſaltem, quod probabile eſt, & ad verum proximè accedit. Imò etiam ex viciniis ſcripturis *l. hæredes palam* 21. §. 1. *in fin. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* veluti ex libris, & rationibus teſtatoris *l. prædiis* 91. §. *Titio ff. de leg.* 3. *l. ſervis urbanis* 99. *in princ. ff eod.* ex codicillis *l. talis ſcriptura* §. *ult. cum l. ſeq. ff. de leg.* 1. *l. Cajo Sejo* 13. *in princ. ff. de alim. legat. l.* 3. *ff. de fund. inſtr.* Et ſingulare exemplum, quod proponit Modeſtin. in *l. legatorum* 33. in §. 1. *ff. de leg.* 2. Qui plures hæredes inſtituit à quibuſdam nominatim reliquit legata, poſteà codicillos ad omnes ſcripſit. Reſpondit Modeſtinus, quòd *licèt codicillos*

codicillos

codicillos ad omnes ſcripſerit, apparet tamen ea, quæ codicillis dedit, ab his præſtanda eſſe, quos munere fungi debere teſtamento ſuo oſtendit teſtator.

Si ex vicinis ſcripturis voluntatem teſtatoris interpretari debemus: multò magis ex ipſo teſtamento. Proindè jactatur id vulgò: una pars teſtamenti aliam declarat. Nam ſæpenumero ex his, quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, eſt conjiciendum. *l. ſi ſervus plurium* 50. § *ult. in fin. ff. de leg.* 1. Exempla in *l. qui filiabus* 17. *in princ. ff. eod.* in *l. quamvis. C. de fideicom.*

13 Poſteriora enim priora reſtringuunt: & ſubſequentia plerùmque limitant aliquid de antecedentibus, ut in *l. cùm in teſtamento* 37. §. *ult. ff. de hered. inſt. Qui tres filios habebat, & ita ſcripſerit: filii mei hæredes ſunto. Publius filius meus exheres eſto: videri poteſt primâ parte duos dumtaxat filios hæredes inſtituiſſe.* Hoc maximè notandum, quia eſt contra regulam traditam in *l. ſi ita ſcriptum* 13. §. *regula* 1. *ff. de lib. & poſt. Regula eſt juris civilis, quâ conſtitutum eſt, hæreditatem adimi non poſſe. l. hereditas* 4. *C. de his quib. ut indign.* Ne in hanc regulam incurreret Julianus dixit: videri duos dumtaxat filios inſtituiſſe. Eodem modo regulam declinat Ulpianus in *l.* 1. §. *pen. ff. de his, quæ in teſtam. del. non quaſi adempta (quoniam hereditas ſemel data adimi facilè non poteſt) ſed quaſi nec data.* Rectè adjecit illud; *facilè*; nam alio teſtamento, quo primum rumpitur, certè adimitur; ſicut inductione §. *poſteriore inſt. tit. quib. mod. teſt. inf. l.* 1. *& toto tit. ff. de his, quæ in teſt. del.* Non minùs notabilis eſt textus in *l. heres meus* 100. §. 2. *ff. de leg.* 3. ubi neutrum, *quod*, junctum *argento & auro refertur etiam ad veſtes & ornamenta*, quæ non ſunt ejuſdem generis ac numeri. Sed ſuper omnes ſingularis eſt text. in *l.* 4. *in fin. ff. de pen. leg. Si ita ſcriptum ſit: omnem penum præter vinum, quod Romæ erit: ſola penus, quæ Romæ eſt, legata videtur.* Ampliant etiam aliquandò; ut in *l. qui fundum* §. *qui agrum ff. de contr. empt.* ſed rarò, niſi adjecta ſint verba: *hoc ampliùs*, aut alia ejus generis. Ac ne ea quidem aliquandò ſufficiunt, ut in *l. Aurelius* 28. §. *teſtamento* 5. *ff. de liberat. leg.*

Antecedentia quoque ampliant, & reſ- 14
tringunt ſequentia; ſed hoc rarò evenit: nam unuſquiſque priùs generatim & universè loquitur; mox diſtributè atque diſtinctè. Primò ſummatim: dein particulatim ſingula exprimuntur.

CAPUT X.

Ad l. Mela 14. §. 1. *de alim. legat.*

S U M M A R I U M.

1 *Referuntur argumenta Surdi.*
2 *Ceſſante ratione legis, ſæpe non ceſſat ipſa lex. Exempla. & n.* 3.
4 *In divitibus non ceſſat ratio frumentationis, quæ non fuit paupertas.*
5 *Nomen pietatis pro officio charitatis erga patriam, parentes, amicos à Rhetoribus & Ictis uſurpatum. & n* 6.
7 *Legatum non eſt ſtrictè interpretandum, ſed favore legatarii.*
8 *Quod minimum eſt ſequi debemus tam in legatis, quàm in aliis actibus.*
9 *Exponitur l. unum ex familia* 67. §. *ſi rem* 8. *ff. de leg.* 3.
10 *Explicatur l. Titia* 34. §. *qui invita* 5. *ff. de leg.* 2.
11 *Modus & ratio frumentationis apud Romanos. & n.* 12. 13.
14 *Frumentum è publico accipiebant non ſolì pauperes, ſed & ii, qui habebant, undè ſe alerent.*

1 CUmulum addam ſuperiori diſputationi: duas quæſtiunculas. Diximus in 1
legato alimentorum tempus pubertatis in feminis ad decimum quartum, in maſculis decimum-octavum annum fuiſſe protenſum, ex *l. Mela* 14 §. 1. *ff. de alim. vel cib. leg. Tract. de alim. priv. leg.* Dubitatur, an hæc ætas ſit obſervanda ſolùm in pauperibus, an etiam in divitibus. Movet controverſiam Surdus in *Tract. de alim. priv. leg.* 58. *n.* 8. & negat in divitibus, eiſque, qui habent undè ſe alant, eſſe ſervandam. Enimverò doctiſſimi viri auctoritas apud me plurimùm valet: ſed argumenta, quæ profert, mihi non ſine

probant. Primùm ait, quòd in divitibus ceſſat ratio legis, nempè pietatis intuitus: ergo ceſſare debet etiam ipſa lex. *l. non dubium* 5. *C. de legib.* Secundò, quòd legatum in dubio ſtrictè eſt intelligendum *l. apud Julianum* 40. §. *Sejo ff. de leg.* 1. *l. unum ex familia* 67. §. *ſi rem. ff. de legat.* 2. *l. nummis* 75. *ff. de leg.* 3. Tertiò, quòd teſtator cenſetur minùs gravare heredem, quàm ſit poſſibile *l. Titia* 34. §. *qui invita* 5. *l. unum ex familia* 67. *ff. de leg.* 2.

2 Ceſſante legis ratione, ceſſat ipſa lex. Locus herclè lubricus & periculoſus. Sæpenumero ceſſat ratio legis, nec eo minùs præcepto legis adſtringimur. Jura enim non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur *l. jura* 8. *ff. de legib.* ac proptereà ſi aliqua ſit perſona in totâ illâ univerſitate perſonarum, quam lex comprehendit, cui non conveniat ratio legis, non eximitur à præcepto legis. Lex enim eſt commune præceptum *l.* 1. *ff. de legib.* & non ſingulas perſonas, ſed univerſitatem ſpectat; ideòque ſatis eſt, rationem legis univerſitati convenire, licèt non conveniat certis quibuſdam perſonis. Licèt enim jus privatum ad ſingulorum utilitatem ſpectet §. 1. *ff. de juſt. & jur.* tamen ad eorum utilitatem reſpicit non ſeparatim, quatenùs ſinguli ſunt, ſed quatenùs ex ſingulis conſtat univerſitas. *l. ſi municipes* 2. & *l. ſicut* 7. §. 1. *ff. quod cujuſque univ.* Exemplis rem planam facio. Senatuſc. Macedonianum vetuit filioſam. mutùam dari pecuniam, ne corrumperentur mores adoleſcentium, & luxuriâ diffluerent *l.* 1. *ff. de S C. Maced.* & *quia ſæpè onerati ære alieno pecuniarum creditarum, quas in luxuriam conſumebant, vitæ parentum inſidiabantur.* §. *illud propriè* 7. *inſt. tit. quod cum eo, qui in al. poteſt.* &c. Hæc ratio locum non habet in homine frugi, & ſingularis integritatis, in filio Conſule, Prætore, Dictatore; & tamen non ceſſat in his prohibitio Senatuſconſulti *l.* 1. §. *ult. ff. de S C. Maced.* Multo magis ceſſat ratio Senatuſconſulti in filia feminâ quæ ex ea pecuniâ ornamenta comparavit, & tamen non ceſſat Senatuſconſultum. *l. ſed ſi paterſam ilias* 9. §. *hoc Senatuſconſultum ff. eod.* Ampliùs, deficit omninò ratio Senatuſconſulti, ſi pecunia, quam filius mutuam accepit, extet in ejus peculio, nec ab eo conſumpta ſit; & tamen ex S. C. actio creditori denegatur. *d.* §. *hoc Senatuſconſultum ff. eod.*

Idem propè dici poteſt de S. C. Velleïano 3
quod *opem tulit mulieribus, propter ſexûs imbecillitatem multis hujuſcemodi caſibus ſuppoſitis atque objectis.* Veriſſimum id quidem; non tamen ſemper, ſed plerùmque. Rectè Imperatores in *l. ſi pater* 4. *C. de Sponſ. cùm plerùmque etiam ipſius feminæ adverſus commoda propria inveniatur laborare conſilium.* Sunt enim multæ rerum domeſticarum prudentes & attentæ; atque ut naturâ ſunt ad rem avidiores, in adminiſtratione rei familiaris viris ipſis multò diligentiores, & induſtriores, plenæ ſagacitatis & ſolertiæ. Certè Hierocles *apud Stobæum ſerm.* 83. viris tribuit opera ruſtica, civilia, & forenſia; mulieribus autem omnia negotia domeſtica. Non paucæ etiam conſilio, & prudentiâ præſtiterunt. Mitto Semiramidem aliaſque, quæ feliciter imperarunt: inter privatas excellit Lavinia. Liv. *lib.* 1. *Tantiſper tutela muliebri* (*tanta indoles in Lavinia erat*) *res Latina, & regnum avitum, paternumque puero ſtetit.* In his certè deficeret ratio Senatuſconſulti, non tamen deficit ipſum Senatuſconſultum, quo omnes intercedere prohibentur: ſicut eâdem de causâ omnes arcentur à tutela: imò ipſæ olim erant in perpetua tutela; nec inopes conſilii dumtaxat, ſed omnes. Cic. *pro Muræn. Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt. Omnes*, inquit, non excipit providas, & ſagaces, ſuamque rem cautè, diligenterque tractantes. Idem quoque venit in reſtitutione, quæ datur minoribus. Vide *l.* 1. *in princ. ff. de minor.* ubi exponitur edicti prætorii ratio: junge §. *ult.* ejuſdem legis. Ibi: *quamvis bene rem ſuam gerentibus.* Idem in S. C. & oratione D. Severi, de qua in *l.* 1. *ff. de reb. eor.* ejuſque ratio traditur in *l.* 5. §. *in primis* 11. *ff. eod.* Ibi: *nec nimium tutoribus*

vel curatoribus credere; qui nonnumquam lucri ſui gratiâ adſeverare prætori ſolent, neceſſe eſſe diſtrahi poſſeſſiones, vel obligari. Adempta tutoribus, & curatoribus facultas alienandi res immobiles, quia nonnumquàm lucri ſui gratiâ alienabant; imò & Prætori adſeverabant alienationem eſſe neceſſariam. Obſerva verbum *nonnumquàm*: non ſemper, non omnes: interdictio tamen omnes omninò complectitur *d. l. 1. §. 2.* etiam patrem vel parentem, in quibus pietas in liberos omnem tollit omnino ſuſpicionem *l. ſi pupillorum 7. §. ſi pater ff. eod.* junctâ *l. nec in ea in fin. ff. ad leg. Juliam de adulter.* Reliqua non perſequor: ex his enim ſatis apparet, quàm fallax ſit hujuſmodi argumentum, maximè cùm agitur de perſonis; nam cùm lex genus aliquod perſonarum comprehendit, ab omnibus ejus generis perſonis eſt obſervanda, ut generalis, quamvis ad certas quaſdam perſonas ratio legis non pertineat; niſi lex ipſa ſpeciem aliquam exceperit *l. leges 3. C. de legib. c. 1. de conſtit.* Optimè D. *Paulus ad Roman. c. 3. v. 19. Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege ſunt, loquitur. Alioquin multa ex his, quæ certa ſunt, ſubvertuntur*, ut ait Neratius in *l. & ideò 21. ff. de legib.*

4 Verùm hæc potiùs diximus ad evellendum errorem in animo multorum penitùs inſitum, quàm quòd neceſſaria ſint ad refellendum clariſſimi Auctoris argumentum, quod ſuapte ſponte corruit. Falſum enim eſt, quòd in divitibus ceſſet ratio legis; quoniam potiſſima legis ratio eſt, forma data ab Adriano Imperatore, & ab Alexandro Severo confirmata in alimentis publicè præſtitis, cujus exemplum ſequitur Ulpianus, & ait non eſſe incivile, eam etiam in alimentis legatis obſervari. Ratio pietatis latiſſimè patet, præſertim erga impuberes. Cur ergo Ulpianus in ſolâ ſpecie alimentorum tempus ætatis producendum eſſe exiſtimavit? Nempè quia Imperatores in alimentis ſolummodò tempus pubertatis prorogaverant. Igitur ſententia Ulpiani fundata eſt in conſtitutionibus imperatorum, non in pietate. Solus enim pietatis intuitus, non fuiſſet idonea ratio ſive cauſa producendi tempus pubertatis, niſi illud produxiſſent Imperatores, quorum exemplo nititur Juriſconſultus.

5 Oportet etiam animadvertere nomen *pietatis* in ea lege non eſſe intelligendum de pio deorum cultu, quem propriè religionem veteres appellabant. Cic. *lib. 1. de Nat. Deor. religionem, quæ Deorum cultu pio continetur.* & *lib. 1. de legib. cultum Deorum, & puram religionem.* Quamquàm enim cultum, obſequium, officium erga Deum non rarò etiam pietatem nominarent; tamen plerùmque pietatis nomine ſignificabant cultum, officium, charitatem, benevolentiam erga patriam, parentes, propinquos. Pietatem definit Cic. *lib. 2. de invent. Pietas eſt, per quam patriæ, ſanguineque conjunctis benevolentia, officium, & diligens tribuitur cultus.* Diſtinguit autem à religione *in Partib.* hoc modo: *In communione autem quæ poſita pars eſt, juſtitia dicitur; eaque erga deos religio, erga parentes pietas nominatur.* Religio igitur ad Deum; pietas ad parentes, & conjunctos pertinet. Idem Cic. *pro C. Planc. Quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes.* & in *Somn. Scipion. Juſtitiam cole & pietatem. Quæ cùm ſit magna in parentibus & propinquis, tum in patriâ maxima eſt. Et lib. 2. de invent. Monet pietas erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine conjunctos officium conſervare.* Imò & ergà amicos benè meritos. Id. *lib. 1. epiſtol. fam. 9. ad Lentulum. Intellexi te perſpicere meam in te pietatem: quid enim dicam benevolentiam? cùm illud ipſum graviſſimum & ſanctiſſimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis eſſe videatur?* In hâc ſignificatione nomen 6
pietatis uſurpant veteres Juriſconſulti: nam quidquid faciunt pro liberis ſuis parentes; ſive alimenta præſtiterint, ſive dotem dederint, ſive eorum negotia geſſerint, ſive tutores ſuſpectos fecerint, eorum pietati tribuunt; licèt quædam lege facere teneantur, ut in *l. Neſennius 34. ff. de negot. geſt.* Ibi: *jure pietatis & cogente pietate. l. alimenta 11. C. eod. l. ult. C. de alend. l. Macedoniani 5. C. ad S C. Maced. l. 1. §. ſed ſi libertus ff. ſi quid in fraud. patron. l. liberto 31. §. quamquàm ff. de neg. geſt. l. 1. C. eod. l. uxorem 41. §. codicillis ff. de leg. 3. l. ſi extraneo 46. ff. de*

uſufr. l. cùm avus 102. *ff. de cond. & dem.* Eodem modo neceſſitudinem, charitatem, benevolentiam inter fratres, & ſorores, alioſque ſanguine conjunctos pietatem nominant *l. alumnæ* 30. *in prin. ff. de adim. legat.* Ibi: *ſororem tuam pro tua pietate & regere & tueri velis. l. ult. ff. fam. erciſc. fratres communem hæreditatem conſenſu dividentes pietatis officio funguntur. l. ex duobus* 27. *in fin. ff. de negot. geſt. l. parentes* 23. *ff. de his, qui notant. infam.* & pietas neceſſitudinis dicitur in *l.* 1. *§. his conſequens ff. de ſuſp. tut.* Etiam neceſſitudo inter maritum & uxorem pietatis nomine inſignitur. *l. cùm is* 32. *§. mulier. ff. de condict. ind.* ſeu potiùs, naturalis obligatio, quâ uxor ad dandam marito dotem obſtringitur. Hæc fuſiùs exponenda duxi, quia multi ex noſtris nomine pietatis putant demonſtrati religionem, aut miſericordiam in pauperes; cùm veteres præceptis veræ religionis haudquaquam imbuti, aliter ſenſerint, & miſericordiam definiverint *ægritudinem ex miſeria alterius injuriâ laborantis.* Cic. 4. *Tuſcul.* nempè multò ſecùs ac religionem, & pietatem. Igitur accepto nomine pietatis in hâc, quam diximus, ſignificatione, nihil refert, legatarius, cui relicta ſunt alimenta, pauper ſit an dives, ut clariùs etiam apparebit expendenti leges modò propoſitas. Porrò qui diviti legat alimenta, non adducitur ad legandum ejus indigentiâ, neque eo animo legat, ut opem ferat indigenti; ſed ut oſtendat benevolentiam, & charitatem ſuam erga legatarium, & exſequatur officium cognationis, neceſſitudinis, amicitiæ; adde etiam, ſi mavis, pietatis; plus enim eſt pietas, quàm officium, licèt ab hoc non valdè differat. Cic. *in famil. epiſt.* 1. *lib.* 1. *Ego omni officio, ac potiùs pietate erga te cæteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe numquam ſatisfacio.* Scribit Lentulo Proconſuli, non homini miſero, aut egeno, ſed de ſe optimè merito, ut ſtatim ſubjicit: *tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me meritorum &c.* Quidni pariter dicamus, teſtatorem exſequi officium, & pietatem erga legatarium propter ingentia ejus merita, licèt alimentis non indigeat, & legatum pleniſſimè interpretemur. Porrò paternæ pietatis officium & parentum munus exſequitur. Rectè Plinius de Trajano: *ut jam indè ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur* & infrà: *tantùmque omnes uni tibi, quantùm parentibus ſuis quiſque, debent.* Enimverò qui legat alimenta uſque ad pubertatem, cùm ſciat prorogatum eſſe tempus pubertatis, non poteſt videri non uſque ad illud tempus legaſſe. Cur ergo non ſequimur potiùs regulas juris ab omnibus comprobatas? Quod lex non dicit, nec nos dicere debemus *l. quod conſtitutum* 21. *ff. de teſtam. milit.* Lex generalis generaliter eſt intelligenda, & comprehendit omnia, quæ verbis continentur. *l.* 1. *ff. de legat. præſt. l.* 1. *§. quod autem ff. de aleat.* Ea quæ notabiliter fiunt, niſi ſpecialiter notentur, videntur quaſi neglecta *l. item apud Labeonem* 25. *§. hoc edictum* 26. *ff. de injur.*

Veniamus ad ſecundum argumentum, 7
legatum ſtrictè eſt interpretandum. Falſum. *In teſtamentis pleniùs voluntates teſtantium interpretantur. l. in teſtamentis* 12. *ff. de R. J.* Exempla ſunt in *l. annuam* 6. in *l. annua* 20. *in fin. l. cùm quidem* 23. *ff. de ann. leg. l. an uſusfructus* 56. *in fin. ff. de uſufr. l. ſi uſusfructus* 8. *ff. de uſufr. leg. l.* 4. *in princ. ff. de alim. leg. l. ult. ff. de uſufr. ear. rer. l. ſpecies* 15. *ff. de aur. & arg. leg. l. legatis ſervis §. ornatricibus ff. de leg.* 3. *l. quidam* 7. *in princ. ff. de trit. vin. & ol. leg.* Sunt alia exempla propè innumerabilia; nam ſi quis legata, quæ in jure noſtro proponuntur, attentiùs conſideraverit, cognoſcet multò frequentiùs pro legatario, quàm pro hærede veteres reſpondiſſe, eâ, ut arbitror, ratione, quia in legando teſtator plus favet legatario, quàm hæredi; ut patet, & aliàs diximus. Quod in legato alimentorum alibi fatetur ipſe Auctor, cùm ait illud eſſe favorabile, & largè interpretandum.

Neque contrarium probatur legibus, quæ 8
ad id probandum adducuntur. Quod enim ſtatuitur in *l. cùm ſervus* 39. *aliàs l. apud Julianum* 40. *§. ſcio ff. de leg.* 1. & in *l. nummis* 75. *in fin. ff. de leg.* 3. nihil ad rem attinet. Neque enim proprium eſt legatorum, ſed generaliter traditum eſt, & pro regula habetur:

Digitized by Google

id quod minimum eſt, nos ſequi debere. Et hæc regula obtinet non ſolùm in legatis, ſed etiam in contractibus *l. ſemper in ſtipulationibus* 34. *ff. de R. J.* in prætoriis ſtipul. *l. ult. ff. de ſtip. præt.* in ſententiis *l. inter pares* 38. §. 1. *ff. de re jud.* in compromiſſis *l. in diem* 27. §. *ſi plures ff. de rec. arbitr. c.* 1. *de arbitr. in* 6. & generaliter in omnibus *l. ſemper in obſcuris* 9. *ff. de R. J.* Hujus regulæ ea ratio redditur à Juliano: *quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt*; ſed hâc regulâ uti debemus deficientibus omnibus aliis regulis & conjecturis voluntatis contrahentium, & teſtatoris *d. l. ſemper in ſtipulationibus*, & *d. l. nummis.* Tunc enim cùm nullâ arte eorum voluntatem poſſimus expiſcari, ſatiùs eſt, mitiorem partem ſequi, & id probare, in quo certum eſt, fuiſſe conſenſum. Cùm enim minor ſumma inſit in majore *l. in eo* 110. & *l. in toto* 113. *ff. de reg. jur. l. ſi quis* 7. *in princ. ff. de except. rei judic.* & ideò in minori ſummâ numquam deeſt conſenſus *l.* 1. §. *ſi ſtipulanti l. ſi ita ſtipulatus* 11. *ff. de V. O. l.* 3. §. *ſi quis plus ff. de adim. leg.* Sed in caſu noſtro ineptum eſt, hujus regulæ ſubſidium quærere: neque enim de mente teſtatoris, ſed de mente legis diſputamus. Pendet hæc tota quæſtio à rectâ noſtræ legis explicatione: eâ rectè planèque explicatâ, ſublata eſt omnis controverſia.

9 Supereſt *l. unum ex familia* 67. §. *ſi rem* 8. *ff. de leg.* 2. quæ pro nobis facit; nam ibi pro legatario contra hæredem pronunciatur: nempè deberi rem legatam, licèt ea non ſit teſtatoris, quemamodùm ipſe exiſtimabat, ſed hæredis. Nam qui rem alienam legat, putans eſſe ſuam, præſumitur non fuiſſe legaturus, ſi ſciviſſet eſſe alienam, quemadmodùm D. Pius reſcripſit §. *non ſolùm* 4. *inſt. tit. de legat.* Hoc ideò quia Lex XII. tabularum dedit ſolummodò facultatem legandi res ſuas. *l. verbis legis ff. de V. S.* Poſteà receptum fuit rem alienam legari poſſe non per vindicationem, ſed per damnationem ſolùm. Ulp. *in fragm. tit. de legat.* §. 6. & 78. & hoc quoque pro legatario eſt, & contra hæredem, qui tenetur rem redimere, & legatario præſtare. §. *ſi res aliena* 4. *inſt. tit. de legat.* & tam grave onus ſubire. Non valet igitur legatum relictum ab ignorante rem alienam eſſe. Quid ſi res legata fuerit hæredis inſtituti? Videbatur dicendum pariter non valere, ſi teſtator ſuam eſſe exiſtimabat, ſecundùm reſcriptum D. Pii. Contrà tamen reſpondit non eſſe locum reſcripto, quia hæres non gravatur onere redimendi rem legatam. Oneratur enim hæres qui cogitur rem alienam comparare, non qui ſuam rem præſtare *d. l. unum ex familia* §. *ſi rem*, & *l. Sticho* 36. *in fin. ff. de uſufr. leg.* Faciles ergo ſunt teſtatores ad legandas res ſuas: difficiles ad legandas res alienas, & onerandos hæredes, ad eas comparandas. His accuratè perpenſis quivis intelliget, in hâc lege augeri & dilatari jus legatarii, & contrahi atque reſtringi jus hæredis: non contrà.

Tertium propemodum idem eſt, ac ſecundum: eâdemque reſponſione tollitur. Al *l. unum ex familia* jam reſpondimus. ad *l. Titia* 34. §. *qui invita* 5. *ff. de leg.* 2. pauca dicenda. Pater legat filiæ exheredatæ dotem, quam à marito ejus exegerat ſine conſenſu filiæ; cùm putaſſet exigere ſe poſſe, errore deceptus, quod ipſe eam dotem marito dederat. Non poterat autem, quia dos ab eo profecta ipſius & filiæ dos eſt. *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *ff. ſol. matrim. l. qui hominem* 34. §. *ſi gener.* 6. *ff. de ſolut.* Quæritur, quantùm poſſit filia petere à fratre ſuo hærede patris. Non poteſt dubitari eam petere poſſe, quantùm dotis nomine ſibi debetur; quoniam ipſe pater dotis exactæ debitor erat; ideòque à filio dotem petere poteſt, non legatum, quod inutile eſt. §. *ex contrario* 14. *inſt. de legat. l. ſi debitor* 11. *l. legavi* 25. §. *contrà ff. de liber. legat.* Atque hæc certa ſunt. In eâ lege dubitationem afferebat, quòd non ſimpliciter dos erat legata, ſed certa quantitas nomine dotis: hæc autem poteſt eſſe tum minor, tum æqualis, tum etiam major quantitate dotis. Si minor ſit quantitas fideicommiſſo relicta, quàm eſſet quantitas dotis, mulier contenta eſſe debet petitione dotis ſuæ. Si major, poteſt petere quantitatem ſibi relictam, & quod conſequitur uſque ad quantitatem dotis, jure proprio, jure dotis conſequitur

l. pater filiam 14. *in princ. ff. ad leg. Falcid.* quod autem excedit jure fideicommiſſi ex teſtamento *d. §. qui invita verſ. quòd ſi in ſumma.* De ſumma æquali non agit Modeſtinus ; ſed dubitari non poteſt , aut fideicommiſſum non valere , aut compenſandum ei in dotem *l. ſi cùm dotem* 22. *§. ſi pater* 3. *ff. ſolut. matrim. l. qui hominem* 34. *§. ſi gener ff. de ſolut.* Nullo autem caſu poteſt filia utrumque petere , aut conſequi ; nam cùm legatum factum ſit nomine dotis , bis dotem peteret & conſequeretur , quod eſſet iniquum *l. bona fides* 57. *ff. de reg. jur. l. nemo ex his* 43. *§.* 1. *ff. eod. l. ſi vulneraveris* 43. *ff. loc. l. qui ſervum* 34. *in princip. verſ. quoniam deſiit ff. de obl. & act.* & in propoſito dotis & legati *l. hujuſmodi* 84. *§. cùm pater* 6. *ff. de leg.* 1. Itaque quæſtionem , quæ in hâc lege proponitur , ſolvunt illa verba : *fideicommiſſum filiæ dotis nomine reliquit.* Poteſt quidem eadem quantitas in eodem teſtamento ſæpiùs legari ; ſed ex reſcripto D. Pii ſemel tantùm præſtanda eſt , niſi evidentiſſimis probationibus oſtendatur , teſtatorem multiplicare legatum voluiſſe. *l. planè* 34. *§. ſed ſi non corpus ff. de legat.* 1. Sed hîc neque bis legata dos eſt , ſed ſemel unico legato certæ ſummæ nomine dotis : neque ullæ ſunt conjecturæ , quòd teſtator voluerit præſtari ſimul & ſummam legatam , & dotem. Quin imò obſtant duæ conjecturæ , quas indicat hîc Modeſtinus. Prima eſt , quòd , cùm agatur de filio patris hærede , non eſt veriſimile , patrem voluiſſe filium onerare duplici præſtatione. Altera , quòd cùm exiſtimaverit errore ductus , ſe jure dotem exegiſſe , atque adeò extinctam eſſe dotis obligationem , non potuit cogitare filiam dotem repetituram , in quâ nullum jus eam habere putabat. Sed hæ conjecturæ adjiciuntur ex abundanti ; certum enim eſt , neminem duplici præſtatione onerandum , niſi id voluiſſe conſtet evidentiſſimis probationibus. *d. l. planè* 34. *l. Sempronius* 47. *ff. de leg.* 2. *l. pen. ff. de dot. præleg.* in quibus obſervandum , quòd onerandi verbo utuntur Juriſconſulti , cùm agunt de hærede obligando ad duplicem præſtationem, quo verbo utitur etiam Modeſtinus in noſtra lege. Hoc enim verè onus eſſet ; quemadmodùm onerari dicitur hæres , cùm obligatur ad redimendam rem alienam , ut ſuprà notavimus. Quantùm autem ad rem noſtram attinet , operæ pretium eſt animadvertere , quòd hoc non eſt præcipuum legatorum , ſed commune etiam contractibus. *Qui bis idem promittit , id eo jure ampliùs quàm ſemel non tenetur.* ait Pomponius in *l. qui bis* 18. *ff. de V. O.* Igitur communis , & generalis hæc regula , non favore hæredum conſtituta à lege , quæ voluerit hæredes minùs quàm fieri poteſt , gravare. Communis autem eſt , quia à natura ipſa procedit , & ab humanitate , quæ dictant , ſemper in dubiis benigniora eſſe præferenda *l. ſemper in dubiis* 56. *& l. capienda* 168. *ff. de R. J.* ac propterea pertinet tam ad exonerandos , quàm ad onerandos hæredes. Inſigne eſt exemplum ſententiæ , quam dixit Antoninus Auguſtus in *l.* 3. *ff. de his , quæ in teſtam. del.* quæ fundatur in hâc regulâ : *in re dubiâ benigniorem interpretationem ſequi non minùs juſtius eſt , quàm tutius.* & rurſus : *cauſa præſens admittere videtur humaniorem interpretationem.* Simile exemplum in *l.* 2. *in fin. ff. eod.* Aliud in *l. cùm inter veteres* 14. *in fin. C. de fideicom. libert.* Alia exempla peti poſſunt ex *ll.* quas ſuprà attulimus ad ſecundum argumentum. His obſervatis patet laudatam *l. Titia §. qui invita ff. de leg.* 2. nihil probare.

Altiùs igitur hujuſce quæſtionis fundamenta ſunt jacienda. Cùm enim Ulpianus in noſtra *l. Mela* ſequatur exemplum conſtitutionis Adriani circà frumentationem impuberum , operæ pretium eſt , modum , rationemque hujus frumentationis expendere. Frumentatio apud Romanos ad paſcendam plebem egenam ſub initium Reip. ſalubriter inſtituta. Primis temporibus modico pretio frumentum populo diviſum , vel aſſibus in modios , vel trientibus , & ſemiſſibus. Plin. *lib.* 18. *cap.* 3. Cornif. *ad Heren. lib.* 1. verſ. *ex definit.* Vell. Paterc. Plutarch. *in Gracch.* Primus Clodius Tribunus plebis latâ lege Clodiâ ſanxit , ut frumentum populo gratis daretur , quæ perpetuò deinde fuit obſervata. Aſcon. *in Piſon. Annonariam legem tulit , quæ fuit ſummè po-* 11

Digitized by Google

pularis, *ut frumentum populo*, *quod anteà ſemiſſe æris ac trientibus in ſingulos modios dabatur*, *gratis daretur.* Damnat hanc legem Cicero *pro P. Sextio*: *ſed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conſcriberentur* : *ut remiſſis ſemiſſibus & trientibus*, *quinta propè pars vectigalium tolleretur.* Obiter noto verba Ciceronis accipi non poſſe de univerſis vectigalibus imperii Romani. Nam quinta pars vectigalium multò majorem ſummam conficit, quàm ſit ea, quæ colligi poſſit ex ſemiſſe, & triente ſingulorum modiorum, qui populo diſtribuebantur. Finge ſingulos accepiſſe quinque modios menſtruos; conficiunt ſexaginta modios annuos: computa ſemiſſem & trientem in ſingulos modios, colliges quinquaginta aſſes. Igitur remiſſis ſemiſſibus & trientibus, quinquaginta dumtaxat aſſes unicuique remittuntur. Finge jam eos, qui frumentum è publico accipiebant, fuiſſe ad viginti & trecenta millia hominum, quot erant ante recenſum Julii Cæſaris, ut refert Sueton. in *Cæſ. cap.* 41. Computa jam: colliges ſexdecies centena millia denariorum, ſeu drachmarum. Confer modò vectigalia populi Romani. Plutarchus in *vita Pompeji* refert ipſum in triumpho tabulis oſtendiſſe Romanis ante id bellum obveniſſe ex vectigalibus πεντακισχιλίας μυριάδας, ex provinciis verò, quas ipſe ſubegerat, μυριάδας ὀκτακισχιλίας πεντακοσίας. Si calculos ſubduxeris computando ſummam minorem vectigalium ante bellum, ne triceſima quidem pars eſt, nedum quinta. An accipienda ſit ſumma aucta poſt bellum : an ea pecuniæ ſumma redigeretur ex vectigalibus ſolius Aſiæ, quod probabilius eſt; an verò totius imperii, non diſputo. Minima ſumma ſuperfluit ad id, quod propoſuimus, demonſtrandum. Si quid poſſum exiſtimare, puto verba Ciceronis intelligenda de vectigalibus decumarum frumenti, quod pendebat populo Romano Italia, Sicilia, aliæque etiam provinciæ, quo plebem Reſp. paſcebat. Ac ſi quis de pretio integro frumenti, quod Lege Clodiâ diſtribuendum erat, accipere velit, non de ſemiſſibus & trientibus dumtaxat, non valdè repugnabo; quamquàm verba aliud ſignificare videantur.

Sed jam in locum, ex quo digreſſus ſum, 12 revertor. Frumentum accipiebat plebs tenuis & inops: ad eam enim ſublevandam, itemque ſibi conciliandam Ædiles, & Tribuni, ſæpè etiam Senatus frumentationem edicebant, præſertim in ſummâ annonæ caritate. Cato minor quamvis in adminiſtratione Reip. ſeveriſſimus eſſet, tamen cùm videret Cæſarem foventem Catilinæ partes, novaſque res molientem conciliatâ ſibi plebis benevolentiâ, ſuavit Senatui, ut largitione frumenti plebem ſibi adjungeret, ut imminentem procellam declinaret. Τὸν ἄπορον, καὶ ἀνέμητον ὄχλον. *Inopem*, *& non diſtributam plebem* : inquit Plutarch. in *Caton. min.* Et *in precept. ger. Reip.* ψηφίσασθαι νεμήσεις τοῖς πένησι, *decernere diſtributionem frumenti pauperibus.* Doctiſſimus Lipſius in *Elect. lib.* 1. *c.* 8. putat hanc legem aut latam non fuiſſe aut non fuiſſe ratam. Non rectè. Non rogavit legem Cato, ſed Senatui perſuaſit, ut frumentationem decerneret ἔπεισε ψηφίσασθαι, & in eam impenderent mille ducenta quinquaginta talenta. Decrevit Senatus, frumentumque ex Senatûs decreto diſtributum eſt; & hâc largitione plebem ad ſe traxit, tempeſtatemque ſedavit. Idque Plutarch. in *Precept. Reip.* καὶ τοῦτο δοθὲν ἔσβεσε τὸν θόρυβον, καὶ κατέπαυσε τὴν ἐπανάστασιν. *Et hoc frumentum datum turbas ſedavit*, *& ſeditio ceſſavit.* Non dubito autem in annum decretam fuiſſe frumentationem, non perpetuò. ἐνιαυτοῦ. Impensâ propoſitâ à Catone poterant emi frumenti modii 750000. ſi conſtituas pretium denarii in ſingulos modios. Modius frumenti in Sicilia venibat binis aut ternis ſeſtertiis ut Cic. *lib.* 3. *in Ver.* refert. Senatus tamen Verri ſingulos denarios pro ſingulis aſſignavit, cùm tanti non eſſet annona, & poſſet duobus, aut tribus ſeſtertiis comparare. Fac Senatum in ſingulos cives quatuor modios menſtruos diſtribuiſſe : colliges numerum civium paulò plus quindecim millium ac ſexcentorum. Exiguus ſanè numerus pro tantâ civium multitudine. Itaque dicendum aut frumentum tanti non fuiſſe, aut gratis datum non fuiſſe ſecundùm ejus temporis uſum, legeſque frumentarias Semproniam, & Octaviam, de quibus Cicero *in Bruto & in* 2. *de*

Digitized by Google

offic. & Plutarch. *in Gracch.* Nec dubitandum quin Cato pro ſuâ ſeveritate ac diſciplinâ legem Octaviam ſervari voluerit, quæ & poſtrema, abrogatâ lege Semproniâ, & minùs gravis ærario erat. Hæc enim probatur, & laudatur: non minùs certè à Catone. *C. Gracchi frumentaria magna largitio fuit, exhauriebat igitur ærarium: modica M. Octavii, & Reip. tolerabilis & plebi neceſſaria; ergo & civibus & Reip. ſalutaris.* Ita Cic. in 2. *de offic.* Largitionem & plebi neceſſariam, & Reipublicæ ſalutarem ſuaſiſſe Catonem, pro certo habendum. Itaque eam collatam ſolùm in populum egenum, & non diſtributum, ut ait Plutarchus, hoc eſt, qui tribum non habebat, in quâ ſuffragium ferret. Hujuſmodi erant cives ſine ſuffragio, & novi cives, veluti ſervi recens manumiſſi, qui cenſus luſtrique tempus expectare debebant, quo à cenſoribus in aliquam tribum conjicerentur. Cavendum à Plutarchi interprete, qui verbum ἀτίμητον vertit *turbulentam*. Sit igitur hoc conſtitutum, largitionem frumenti menſtruam pauperibus civibus fuiſſe collatam. Confirmat id Dionyſius *lib.* 4. τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία. Quocircà illud Senecæ *lib.* 3. *de beneficiis cap.* 28. *Frumentum publicum tam fur quàm perjurus, & adulter accipiunt, & ſine diſcrimine morum, quiſquis civis eſt*: non ita accipiendum, quaſi omnes cives accipiant ſine diſcrimine morum, bonine, an mali ſint, dummodò cives ſint. Qui frumentum accipit, neceſſe eſt, ut civis ſit; probus, an improbus, nihil refert. Qui pro *civis* legunt *inciſus*, næ hunc ſcopulum cautè declinant.

13 Progreſſu temporis modum frumentationis laxiùs conſtituerunt, & ad omnes tenuiores cives extenderunt, & nullius etiam rei indigentes frumentationi adſcripſerunt. Cur enim Cæſar *recenſum populi, nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atque ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum è publico ad centum quinquaginta retraxit?* Sueton. in *Jul. Caſ. c.* 41. niſi ut commodè vitam agentes ab egenis ſecerneret? quamquàm eos ipſos non penitùs excluſit, ſed, ut ex illis in demortuorum locum quotannis ſubſortitio fieret; inſtituit, credo, ne in odium plebis incurreret, & novi cœtus moverentur. Sed non diu ſtetit hoc numero frumentatio. Auguſtus auxit ad ducenta millia. An credimus tot Romæ pauperes fuiſſe, qui non haberent, undè ſe alerent? Non herclè verò. Sueton. in *Auguſto cap.* 40. *Populi recenſum vicatim egit. Ac ne plebs frumentationum cauſâ frequentiùs à negotiis avocaretur, ter in annum quaternum menſium teſſeras dare deſtinavit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit, ut ſui cujuſque menſis acciperet.* Idem *de ſeipſo* ſcribit, *in magna ſterilitate impetum ſe cepiſſe frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiduciâ, cultura agrorum ceſſaret; neque tamen perſeveraſſe, quia certum haberet, poſſe per ambitionem quandòque reſtitui.* Adſcribebantur igitur frumentationi non ſolùm pauperes, ſed & qui negotiis erant impliciti, & qui terram colebant, & qui bona poſſidebant, à quorum culturâ blandimentis frumentationis avocabantur. Et his de cauſis etiam ſtante Rep. à Senatu, boniſque & prudentibus viris leges frumentariæ improbabantur, tamquàm inutiles reip. atque adeò pernicioſæ. Nihilominùs poſteriores Imperatores valdè auxerunt, ut favorem populi, ac benevolentiam ſibi conciliarent. Severus Imperator *moriens ſeptem annorum canonem, ita ut quotidiana ſeptuaginta quinque millia modiorum expendi poſſent, reliquit.* Ita Spartian. *in Sever.* Diviſis populo in ſingulos cives quinque modiis menſtruis, ali poterant quadringenta quinquaginta millia civium. Num hi omnes erant pauperes? Quid ſi cum ſummo viro, qui ad choenicem redigit alimentum diurnum hominis, extendamus ad ſexcenta civium millia? Auget numerum Lipſius, qui auctoritate P. Victoris & Joſephi colligit ſummam frumenti, quæ ex Ægypto & Africâ advehebatur Romam quotannis fuiſſe modiorum ſecenties centena millia tempore ipſius Auguſti. Fidem hiſtoricis non abrogo: abrogo doctiſſimo viro, qui putat hanc ſummam in frumentationem fuiſſe erogatam. Ego contrà ſentio: neque id dicunt hiſtorici. Victor ait: *Urbi annua inferebantur.* Joſephus

verò

Digitized by Google

verò *lib.* 2. *de Bello Judaïco* : *Africam octo menſibus populum Romanum paſcere* , *Ægyptum quaternis*; populum Romanum, non plebem frumentantem. Paſcebat populum Romanum Ægyptus: paſcebat Africa: paſcebat Sicilia. Plin. in *Panegyr. Percrebuerat antiquitùs urbem noſtram niſi opibus Ægypti ali, ſuſtentarique non poſſe. Superbiebat ventoſa & inſolens natio, quòd victorem quidem populum, paſceret tamen, quòdque in ſuo flumine, in ſuis manibus, vel abundantia noſtra, vel fames eſſet.* Obſerva: *Urbem noſtram & victorem populum.* Frumento exterarum provinciarum urbs indigebat Ægypti, Africæ, Siciliæ, ad alendam immenſam populi multitudinem. Notum eſt illud Pompeji: *navigare oportet*, *vivere non oportet*: cùm Præfectus annonæ navim infeſto mari conſcendit cunctis repugnantibus, in Sardiniam, Siciliam, Africam navigaturus ad coëmendum frumentum, & ad urbem advehendum, miſſis etiam aliò legatis, ut undecumque frumentum in urbem inferretur. Plin. in *Paneg.* & Plutarch. in *Pomp.* & alibi.

14 His, ut ad rem veniamus, efficitur, eos, qui frumentum è publico gratis accipiebant, non fuiſſe adeò pauperes, ut non haberent, undè ſe alerent. Quod maximè eveniebat in pueris & puellis à Trajano conquiſitis, qui voluit eligi ſolummodò ingenuos; cùm frumentationi plerùmque libertini adſcriberentur, adeò ut multi ſervos ſuos manumitterent, ut per eorum perſonam perciperent frumentationis emolumentum, ut notat Dionyſ. *lib.* 4. Parentis publici partes & munia ſuſcepit Trajanus, cùm eos, qui ſe per ætatem alere non poterant, alendos ſuſcepit: nec tam paupertatem quàm ætatem ſpectavit. Adrianus verò Trajani beneficium pleniſſimè eſt interpretatus, & pubertatem prorogavit ad eam ætatem, quâ commodè quilibet ſeipſum alere poteſt. Ulpianus quoque, ut pleniſſimè Imperatoris beneficium interpretaretur, illud ad legata benignè extendit. Quid cauſæ igitur eſt, cur dictum Ulpiani reſtringamus ad ſolos pauperes, cùm is, qui diviti legavit alimenta, non reſpexerit ad paupertatem, ſed ſolummodò ad ætatem? Si quis valdè locupletes ac pecunioſos exceperit, ferri quodammodò poterit? ſi quis ſolùm eos, qui non habent, undè ſe alant, comprehenderit, id verò eſt planè intolerabile.

CAPUT XI.

Ad l. quoties 12. *ff. de reb. dub. & alias.*

SUMMARIUM.

1 *Ambigua oratio in judiciis accipitur, ut actus magis valeat, quàm pereat Exempla.*
2 *Item in contractibus Exempla. & n.* 3. 4.
5 *Explicatur l. boves* 89 §. *hoc ſermone ff. de verb. ſignif.*
6 *Et in ultimis voluntatibus. Exempla in hæredis inſtitutione.*
7 *In legatis.*
8 *In fideicommiſſis. & n.* 9.
10 *Exponitur l. Marcellus* 3. §. *quidam ff. ad SC. Trebell. & l. in fideicommiſſariam.* 18. *ff. eod.*
11 *Regula obtinet dumtaxat in his, quæ pendent à noſtrâ voluntate.*
12 *Exponitur l. generali* 32. §. *filios* 1. *ff. de uſufr. leg.*
13 *Explicatur L. ubi ita* 17. *ff. de mort. cauſ. donat.*
14 *Regula prævalet aliis, quæ traduntur ad rectam interpretandi rationem. Exempla. & nn. ſeqq.*

QUoniam ſemper ex aliis alia ſuccreſcunt, mihique ſeſe offerunt explicanda; dicendum eſt aliquid de aliâ interpretandi ratione, quam nonnulli reginam vocant interpretationum: non multùm enim abeſt, ut aliis omnibus ſit præferenda. Tradita autem eſt tum in judiciis: tum in contractibus: tum denique in ultimis voluntatibus.

In judiciis in *l. quoties* 12. *ff. de reb. dub.* 1
Quoties in actionibus ambigua oratio eſt, commodiſſimum eſt id accipi, quò res, de quâ agitur, magis valeat, quàm pereat. l. ſi quis intentione 66. *ff. de judic.* Exemplum in *l. inter ſtipulantem* 83. §. 1. *ff. de V. O.* Actor Stichum petiit in judicio, & de uno certo Sticho ſe ſenſiſſe dicit; reus dicit ſe de alio Sticho ſenſiſſe. Creditur actori potiùs, quàm reo, alioquin ſemper negabit reus ſe conſenſiſſe; atque ita judicium reddetur eluſorium. Simile exemplum in *l. ſolemus* 61.

ff. de judic. Ibi : *qui ſemper ne condemnetur , dicet ſe non conveniſſe.* Facit ad rem *l. in contrahenda* 172. §. 1. *ff. de R. J.* Quare in judiciis locum non obtinet regula , quæ paſſim in jure noſtro traditur : verba interpretanda contra eum , qui ambiguè , & obſcurè dixit , cùm poſſet apertius dicere *d. l.* 172. *l. veteribus* 39. *ff. de pact. l. Labeo* 21. *l. cum in lege* 33. *ff. de contr. empt. l. cùm quæritur* 26. *ff. de reb. dub. l. ſtipulatio* 38. §. *in ſtipulationibus* 18. *l. quicquid* 99. *ff. de V. O.*

2 In contractibus in *l. quoties* 80. *ff. de V. O. Quoties in ſtipulationibus ambigua oratio eſt , commodiſſimum eſt id accipi , quò res , de quâ agitur , in tuto ſit.* in *l. ubi eſt* 21. *ff. de reb. dub. Semper in dubiis id agendum, ut quàm tutiſſimo loco res ſit bonâ fide contracta.* Exempla occurrunt quàm plurima, ex quibus hæc ſeligimus explicanda. Primum in *l. ſi tibi pecuniam* 20. *ff. de reb. cred.* Donavit ibi pecuniam, ut tu mihi eamdem crederes : neque donatio eſt, neque mutuum. Non donatio, quia non videtur donare, qui donateâ lege, ut donatarius pecuniam non ſibi habeat, ſed alteri ſolvat *l.* 5. §. *ſi quis certam* 9. *ff. de jur. dot.* maximè ſi ea lege det , ut ſibi ipſi reſtituat : neque enim dare videtur, neque nummos alienat , qui ſic dat , ut recipiat *l. qui ſic ſolvit* 55. *ff. de ſolut.* Non mutuum , quia in mutuo dantem dominum eſſe oportet, nec poteſt eſſe mutuum , niſi fiat de meo tuum *l.* 2. *ff. de reb. cred.* cùm igitur accipiens non ſit factus pecuniæ dominus ex *d. l. qui ſic ſolvit* , non poteſt eam tradendo , ac reſtituendo donatori , mutuam efficere. *l. traditio* 20. *in princ. ff. de acquir. rer. domin. l. ſi noxale* 27. *in fin. verſ. quia nullum ff. de nox. act.* maximè quia potiùs exſolvendi debiti cauſâ , ſolvit , quàm obligandi donatoris : hâc noſtrâ *l. ſi tibi verſ. quia exſolvendi.* qui autem ſolvendi debiti animo pecuniam numerat , mutuum non contrahit ; quia diſtrahendæ, non contrahendæ obligationis cauſâ ſolvit §. 1. *inſtit. tit. quib. mod. re contr. obl. l. ſi quis* 5. §. *is quoque* 3. *ff. de obl. & act.* Nihilominùs Julianus in noſtra *l. ſi tibi* 20. *in fin.* contrà decidit : *ſed hæc intelligenda ſunt propter ſubtilitatem verborum : benignius tamen eſt utrumque valere.* Non abſimile eſt , quod ſtatuit Juſtinianus in *l. un. C. ut act. ab hæred.*

Alterum exemplum in *l. ſtipulatio iſta* 38. 3
§. *hi qui ff. de V. O.* ſervus ſtipulatur ſibi habere licere ; aut per ſe non fieri, quominùs ſtipulatori habere liceat, promittit ; non valet ſtipulatio, aut promiſſio ; quia jus continet. Verbum enim *habere* jus continet, cùm ad dominium referatur : ſicut etiam verbum *poſſidere l. poſſeſſio quoque* 49. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. d. l.* 38. §. *hæc quoque* 7. Quæ autem ſunt juris, in perſona ſervi conſiſtere non poſſunt. *l. quod attinet* 38. *ff. de R. J.* Ea tamen, quæ facti ſunt , in perſona ſervi rectè conſiſtunt , ut ſi ſtipuletur , tenere ſibi licere , vel ire , agere , adeò ut hæc in dominum non tranſeant , nec ſervi perſonam egrediantur *d. l.* 32. §. *ſed cùm factum inſt. tit. de ſtip. ſerv. l. qui hæredi* 44. *ff. de cond. & dem. l. ſi ſtatu libera* 6. §. *ult. ff de ſtatu lib. l. cùm proponas* 3. *C. de hæred. inſt.* Secundùm Julianum aïebat propoſitas ſtipulationes inutiles eſſe , quia in ipſis jus verſatur. Ulpianus tamen contrà ſenſit , ac putavit ad ſuſtinendam ſtipulationem verba , *habere licere* , interpretanda , *tenere licere* : & verbum poſſidere intelligendum de naturali poſſeſſione , & nudâ detentione *d.* §. *hi qui in fin.* & §. *ſeq.* nam & *habere* aliquandò accipitur pro *tenere* §. *habere d. l.* 38. & poſſidere dicitur etiam , qui detinet ; quod facti eſt , non juris *l.* 1. § *furioſus verſ. eam enim ff. de acquir. poſſ. l.* 1. §. *Scævola* 15. *ff. ſi is qui teſtam.* atque adeò cadit etiam in ſervum, & in ſervi perſona conſiſtere poteſt hujuſmodi ſtipulatio , ſicut cùm ſtipulatur ſibi tenere licere. *d.* §. *hæc quoque.*

Addo tertium ex *l. eum qui calendis* 41.
in princ. ff. de V. O. In ſtipulationibus id 4
obſervatur , ut quod minùs eſt , quodque longiùs , in obligationem deductum videatur : quamobrem ſi quis ſtipuletur decem , aut quinque , ſola quinque debentur : ſi calendis Januariis aut Februariis , debetur calendis Februariis *l. ſi ita ſtipulatus* 12. & *l. ſi ita ſtipulatus* 109. *ff. de V. O.* ſi quis hoc anno , vel hoc menſe ſtipuletur , nihil petere poteſt , niſi toto anno , aut menſe tranſacto *l. qui hoc anno* 42. *ff. eod.* Item in ſtipulatio-

Digitized by Google

nibus cùm quæritur, quid actum ſit, verba contra ſtipulatorem interpretanda ſunt *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *in ſtipulationibus* 18. *ff. eod.* Juxta has regulas reſpondendum eſſet, eum, qui calendis ſtipulatur, nec addit, quibus calendis, non niſi remotiſſimis calendis petere poſſe; vel ſaltem in arbitrio promiſſoris eſſe, quibus calendis ſolvere velit, argum. *§ ſi quis agens* 33. *verſ. ideò autem inſtit. tit. de action. l. plerumque* 10. §. *ult. ff. de jur. dot. l. cùm is* 32. *in fin. ff. de condict. indeb. l. fidejuſſorem* 52. *in fin. ff. mand.* Hæc tamen omnia poſthabuit Ulpianus, ac reſpondit ex Sabini ſententiâ, primas ac proximas calendas eſſe ſpectandas. Quid ita? quia alioqui eſſet inutilis ſtipulatio: promiſſor enim ſemper diceret: nondùm veniſſe calendas ſolutioni deſtinatas: ſiquidem ſi remotiſſimæ calendæ ſunt accipiendæ, utique numquam venient, quia ſunt infinitæ, nec ultimæ poſſunt aſſignari; ſi verò illæ, quas promiſſor eliget, ſemper dicet ſe alias electurum, & numquam eliget. Simile exemplum affert idem Ulpianus petitum à Scævolâ in *l.* 2. §. *Scævola, alias l. non ad ea* 3. *ff. de eo quod cert. loc.* Quidam promiſit ſe daturum Epheſi, aut Capuæ. In obligationibus disjunctivis electio eſt debitoris *d.* §. *ſi quis agens* 33. *& aliis modò allegatis.* ſed ſi damus electionem reo, tollimus actionem actori, ſemper enim alium locum erit electurus. Ne igitur fiat inutilis ſtipulatio, datur electio actori, qui reo non eligente poterit agere actione arbitrariâ eo loco, quem ipſe elegerit, ut latè in *d. l.* 2. *& in* §. *ſi quis agens inſt. tit. de action.*

5 Falluntur igitur illi, qui putant regulam traditam in noſtra *l. eum qui* pendere ab aliâ regulâ traditâ in *l. boves* 89. §. *hoc ſermone ff. de V. S.* imò exemplum eſſe regulæ. Ibi enim longè diverſa quæſtio proponitur: videlicèt, an qui jubetur dare mulieri aliquid, cùm nupta erit, ſemel tantum dare debeat: ſcilicèt cùm primùm nupſerit; an toties, quoties nupſerit: & ſemel tantùm dari debere deciditur, nec iterum ſecundis nuptiis dandum eſſe, ut in *l. cùm pater* 77. §. *pater certam* 9. *ff. de legat.* 2. & clariùs in *l. dotis promiſſio* 68. *in fin. ff. de jure dot. l. ſi ſocius* 81. *verſ. nec ſi prior. ff. pro ſoc.* Primæ autem nuptiæ ſpectandæ ſunt, quia veriſimile eſt, de iis actum fuiſſe, cùm incertum ſit, an ſecunda futuræ ſint, & ideò plerùmque in primo actu voluntas diſponentis eſt exequenda, ne in irritum recidat, ſi ſecundus non superveniat *l. ſervi electione* 5. *in princ. ff. de leg.* 1. *l. apud Aufidium* 20. *ff. de opt. legat. l. matrimonii* 21. *ff. qui & à quib. l. ſtipulatio de dote* 63. *ff. de jur. dot.* Cæterùm ibi tantummodò quæritur, an ſemel tantùm vel pluries faciendum ſit; & ſemel tantùm faciendum eſſe reſpondetur, quia ſemel impleviſſe obligationem debitorem ſufficit, & paruiſſe præcepto, atque oneri impoſito. *l. fideicommiſſa* 11. §. *ſi quis decem* 18. *ff. de leg.* 3. *l.* 1. §. *ſi cui ita* 11. *ff. ut legat. nom. cav. l. cùm plures* 15. § *ult. ff. de reb. aut jud. poſſid. l.* 3. §. *ult. ff. ut in poſſeſ. legat.* Igitur in *l. boves* & ſimilibus pro certo habetur, quòd legatum fuit aut promiſſum, primis nuptiis deberi, neque id vocatur in controverſiam: quæritur autem, an ſecundis etiam ac tertiis, itidemque ulterioribus debeatur. Contrà in noſtra *l. eum qui* pro certo habetur, ſemel tantùm deberi, quod promiſſum eſt: quæritur autem, an primis calendis, an ſecundis, vel tertiis, vel ulterioribus id debeatur. Sunt ergo longè diverſæ ac propemodùm oppoſitæ quæſtiones.

Venio ad ultimas voluntates. De hæredis inſtitutione habemus text. in *l. ſi ita* 4. *ff. de cond. inſt.* & alias plures; nam inſtitutio favorabilior eſt legatis, cùm ea infirmata corruant omnia, quæ ſcripta ſunt in teſtamento *l.* 1. *in fin. ff. de vulg. l. pen. verſ. non poteſt ff. de his quæ in teſtam. del.* Argumento eſt, quòd in legatis implenda eſt conditio, ubi primùm impleri poterit. *l. hæc conditio* 29. *ff. de cond. & demonſt.* in inſtitutione tempus ejus implendæ ad mortem uſque producitur. *l. ult. ff. de cond. inſt. l.* 4. *in fin. & l. ſeq. ff. de hæred. inſt.* niſi hæres ad fraudandos creditores partes trahat, tunc enim à Prætore tempus præſtituitur. *l. ſi quis inſtituatur* 23. §. 1. *ff. eod.* 6

Legata autem ita eſſe interpretanda, ut potiùs valeant, quàm ut pereant, certum eſt, & declaratur exemplis. 7

Digitized by Google

Primum occurrit in *l. Divus* 23. *ff. de uſu & habit.* Legatus erat uſus ſylvæ cæduæ: nihil habiturus eſt ex eo legato legatarius, niſi poſſit ſylvam cædere. Reſpondit Adrianus poſſe ſylvam cædere, perindè ac ſi eſſet uſufructuarius.

II. In *l. ſi quando* 109. *ff. de legat.* 1. Quidam legavit uxori, quæ vivus ipſi donaverat: non de aliis donationibus ſenſiſſe videtur, quàm de illis quæ jure non valuerunt: in aliis enim eſſet inutile legatum.

III. In *l. filio præterito* 17. *ff. de injuſt. rupt. Filio præterito, qui fuit in patris poteſtate, neque libertates competunt, neque legata præſtantur.* Subdit tamen: *quòd ſi bonis ſe patris abſtinuit, licèt ſubtilitas juris refragari videtur, attamen voluntas teſtatoris ex bono & æquo tuebitur.*

IV. Simile quid in *l. penult. ff. de his quæ in teſtam. del.* Teſtator induxit hæredum nomina in teſtamento ſcripta: non poteſt ullum teſtamentum valere, quod hæredem non habet. Antoninus tamen humaniorem interpretationem admiſit: teſtatorem ea dumtaxat irrita eſſe voluiſſe, quæ induxit, legata non item.

V. In *l. ſi peculium* 6. §. 1. *ff. de pecul. leg.* legatum fuit peculium non deducto ære alieno. Videtur inutile legatum: quia peculium eſt, id quod ſupereſt deducto ære alieno §. *cùm autem* 5. *inſtit. quod cum eo l. depoſiti* 5. *in fin. l. ſed ſi damnum* 9. § *peculium ff. de pecul. l. penult. C. quod cum eo qui &c.* Reſpondit tamen Ulpianus: *ſed puto verum, hanc adjectionem non vitiare legatum, ſed nihil ei adjicere: nec enim poteſt creſcere vindicatio peculii per hanc adjectionem.* Inanem & irritam putat adjectionem, ne fiat inutile legatum.

VI. Alia ſunt exempla in *l. ſervo* 113. §. *ſed ſi pater cum ſeq. ff. de leg.* 1. in *l. qui quatuor* 30. §. *cùm teſtamento ff. de leg.* 3. in *l. cùm ſervus* 82. *in princ. ff. de cond. & demonſt.* in quibus inducitur repetitio conditionis, ne legatum pereat.

In fideicommiſſis idem jus, quod in legatis. In *l. cogi* 16. *in princ. ff. ad S C. Trebel. In ambiguo tamen magis de ſucceſſione ſenſum dico, ne intercidat fideicommiſſum.* In *l. Titia* 34. §. 1. *ff. de legat.* 2. *Modeſtinus reſpondit non ſic interpretandam ſcripturam, de quâ quæritur, ut fideicommiſſum inutile fiat.* Propoſitio ejus legis hæc eſt: Pater habens filiam & filium; filiæ ita græcè ſcripſit. *Volo eam à ſe ipſâ accipere villam Gazam cum impoſitionibus ſuis omnibus.* Similiter & filio. *Volo eum præcipuum accipere ſynctesim, latifundium fruticibus conſitum, cum omnibus ſuis impoſitionibus.* Dubitatum fuit, an valeret fideicommiſſum: hæredi enim à ſemetipſo legatum dari non poteſt. *l. legatum* 116. §. 1. *ff. de leg.* 1. Reſpondit Modeſtinus: non ſic interpretandam ſcripturam, ut fideicommiſſum inutile fiat. Itaque filia partem villæ accipiet à fratre jure fideicommiſſi: aliam verò partem jure hæreditario: itidem & filius viciſſim *l. in quartam* 91. *in princ. ff. ad leg. Falcid.* Dubitat item, an filia teneatur ſolvere fratri pretium portionis prædii, quæ ad fratrem jure hæreditario pertineret, ut ipſa integrum prædium obtineat, ut voluit teſtator. Reſpondet ad ſolutionem pretii fideicommiſſarium minimè compellendum. Non abſimile eſt reſponſum Papiniani in *l. eum qui* 18. §. *ult. ff. de his quæ ut indign.* Titius pro parte hæres inſtitutus prædii legatum acceperat; & tacitum miniſterium acceperat reſtituendi ſuam partem hæreditatis indigno, & incapaci. Prælegatum partim obtinet jure hæreditario, ſcilicèt pro eâ parte, pro quâ hæres eſt: partim accipit à cohærede jure legati, ſcilicèt pro eâ parte, pro quâ ille hæres eſt *d. l. in quartam* 91. Fiſcus aufert Titio hæreditatem. *l. indigno* 8. & *l. in fraudem* 10. & *l. eum qui* 18. *in princ. ff. de his quæ ut indign.* Quæritur, an Titius privandus ſit etiam eâ parte legati, quam obtinet jure hæreditario. Reſpondet Papinianus, integrum legatum retinere: teſtator enim totum legatum habere voluit, ac ratio juris, quæ tribuit ipſi legatum partim jure legati, partim jure hæreditario non inducit diviſionem voluntatis, ſed ſolùm varietatem poſſeſſionis: videlicèt id efficit, ut prædium legatum partim poſſideat ut hæres, partim ut legatarius. Quamobrem amiſſâ parte hæreditatis, cùm non poſſit am-

Digitized by Google

plùs poſſidere partem prædii ut heres, quia heres non eſt niſi nomine, & hereditatem, etiam antequàm ei auferretur à fiſco, poſſideret ut prædo *l. prædonis* 46. *ff. de pet. her.* conſequens eſt, ut integrum legatum retineat ſecundùm voluntatem teſtatoris.

10 Contrarium videtur traditum in *l. Marcellus* 3. §. *quidam & l. in fideicommiſſariam* 18. *ff. ad S C. Trebell.* ubi qui rogatus eſt reſtituere hereditatis portionem, retinet tantummodò eam partem prælegati, quam accepit à coherede, & jure legati poſſidet: reliquam autem, quam jure hereditario poſſidet, reſtituere tenetur, nam in portione ejus etiam præceptiones continentur. Sed non eſt eadem ratio ejus, qui tacitum miniſterium accommodavit teſtatori jubenti reſtitui hereditatem indigno. Nam hic licèt heres dici poſſit, ſi adivit hereditatem *l. ex facto* 43. §. *ult. ff. de vulg. & pup.* tamen heres eſt prohibente lege, cùm in fraudem legis fidem ſuam accommodaverit. Sed quia fecit contra leges ſolummodò fidem ſuam accommodans quoad hereditatem & tacitum fideicommiſſum, non quoad legatum, quod jure percipit: idcircò ſatis punitur in eo, quòd contra leges fecit: ſcilicèt ablatâ ei hereditate. Legatum & ſubſtitutio ſalva manent, quia in his nihil actum eſt contra leges: ut rectè monet Paulus in *d. l. ex facto.* Nec poteſt videri partem legati habere jure hereditario, cùm ſit heres ſine re, & rem habere non videatur *l. ſi totam* 83. *ff. de acquir. hered.* Contrà cùm nihil contra legem factum fuit, omninò parendum eſt voluntati teſtatoris, qui ſi juſſit inſtitutum reſtituere portionem hereditatis, totum id, quod cepit ac poſſidet jure hereditario, quod habet ut heres, reſtituere voluit; igitur & partem prælegati, quam jure hereditario habet: ita voluntatem & verba teſtatoris interpretatus eſt Marcus Imperator *d. l. in fideicommiſſariam* 18. Si verò rogaverit inſtitutum reſtituere portionem ſuam, voluiſſe videtur etiam integras præceptiones eum reſtituere, quia cùm non nominaverit hereditatem, non videtur reſtrictè præfiniviſſe id, quod jure hereditario eſt conſecutus, ſed pleniùs totam portionem, in quam cadunt etiam præceptiones. Ita reſcripſit Imperator, ut monet Ulp. in *d. l. Marcellus* 3. §. *quidam.*

11 His expoſitis monendum eſt, propoſitam regulam obtinere dumtaxat in iis, quæ pendent à noſtrâ voluntate. Nititur enim veriſimilitudine, & præſumptâ voluntate, quia veriſimile non eſt, agentem aliquid, nolle valere id quod agit, cùm id etiam non agendo poſſet conſequi multò expeditiùs. Quod autem veriſimilius, in obſcuris ſequi debemus *l. in obſcuris* 114. *ff. de R. J.* Quamobrem ſi actus eſſet inutilis, etiam ſi certum ſit agentem id voluiſſe valere, multò magis inutilis erit, cùm ambigua eſt & incerta ejus voluntas. Planè quam vim non habet certa & declarata voluntas, eam habere non poteſt incerta, atque præſumpta. Exemplis id explico. In *l. qui fructus* 25. *ff. de uſufr. leg.* *Qui fructus prædiorum uxori reliquit, poſt mortem ejus prædia cum redditibus ad heredes ſuos redire voluit, imperitiâ lapſus.* Reſpondit Papinianus, nullum eſſe fideicommiſſum tam proprietatis, quàm fructuum. Quid ita? quia uſusfructus hujuſmodi legato continetur *l. cùm ita* 41. *ff. eod.* uſusfructus autem naturâ ſuâ fructuarii morte extinguitur, & revertitur ad proprietatem. §. *finitur inſt. tit. de uſufr. l. ſi cujus* 13. *in princ. ff. eod. l.* 1. *ff. uſufructuar. quemadmodùm caveat.* Proprietas autem erat penès heredes etiam vivâ uxore, cùm ſolos fructus prædiorum teſtator ipſi legaſſet, non ipſa prædia §. 1. *inſtit. tit. de uſufr.* Quocirca non poteſt valere fideicommiſſum proprietatis, quia eam jam habent. §. *ſed ſi rem* 10. *inſt. tit. de legat. l. proprias* 13. *C. eod. l. cætera* §. *tractari ff. de leg.* 1. *l. Mævius* 66. §. *non idem verſ. utque ab initio ff. de leg.* 2. Non fideicommiſſum uſusfructûs, quia heredibus obvenit etiam ſine legato *d. l. Mævius* §. *non idem in fin. l. poſt emancipationem* 40. *verſ. quæſitum ff. de leg.* 3. adeò ut non poſſint à ſe repellere uſumfructum, cùm jam habeant proprietatem *l. ſi Titio* 10. *ff. de uſufr. leg.* Neque ad ſuſtinendum fideicommiſſum dici poteſt, uxorem videri rogatam reſtituere fructus ac redditus, quos ipſa percepit: nam, ut ait Pa-

pinianus, *redditus futuri, non præteriti temporis demonſtrati videbantur*: quia cùm uxori legaverit uſumfructum, omnes fructus, redditus, commoda, legato continentur, eaque omnia ad uxorem pertinent *l. uſufructu 7. in princ.* & in §.1. *ff. de uſufr. l. uſufructuarium 62. ff. eod.* Ex quibus apparet, quòd, licèt verba ſint interpretanda, ut actus valeat potiùs, quàm pereat, non tamen propterea abſona, & à voluntate teſtatoris aliena interpretatio eſt recipienda.

12 Cum Papiniano concordat Scævola, cujus reſponſum eſt multò durius in *l. generali 32. §. filios 1. ff. eod. de uſufr. leg.* Mulier filios habebat ex primo marito: filiam ex ſecundo. Omnes ex æquis partibus heredes inſtituit: & matri ſuæ Dorcadi reliquit uſumfructum bonorum quoad vivat, ita ut poſt obitum ejus pertineret ad liberos, aut ad eum, qui ex his vivet. Imperitiâ labitur hæc mulier, putans non perventurum ad heredes uſumfructum ipſo jure & naturâ ſuâ, niſi hoc ipſa præciperet, adeòque hoc fideicommiſſum inutile eſt, ut docet Papinianus in lege, quam modò expoſuimus. Omnes adierunt hereditatem: & poſt aditam hereditatem mortui ſunt filii ex primo marito. Deinceps mortua eſt avia uſufructuaria, ſuperſtite filiâ teſtatricis. Quæſitum eſt, an ad eam integer uſusfructus deferretur: an ad omnes rediret, apud quos proprietas eſſet: nempè etiam ad heredes filiorum præmortuorum, ad quos ipſi tranſmiſerant proprietatem portionum maternæ hereditatis. Reſpondit Scævola, uſumfructum ad eos redire, apud quos proprietas eſſet. Videbatur potiùs dicendum, integrum uſumfructum ad filiam ſuperſtitem reverti: tum quia teſtatrix præcepit, ut pertineret ad eum, qui viveret ex ſuis heredibus, vivit autem ſola filia: tum quia eo modo fideicommiſſum ſuſtineret, quod fieri debet etiam tum, cùm verba ſunt ambigua, & obſcura: hic autem clara ſunt & perſpicua. Difficilis profectò lex, & quæ ſubjicitur Claudii explicatio multò etiam difficilior. Digna res, de quâ ſeparatim agatur.

13 Propono igitur aliud exemplum, ad rem noſtram magis accommodatum, petitum ex *l. ubi ità donatur 27. ff. de mort. cauſ. donat.* Qui donat mortis causâ, ut nullo caſu revocetur, inter vivos donare videtur, & verba *mortis causâ* magis indicant cauſam donandi, quàm mortis causâ donationem. Ita verba illa interpretatur J C. Hactenùs rectè ut valeat actus potiùs quàm pereat. Sed hinc deducit, hanc donationem inter virum & uxorem non valere. Nimirum, ſi eſt donatio inter vivos, conſequens eſt, inter virum & uxorem non valere. Natura donationis causâ mortis id exigit, ut transmutetur in donationem inter vivos: ideòque ſi fortè contigerit, ut valere non poſſit, nullam vim habet ad eam ſuſtinendam regula, quam exponimus. Quotieſcumque igitur actus ſit irritus repugnante ejus naturâ, vel ipſâ lege, ceſſat hæc regula, quia nemo facere poteſt, quin leges in ſuâ quâlibet diſpoſitione locum habeant *l. nemo 55. ff. de leg. 1. l. 5. §. Julianus ff. de adm. tut. l. teſtandi 13. C. de teſtam. l. 7. §. & generaliter ff. de pact.*

14 Cæterùm hujus regulæ tanta vis eſt, ut prævaleat aliis regulis, quæ rectam voluntatis interpretandæ rationem nobis exhibent. Verba generalia generaliter ſunt intelligenda *l. 1. ff. de legat. præſt. l. 1. §. quod autem ff. de aleat.* At ſi actus futurus ſit inutilis, reſtringitur ſignificatio verborum generalium *l. ſi quando 109. ff. de legat. 1. juncto §. ex contrario inſt. tit. eod.* Idem habetur in *l. eum qui calendis 41. ff. de V. O.* quemadmodùm paulò antè declaravimus.

15 II. Non eſt recedendum à propriâ ſignificatione verborum *l. non aliter 69. in princ. ff. de leg. 3.* Sed ſi actus futurus ſit inutilis, receditur à ſignificatione verborum, ut in *l. Divus 22. in princ. ff. de uſu & habit.* in *l. cogi 16. in princ. ff. ad S C. Trebell.* in *l. un. C. ut action. ab hered.* in *l. ſtipulatio iſta 38. §. hi qui ff. de V. O.* in *l. ſi tibi pecuniam 20. ff. de reb. cred.*

16 III. In ambiguis verba interpretanda ſunt contra eum, qui potuit apertiùs dicere *l. cùm quæritur 26. ff. de reb. dub. l. veteribus 39. ff. de pact. l. Labeo 21. ff. de contr. empt. l. cùm in lege 33. ff. eod. l. ſtipulatio iſta 38. §. in ſtipulationi-*

bus 11. *ff. de V. O. l. in contrahenda* 133. *ff. de R. J.* Sed ſi actus futurus eſſet irritus, in favorem proferentis ſunt interpretanda, ut in *l. cum qui Calendis* 41. de quâ ſuprà, & in *l. inter* 83. §. 1. *in fin. ff. de V. O.* Eſt elegans exemplum in *l. caeterùm* 4. §. 1. *ff. de uſu. & habitat. Mulieri autem ſi uſus relictus ſit, poſſe eam & cum marito habitare Q. Mucius primus admiſit; ne ei matrimonio carendum foret, cùm uti vult domo.* Propè inutilis foret uſus domûs, ſi in ea cum marito habitare non poſſet. Quocircà ſi uxor ſtipulata fuerit: *per te non fieri, quominùs mihi illâ domo uti liceat*: committitur ſtipulatio, etiamſi non uxorem ipſam, ſed maritum uti prohibeas, ne ſit inutilis ſtipulatio, quæ quaſi dirimit conſortium omne vitæ inter maritum jam contractum, aut contrahendum, & quadantenùs diſſolvit individuam vitæ conſuetudinem contra ſubſtantiam matrimonii *l. ſi ſtipulatus fuero* 111. *ff. de V. O.* Enimverò non eſſet omninò irrita ſtipulatio, etiamſi mulier deberet in domo ſeorſim à ſuo marito habitare; tamen quia hoc ei eſſet valdè incommodum, & impedimento eſſet matrimonio, lex in favorem mulieris ſtipulantis interpretatur ſtipulationem, & pro nihilo habet hanc regulam, ad quam ſolummodò confugiendum eſt, cùm nulla occurrit ratio interpretandi voluntatem teſtatoris aut contrahentium.

17 IV. Regula eſt, quòd ea, quæ in præfationibus concipiuntur, in ſtipulationibus repetita creduntur *l. Thais* 134. §. 1. *ff. de V. O. ut in l. triticum* 94. *ff. eod.* Hæc tamen regula nullius momenti eſt, ſi eâ efficiatur irrita ſtipulatio. Quoad repetitionem, alterum exemplum habemus in *l. ult. in fin. ff. de fideicom. libert.* Conditio, quæ repetita cenſeri ſolet, non repetitur, ſi per eam infirmetur fideicommiſſum. Idem traditum in *l. ſervo* 113. §. *ſi ab impubere ff. de legat.* 1.

CAPUT XII.

Ad L. generali 32. §. 1. *ff. de uſ. & uſufr. leg.*

SUMMARIUM.

1 *Antiquiorum interpretum oſcitantia.*
2 *Cujacii ſententia expenditur, & n.* 3.
4 *Antonius Faber confutatur.*
5 *Non valet fideicommiſſum uſusfructûs proprietario relictum.*
6 *Legatariis ſubſtitui poteſt, ſicut hæredibus.*
7 *Si prima ſubſtitutio inutilis ſit, aliæ, quæ ab ea pendent, valere non poſſunt.*
8 *Uſusfructus finitus revertitur ad proprietatem, neque ad poſteritatem tranſmitti poteſt.*
9 *Nuda proprietas inutilis eſt.*
10 *Fruſtrà & inutiliter agens, nihil agere dicitur.*
11 *Verba invicem quid ſignificent & n.* 12.

PRomiſſum impleo, fidemque capitis præcedentis exſolvo. In *l. generali* 32. §. *filios ff. de uſ. & uſufr. legato* Scævola proponit factum hujuſmodi. *Filios ex Sejo & filiam ex alio marito hæredes inſtituit æquis portionibus, & matri ita legaverat. Æliæ Dorcadi matri meæ dari volo, quoad vivat, uſumfructum bonorum meorum, ita ut poſt obitum ejus ad liberos meos, aut ad eum, qui ex his vivet, pertineat. Filii poſt aditam hæreditatem deceſſerunt: quæſitum eſt mortuâ matre* (ſcilicet Æliâ Dorcade) *ſuperſtite filiâ teſtatricis; uſusfructus utrum ad ſolam filiam; an verò pro portione hæreditatis pertineret. Reſpondit ad eos redire, apud quos proprietas eſſet.* Breve ac perſpicuum reſponſum: ſed quis neget adverſari verbis teſtatricis: *aut ad eum, qui ex his vivet?* vivit autem ſola filia: ergo ad eam pertinere debet uſusfructus. Hoc reſponſum dum voluit explicare & confirmare Claudius Tryphoninus, rem obſcuram fecit obſcuriſſimam. *Claudius: non credidit ipſum uſumfructum invicem portionum hæreditariarum inter ipſos datum: eò magis, quod æquis partibus erant ſcripti.* Gloſſa & veteres nodum potiùs abſcindunt, quàm ſolvunt. Aïunt enim, quòd Claudius reprobat ſententiam Scævolæ: atque adeò filia totum uſumfructum eſt habitura ſe-

cundum voluntatem & verba teſtatricis. Decepit eos, quod verba junctim, & ſine interpunctione legerunt hoc modo: *Claudius non credidit ipſum uſumfructum &c.* Nec animadverterunt, quòd, cum Claudius notas ad Scævolam ſcripſerit, nomen hoc *Claudius* interjicitur ſemper inter Scævolæ reſponſum, & notas Claudii, ut hæc ſeparentur, & ab illo diſtinguantur, & ad allegandum Auctorem ſubſequentium verborum, quæ à notis Claudii depromptæ fuerunt. Atque id perpetuo à juris noſtri conditoribus uſurpatur. In *l. Lucius Titius* 88. §. *Dama* 12. *ff. de leg.* 2. *Claudius: quia creditur appellatione filiorum &c.* in *l. cùm quis decedens* 37. *ff. de leg.* 3. §. *nuptura* 4. *Claudius: quoniam in his expreſſit, ut contentus eſſet &c.* in *l. pater* 38. §. *quindecim* 5. *in fin. ff. eod. Claudius: quia non poſſidentis perſona &c.* in *l. uxorem* 41. §. *penult. ff. eod. Claudius: poſt mortem enim utique creditur datum.* in *l. à filio* 15. §. 1. *ff. de al m. leg. Claudius: merito, nam ſi eodem modo &c.* in *l. alimenta* 16. §. *Baſilica ff. eod. Claudius: quia deſtinaverat alimentis ejus uſuras.* In his nomen *Claudius* jungi non poteſt cum verbis ſequentibus; nec ea regere poteſt. Si junxeris, pervertes rectam conſtructionem verborum, & grammatices præcepta cuncta ſubvertes. Idem eventurum eſt, & in omnibus aliis legibus, quibus Claudii notæ interſeruntur Scævolæ ſententiam explicantes; ut in *l. heredes* 77. §. *ult.* in *l. Lucius* 78. §. *Titia* 6. & §. *idem quæſiit* 9. & *l. matrem* 80. *ff. ad S C. Trebell.* in *l. à teſtatore* 109. *ff. de cond. & dem.* in *l filiæ* 88. *ff. de ſolut.* in *l. qui negotiationem* 58. *in princ. ff. de admin. tut.* in *l. Aurelius* 28. §. *Sticho* 7. *ff. de liber. leg. l. cùm apud* 20. *ff. judic. ſolvi.* in *l. Titia* 59. § *puram ff. de manum. teſtam. l. cùm venderes* 10. *ff. de ſerv. export.* Quidam viri docti refutant opinionem gloſſæ, quòd Claudius ſoleat comprobare Scævolæ ſententiam, eique rationem adjungere. Veriſſimum id quidem; ſed non eſt perpetuum: aliquando enim ſecus eſt; ut in *l. cum venderes* 10. *ff. de ſerv. export.* in *l. filiæ* 88. *ff. de ſolut.* in *l. à teſtatore* 109. *ff. de cond. & dem.* Verumtamen in illis apertè, ac dilucidè expoſuit, in quo à Scævola diſſideret, additâ inſuper ratione diſſenſus: in hâc autem ne verbum quidem, quòd indicet eum à Scævolâ diſſentire. Imò ex verbis apparet voluiſſe afferre rationem, quamobrem Scævola ita reſponderit, & gloſſæ explicatio ea alio trahentis abſurda prorſus eſt, & à ſignificatione verborum penitùs abhorrens, utpote quæ non eſt Accurſii, ſed Viviani.

2 Meritò igitur hanc interpretationem recentiores omnes explodunt: ſed & inter ipſos ſententiis variatur. Unicuique ſua; nemini alterius placet interpretatio. Cujacius ipſe ſibi non conſtat, & quam putavit optimam hujus §. explicationem, in hujus legis interpretatione ad *tit. ff. de uſ. & uſufr. leg.* à ſe ipſo diſſidens mutavit in *lib.* 23. *obſerv. cap.* 8. quæ tamen, ſi quid arbitrari poſſum, non eſt multò melior priore interpretatione. Mutat enim non ſolum ſententiam ſuam, ſed etiam ipſa legis verba: & ita mutat, ut nec verborum conſtructio, nec legis ſententia conſtet. Non conſtat conſtructio verborum, quia putat legendum, ſcribendumque uno ductu, *invicem* non vero ſejunctim *in vicem*, ut habent omnia exemplaria: at ſi reponas adverbium, *invicem*, quid reget genitivum *portionum hereditariarum*? ſane recta ratio latini ſermonis id nequaquam permittit. At inquies, illud genitivum à verbo *uſumfructum* ſuſtinetur. Itane? ſed quis tam ineptè loquitur, tam confuſè ac permixtè verba diſpergit? *uſumfructum invicem portionum hereditariarum poſt mortem aviæ inter ipſos datum* Claudius non hercle: ſuboluit hoc Viro, ideòque verbum *invicem* conjunxit cum verbis *inter ipſos*, ut poſtulant rectus ordo, & conſtructio verborum.

3 Non conſtat legis ſententia, quoniam inania ſunt illa verba, quæ ſubjicit Claudius, & perverſa ratio, quam continent: *eò magis, quod æquis partibus heredes erant ſcripti.* Quid enim facit ad excludendum reciprocum fideicommiſſum uſus-fructus inter filios, quod æquis partibus fuerint heredes ſcripti? Num facilius inducitur vice mutua fideicommiſſum inter ſcriptos ex partibus æqualibus? Amplius fingit teſtatricem vocaſſe ad uſumfructum *eum, qui ex his vivet* ſolummodo

eo

eo caſu, quo alii liberi defuncti non adierint hereditatem. Sanè quidem fingit: nam in teſtamento nullum omninò verbum, undè id conjicere, aut ſuſpicari poſſimus. Imò verò contrarium verba generalia teſtatoris evincunt. *ad liberos meos, aut ad eum, qui ex his vivet, pertineat.* Comprehendunt hæc verba non ſolùm eos, qui deceſſerunt ante, ſed etiam poſt aditam hereditatem. Quid ſi alii deceſſerint non aditâ hereditate, alii eâdem hereditate jam adit? non pertinebit uſusfructus ad eum, qui vivet, ſaltem integer, contra mentem, & verba clara teſtatricis. Quid ſi is, qui vivit, non adierit; ſed illi, qui deceſſerunt? is, cui relictus eſt, nihil habebit; totum illis, qui fuerunt excluſi. Enimverò ſi putaſſet Claudius Scævolam ita reſpondiſſe, quòd crederet matrem à fideicommiſſo uſusfructûs ſolùm excluſiſſe eos liberos, qui non aditâ hereditate deceſſiſſent; id utique planum feciſſet; ejusque reſponſum dilucidè, planèque explicaſſet, *non credidit excluſos ab uſufructu, niſi mortuos nondum aditâ hereditate.* Certè non emendicaſſet rationem obſcuram, intricatam, & ad rem nihil attinentem. Quid enim attinet non fuiſſe fideicommiſſum uſumfructum vice mutuâ inter liberos, ſi reliquis mortuis datus eſt ei, qui vivit. Profectò ſuperſtes hic filius non obtinet uſumfructum ex perſona fratrum mortuorum, ſed directò ex propria perſona ex clara diſpoſitione teſtatricis. Eapropter ipſum conſequi deberet etiamſi datus non eſſet vice mutuâ inter liberos. Quin imò juxta propoſitam explicationem fictile, falſumque eſt Scævolæ reſponſum. Etenim, ſi mater vice mutuâ liberis dedit uſumfructum, cæteris mortuis ſolus ſuperſtes ipſum habebit: ſin ſecùs, omnes liberi pro æquis partibus: his dumtaxat mater reliquit. Contrà Scævola reſpondit *ad eos redire, apud quos proprietas eſſet.* Quid igitur, ſi proprietas ſit apud eos, qui non ſint ex liberis teſtatricis, neque eorum heredes, ſed ad eos pervenerit ex legato, donatione, emptione, aliiſque ejuſcemodi modis? Quò confugiemus, ut Scævolæ reſponſum tueamur? Porrò, ut mea fert ſententia, quam paulò poſt explanabo, unicum eſt perfugium dicere, Scævolam exiſtimaſſe fideicommiſſum à teſtatrice inutiliter datum fuiſſe. Neque enim convenire poteſt Scævolæ reſponſum cum diſpoſitione teſtatricis. Non ſemper δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι: prima Cujacii interpretatio multò commodior eſt, & plauſibilior.

Antonius Faber *libro 1. conjecturarum cap.* 4
11. conturbat omnia ſuo arbitratu atque pervertit. Legem ipſe facit, non interpretatur. Mutat *non* in *nam*: modica quidem ſyllabæ mutatio: ſententiæ verò quàm maxima; ſcilicèt negantis in affirmantem. Sine hâc mutatione legem explicari non poſſe pro certo affirmat. Fingit propoſitionem, quam neque teſtatrix, neque Scævola, neque Claudius ſomniarunt. Ait enim, quòd mater, ſi quis ex liberis portionem ſuam repudiaverit, in ſolatium repudiatæ portionis ei uſumfructum ſuæ portionis legavit. Somnium. Nihil tale matrem cogitaſſe clarè demonſtrant ipſa matris legantis verba: *ita ut poſt obitum ejus, ad liberos meos, aut ad eum, qui ex his vivet* (uſusfructus) *pertineat.* Ad liberos ſuos ſuperſtites vult pertinere uſumfructum, non ad repudiantes hereditatem. O ſuavem genitricem, quæ præmio illicit filios ad repudiandam ſuam hereditatem; ad contemnendum honorem, quem ipſis impertit eos heredes inſtituendo! *l. Julianus 26. in princ.* Ibi: *honore proprio omiſſo ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. l. 5. §. ſed etſi portio 6. l. 3. §. hoc autem 2. ff. de legat. præſt.* Imò ſtultam, quæ rationem teſtandi elegit ad impugnanda ſua judicia! *l. 3. ff. de teſtam. milit.* nam ſi quilibet filius præmio, & ſtolidâ pietate matris illectus repudiaret hereditatem, irritum fieret teſtamentum, ejuſque judicia ſubverterentur *§. 1. inſt. quib. mod. teſt. inf. l. 1. ff. de injuſt. irrit.* Verumtamen mulier reprehendi jure non poteſt, quæ vivos mortuis, non repudiantes adeuntibus antepoſuit, nec ad reſpuendum collatum honorem, & ad deſpicatam habendam voluntatem ſuam propoſito præmio filios invitavit. Quid Scævola? Ne ipſe quidem repudiationis ullam mentionem fecit: imò filios poſt aditam hereditatem deceſſiſſe proponit: ſcilicèt quia aditio heredi-

tatis eſt fundamentum, cui ſequens reſponſum innititur. Semper enim ſecundùm ea, quæ proponuntur, Scævola reſpondet. Quid Claudius? Hic verò apertè contrà ſentit: negat enim Scævolam credidiſſe uſumfructum liberis datum in vicem portionum hereditariarum. Cùm Claudii auctoritatem defugere nullo modo poſſit Faber, ad incitas redactus cogitur mutare *non* in *nam*. Si, quod lex affirmat, nobis licet negare, ſublatæ ſunt omnes juris controverſiæ. Nihilo tamen minùs aliud ex alio impedit interpretem acutiſſimum, & inexplicabili laqueo abrupto in alium ſe induit, ut quo ſe expediat, ignoret. Urgent enim ſubſequentia Claudii verba: *eò magis quòd æquis partibus erant ſcripti*. Reſpondet, quòd ſi ex diſparibus partibus fuiſſent inſtituti, dici poſſet omnibus liberis legatum uſumfructum: nempè tam repudiantibus, quàm adeuntibus. Quorſùmnam iſtuc? non intelligo, cur ita dici poſſit: *ut qui in proprietate diſpares eſſent, ſaltem quamdiù viverent, ex æquis partibus hereditate fruerentur*. Quæſo quid hoc eſt? profectò tenebræ mihi ſunt, tenebras offundit Auctor, ut clanculùm evadat. Si mater dedit uſumfructum filiis in vicem portionum hereditariarum, & earum loco, ut ipſe putat, utique habere debent eam partem uſusfructûs, quam habuiſſent in proprietate, cujus loco ſuccedit uſusfructus. *l. ſi plures 24. ff. de vulg. & pupill. §. etſi ex diſparibus 2. inſt. tit. de vulg. l. 1. C. de impub. & al. ſubſt.* niſi evidenter aliud teſtator expreſſerit *d. l. ſi plures in fin.* At ego etiam hoc amplius dico; etiamſi non in vicem portionum hereditariarum relictus eſſet, tamen ex natura ipſius uſusfructus rediret ad proprietatem pro portionibus hereditariis. Cùm enim morte finiatur uſusfructus *l. 3. in fin. ff. quib. mod. uſusfr. amit.* & ad proprietatem regredi debeat. *l. 3. C. de uſufr.* non poteſt ad eam regredi, niſi pro portione ipſius proprietatis. Finge plures heredes eſſe, alterum ex quadrante, alterum ex dodrante, & uſumfructum omnium bonorum Titio legatum fuiſſe: mortuo Titio revertitur ad heredes; ad primum quadrans, ad ſecundum dodrans; ſcilicèt utrique pro portione proprietatis, quam habent. Si ad utrumque rediret pro æquis partibus, neque reverteretur ad proprietatem, neque eſſet extinctus uſusfructus morte legatarii, ſed novus conſtitutus. Sextans enim uſusfructus, quem primus habet ultra portionem proprietatis, de novo conſtituitur, nec conjunctus eſt proprietati; ſed ab eâ avulſus, ac ſeparatus. Quo modo & à quo conſtitutus? Neque teſtamento, neque conventione, neque à lege, neque à judice, quibus modis conſtitui poteſt §. 1. *inſt. tit. de uſufr. l. cùm oportet 6. C. de bon. quæ liber. §. 1. & 2. inſt. per quas perſ. cuique acquir. l. uſusfructus 6. §. 1. ff. de uſufr.* Undè igitur novus hic uſusfructus emergit? Porrò morte uſufructuarii uſusfructus extinguitur, & ad proprietatem revertitur, eique conjungitur eo modo, quo erat, antequàm ab eâ avelleretur; ideòque deſinit eſſe uſusfructus, & dominus incipit habere plenam proprietatem, & ex re percipit omne commodum omnemque utilitatem non jure uſusfructûs, ſed jure dominii. *l. uti frui 5. ff. ſi uſusfr. pet. l. in re communi 26. ff. de ſervit. urb. præd. l. fundus 32. ff. de ſervit. ruſtic. præd.* Sed malo nimiùm facilis eſſe, quàm nimiùm difficilis, ac moroſus. Fac, ſuccedere ex æquis partibus in uſufructu, etiamſi ex diſparibus fuerint heredes inſtituti. Num idcircò ex æquis partibus hereditate fruentur? An qui habet dodrantem proprietatis & ſemiſſem uſusfructûs, æquè fruitur hereditate, ac ille, qui ſolùm habet quadrantem proprietatis, licèt habeat ſemiſſem uſusfructûs? Ergo nihil momenti habet proprietas ad percipiendum augendumque commodum, & utilitatem hereditatis? Ac, quod eſt maximè abſurdum, ſubdit: *ſed æquis partibus in proprietate factis, ne hoc neque aliud quicquam probabile dici poteſt*. itane verò? Si habeant æquas partes tam in proprietate, quàm in uſufructu, non æquè fruuntur hereditate: ſi habeant diſpares partes in proprietate, æquas in uſufructu, æquè fruentur hereditate? Quid abſurdius? Quid id, quod ſuprà ait: *ei ſoli, qui ſupereſſet, omnium bonorum uſumfructum deberi, ut qui proprietatis partem nullam haberet &c.* Nullam partem proprietatis habet, qui ex

æquis partibus eſt inſtitutus? Hui! mera monſtra dicit.

5 Enimverò multò facilius eſt, aliorum interpretationes refutare, quàm veras, aut ſaltem veriſimiles excogitare. Tamen, ne quis mihi oggranniat illud Martialis lib. 1. epigram. 92. *Carpere vel noli noſtra, vel ede tua*, dicam & ego, quod ſentio. Hoc autem primum ſtatuo. Scævolam non credidiſſe validum & utile fideicommiſſum uſusfructûs liberis à matre relicti: eò quia falsâ opinione decepta crediderit uſumfructum ad eos non reverſurum, niſi hoc ipſa præciperet; ignorans ipſo jure per mortem uſufructuarii ad proprietarium deferri; & juris neceſſitate conſolidari cum proprietate. §. *finitur inſt. tit. de uſufr. l. ſi cujus* 13. *in princ. ff. eod. l.* 1. *ff. uſufr. quem cav.* Nullum igitur eſt ejuſmodi fideicommiſſum *l. qui fructus* 25. *ff. de uſufr. leg.* Ibi: *nullum fideicommiſſum &c. l. poſt emancipationem* 40. *in princ. verſ. quæſitum eſt ff. de leg.* 3. Ibi: *fideicommiſſum non conſtiterit. l. Aurelius* 28. §. *pen. ff. de liber. leg.* Ibi: reſpondit. *Si debita fuiſſet, nullum eſſe fideicommiſſum.* Non ſolùm igitur eſt inutile, ſed nullum, quia, qui legat id, quod neceſſitate juris ad aliquem debet pertinere, eique debetur, inutiliter legat §. *ex contrario* 14. *inſt. tit. de legat. l.* 1. §. *ſi quis creditori* 10. *ff. ad leg. Falcid. l. legavi* 25. *in fin. ff. de liberat. leg. l. cùm pater* 77. §. *curatoris* 14. *ff. de leg.* 2. Uſusfructus autem adeò juris neceſſitate ad proprietarium revertitur, ut, nec ſi maximè velit, à ſe ipſum repellere poſſit *l. ſi Titio* 10. *ff. de uſufr. leg.* Quamobrem mortua avia liberi obtinent uſumfructum poteſtate juris, non verò ex fideicommiſſo: & ſi mortui ſint, illi, ad quos proprietas pervenerit, cum quâ neceſſariò conjungitur vi conſolidationis uſusfructus. Rectè igitur Scævola reſpondit, uſumfructum *ad eos redire, apud quos proprietas eſſet.* Atque eò etiam magis, quòd ea diſpoſitio, in qua teſtator labitur ignoratione juris, redigi debet ad juris diſpoſitionem, ut fit à Papiniano in *l. qui fructus* 25. *ff. eod.* & à Modeſtino in *l. ſi alii* 19. *ff. eod.*

6 Verum opponi poteſt, quòd ut heredibus, ita & legatariis ſubſtitui poteſt *l. ut heredibus* 50. *in princ. ff. de leg.* 2. & id obtinet etiam in uſufructu *l.* 3. §. 1. *in fin. verſ. perindè ac ſi ff. quib. mod. uſufr. amit.* Potuit igitur mulier Dorcadi matri uſufructuariæ ſubſtituere liberos ſuos heredes, aut eum, qui poſt mortem Dorcadis ſupereſſet. *l. repeti* 5. *in princ. ff. eod.*

Profectò id negari non poteſt: ſed Scævola non credidit id voluiſſe, ac mandaſſe teſtatricem, ut ait Claudius explicans Scævolæ reſponſum: *non credidit ipſum uſumfructum poſt mortem avia inter ipſos datum.* Etenim, ut filia ſuperſtes integrum habeat uſumfructum, duæ ſubſtitutiones ſunt neceſſariæ. Altera, in quâ liberi ſubſtituantur aviæ in uſufructu; & hæc non ægrè poſſet admitti, ſi quidem utilis eſſet; quod ſecùs eſt. Altera, in quâ filii inter ſe reciprocè ſubſtituantur, ut per mortem unius ad ſuperſtites devolvatur. Hanc autem Scævola omninò reprobavit. Sanè rectè. Multæ enim cauſæ concurrunt, cur probari, & admitti non poſſit. 7

Prima, quia cum prima ſubſtitutio non ſubſiſtat, utpotè inutilis; ſequitur, ut neque hæc, quæ ab eâ pendet, ſubſiſtere poſſit. *l. cùm principalis.* 179. *ff. de R. J.* 8

Secunda, quia cùm non fuerit expreſſa, ſitque contra naturam uſusfructûs, qui per mortem fructuarii extinctus ad proprietatem revertitur, omninò refutanda eſt, ut copioſè probavimus in ſuperioribus. Eſt autem hoc adeò de natura uſusfructûs, ut non ſit penitùs poſſibile, eum ad poſteritatem tranſmitti, ut ait Imperator in *l. antiquitas* 14. *in princ. C. de uſufr.* Itaque rectè putant DD. quòd ſi teſtator, vel contrahentes expreſſim declaraverint ſe velle, ut ad heredes tranſmittatur, ad primos tantùm heredes pertineat, & in illis tantummodò repetitus intelligatur, non in omnibus; licèt nomen heredis non primos dumtaxat, ſed & cæteros deinceps comprehendat *l. heredis appellatio* 65. *ff. de V. S.* Natura enim uſusfructûs non patitur, ut tamdiu maneat avulſus à proprietate, eaque domino futura ſit inutilis. Eò fit, ut ſi uſusfructus relinquatur municipio, Reip. univerſitati, quæ numquam moriuntur *l. propone-*

batur 76. *ff. de judic.* quaſi ipſæ quoque moriantur, centum dumtaxat annis duret, quia is finis vitæ longævi hominis eſt. *l. an uſusfructus* 56. *ff. de uſufr. l. ſi uſusfructus* 8. *ff. de uſufr. legat.* Neque cuiquam ſcrupulum injiciant illa verba teſtatricis: *aut ad eum, qui ex his vivet*: putavit enim hæc verba teſtatricem adjeciſſe errore lapſam, quòd ignoraret uſumfructum ad proprietatem reverti ipſo jure; ac propterea ad liberos ſuos perventurum; vel illis præmortuis, ad eos, in quos ipſi proprietatem transtuliſſent. Hoc errore poſito ad normam juris eſt dirigenda diſpoſitio; quemadmodùm fit in laudatis *l. qui fructus* 25. *l. ſi alii* 19. *ff. eod.*

9 Tertia, quâ ad id credendum adductus fuit Scævola, ut Claudius notat: *quia æquis partibus heredes erant ſcripti.* Ex hoc optimam traxit conjecturam Scævola, noluiſſe matrem liberos inter ſe mutuò ſubſtituere in uſufructu. Etenim ſi ex æquis partibus eos ſcripſit hæredes, voluit eoſdem ex æquo utilitatem ex ſuâ hæreditate percipere: Atqui ſi eos ſubſtituiſſet invicem in uſufructu; qui aviæ ſuperſtes viveret, omnem utilitatem perciperet, præmortui verò nullam. Nuda enim proprietas, quam viventes obtinuerunt, inutilis eſt. *l. an uſusfructus* 56. *ff. de uſufr.* & *l. ſi uſusfructus* 8. *ff. de uſufr. leg.* Eò accedit, quòd ipſos non ſubſtituit in proprietate: cur igitur in ſolo uſufructu, in quo multò rariùs fit hæc ſubſtitutio, repugnante quodammodo naturâ ipſius uſusfructûs, repugnante voluntate teſtatorum, qui non facilè adducuntur, ut velint hæreditatem ſuam propemodùm inutilem eſſe hæredibus, quos honorare, & ditare voluerunt: maximè verò cùm agitur de filiis & de uſufructu omnium bonorum?

10 His expoſitis, admodùm difficilis non eſt explanatio verborum Claudii Tryphonini, quæ doctiſſimorum interpretum ingenium exercuerunt. *Non credidit ipſum uſumfructum in vicem portionum hereditariarum poſt mortem aviæ inter ipſos datum.* Non credidit datum, quia fruſtrà, & inutiliter dedit: quin nec præſumitur dare voluiſſe, Qui dedit imperitiâ lapſus, nullum dedit fideicommiſſum. Similibus verbis utitur Papinianus in *l. qui fructus* 15. *eod. tit. de uſufr. legat. Imperitiâ lapſus nullum fideicommiſſum ad eos reverti dedit.* Qui fruſtrà, & inutiliter aliquid agit, nihil agere dicitur *l. ſed ſi quid* 25. *§. ſervus* 4. & *§§. ſeqq. ff. de uſufr. l. non ſolùm* 31. *ff. de oblig. & act. l. ſi decem* 52. *ff. locat. l. quoties* 15. *in princ. ff. de ſervit. l. ſi id quod* 7. *in princ. ff. de reſcind. vend. l. ſi eum uxori* 9. *in princ. ff. de don. int. vir. & ux.* & *l. ſed interim* 11. *§. ſi uxor. ff. eod.* & nullum eſſe, quod actum eſt *l. ſi quis poſtquàm* 37. *ff. de fidejuſ.* Porrò hâc formulâ utuntur J C. in contractibus, ut conſtat ex laudatis *ll.* nam in contrahendo res inter contrahentes agitur *l.* 3. *ff. de reb. cred. l. Lucius* 38. *ff. mandat. l. Ariſto* 18. §. 1. *ff. de donat. l. cùm quæritur* 26. *ff. de reb. dub.* Contrà in legatis & fideicommiſſis utuntur verbo dandi, quia res non agitur inter teſtatorem & legatarium ſeu fideicommiſſarium, cùm hi nihil agant, nullamque partem habeant in condendo teſtamento; ſed legatum aut fideicommiſſum detur à teſtatore *l. quod bonis* 15. *§. penult. ff. ad leg. Falcid. l. nec fideicommiſſa* 36. *ff. de leg.* 3. *l. ſi in perſonam* 21. *C. de fideicom.* & dandi legandi verbis uſa eſt ipſa lex Falcidia *l.* 1. *ff. ad l. Falcid.* Quamobrem quod nihil agi dicitur in contractibus; non dari dicitur in fideicommiſſis *l. qui fructus* 25. *ff. de uſufr. leg.* Scævola igitur non credidit datum uſumfructum, quia inutiliter datus fuit: quia datus per fideicommiſſum nullum *d. l. qui fructus* 25. & *l. Aurelius* 28. *§. pen. ff. de liberat. leg.* Inſuper non credidit datum, deficiente voluntate teſtatricis, quam credidit imperitiâ lapſam & errore deceptam ita diſpoſuiſſe, adeòque deficere ejus voluntatem & conſenſum *l. ſed hoc ita* 20. *ff. de aqua & aqu. pluv. arc. l. libertus* 17. *§. error. ff. ad municip. l. ſi per errorem* 15. *ff. de juriſdict. l.* 2. *in princ. ff. de judic.*

Atque hæc plana ſunt & expedita: ſed 11
turbam concient illa verba: *in vicem portionum hereditariarum.* Horum, ut ego arbitror, duplex eſt interpretatio. Prima, quòd

Digitized by Google

non crediderit uſumfructum datum vice portionum hæreditariarum, videlicèt quòd cùm filios non ſubſtituerit inter ſe in portionibus hæreditariis, earum loco ſubſtituerit in uſufructu. Non credidit Scævola, matrem dediſſe uſumfructum pro portionibus hæreditariis: ut portiones hæreditarias compenſaret; quo admiſſo non ſervaretur æqualitas inter liberos, ut diximus. *In vicem portionum hæreditariarum* ſcilicèt *in locum portionum: pro portionibus.* Cic. *lib.* 1. *epiſt.* 9. *noſtram vicem ultus eſt ipſe ſeſe.* Plaut. in *Ruden. act.* 3. *ſc.* 5.

—— ſi appellabit quampiam,
Vos reſpondetote iſtinc iſtarum vicem.

Hoc autem non credidit Scævola, quia nulla ratio, nulla cauſa eſt, cur mulier, ſi volebat liberos in vicem ſubſtituere, non ſubſtituerit in portionibus hæreditariis, ſed ſolùm in uſufructu; ut paulò antè probavimus. Imò omnis ratio ſuadet, eam nec in uſusfructu ſubſtituere voluiſſe. Altera non abſimilis, & ad ſenſum legis explicandum magis accommodata: quòd ſicut mater non ſubſtituit liberos in portionibus hæreditariis, ſimiliter non ſubſtituerit in uſufructu inſtar portionum hæreditariarum. Cùm enim liberos inſtituerit æquis portionibus, in hiſce portionibus continetur etiam uſusfructus *l. ſi quis alii* 19. *ff. de uſufr.* adeòque filii ſunt inſtituti non ſolùm in æqualibus porrionibus proprietatis, ſed etiam uſusfructûs; & vi ac poteſtate inſtitutionis adeuntes hæreditatem, non nudam, ſed plenam proprietatem acquirunt conjunctam cum uſufructu. Verùm quia teſtatrix, legando uſumfructum matri ſuæ, ipſum ex univerſa hæreditate delibavit; coguntur hæredes ipſum avellere à proprietate, & in aviam transferre. Finito autem uſufructu per mortem aviæ, illum denuò obtinent hæredes jure hæreditario, ſicut initio obtinuerunt, niſi teſtatrix expreſſim rurſus ipſum avellat à proprietate. Hoc autem veriſimile non eſt, ut ſuprà probavimus, & ut credidit ipſe Scævola. Non credidit, igitur uſumfructum datum poſt mortem aviæ inter liberos, quemadmodùm datæ non erant portiones hæreditariæ. Verba 12 enim *vice*, *in vicem* ſæpè numero vim habent comparationis, & ſimilitudinem denotant, ut *quemadmodùm*, *inſtar*, *ſicut* & his ſimilia. Cic. ad Attic. *lib.* 10. *epiſt.* 7. *Niſi fortè me Sardanapali vice in ſuo lectulo mori malle cenſueris; quàm in exilio Themiſtocleo.* Sueton. in *Nerone cap.* 31. *Precipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.* Columell. *lib.* 2. *cap.* 14. *Poteſt tamen malleolus protinùs in vicem vivi radicis conſeri.* Plin. *lib.* 8. *cap.* 46. *Bos in Ægypto etiam vice numinis colitur.* Cic. 1. *de legib. Heredum cauſa juſtiſſima eſt: nulla eſt enim perſona, quæ ad vicem ejus, qui è vita emigraverit, propiùs accedat.* Uſurpant etiam in hâc ſignificatione noſtræ leges. In *l. mulierem* 5. *in fin. C. de adoption. ad vicem naturalis, legitimique filii habere permittimus:* ſcilicèt tamquàm filium legitimum & naturalem *l. tres denunciationes* 9. *C. quomod. & qu. jud. ad vicem edicti peremptorii:* quemadmodùm edictum peremptorium. *l. qui negotiationem* 58. *§.* 1. *in fin. ff. de adminiſtr. & peric. tut. totum ſortis vice fungitur.* habetur tamquàm ſors. *l.* 2. *& l.* 3. *§. is autem in fin. ff. de reb. cred. ut ille rei pretium haberet in mutui vicem:* tamquàm ex mutuo: quaſi mutuum. *l.* 3. *in fin. ff. de teſtam. milit. l.* 4. *§. auctoris* 31. *ff. de dol. mal. & met. except. l.* 1. *C. de ſervit. & aquâ l. non ſolùm* 20. *ff. rem rat. hab. l. palàm* 43. *§.* 1. *ff. de ritu nupt.*

Superſunt poſtrema verba: *eò magis quòd æquis partibus hæredes erant ſcripti.* Hæc ſuprà expoſuimus, & oſtendimus, maximè convenire Scævolæ reſponſo, noſtræque interpretationi.

CAPUT XIII.

Ad L. turpia legata 54. *ff. de leg.* 1.

SUMMARIUM.

1 *Demonſtratio turpis perimit legatum, ut pro non ſcripto habeatur.*

2 *Etiamſi teſtator ſteterit in genere maledicti, ut perperàm Bartolus, & Accurſius, qui confutantur.*
3 *Contraria ſunt, teſtatorem honore ſimul & contumeliâ velle aliquem afficere.*
4 *Legatum immerenti dari non repugnat.*
5 *Exheredatio cum convicio fieri poteſt.*
6 *Et inſtitutio filiifamilias à parentibus.*

1 SUpereſt, ut demonſtremus, quandonam demonſtratio vitiet ac perimat legatum aut inſtitutionem. Ejuſmodi eſt demonſtratio turpis: & demonſtratio falſa. Demonſtratio turpis, quæ adjicitur denotandi legatarii cauſâ, adeò perimit ac tollit legatum, ut pro non ſcripto habeatur. *l. turpia* 54. *ff. de leg.* 1. *denotandi* pro *notandi*: hoc eſt: ignominiâ, opprobrio, infamiâ, contumeliâ aſpergendi: ut in *tit. ff. de his, qui not. infam. l. palàm* 43. *§. penult. ff. de rit. nupt. l. tutorem* 22. *ff. de iis, qua ut indign.* & paſſim in jure noſtro, & apud latinos auctores. Denotandi autem verbum vix uſquàm inveneris in hâc ſignificatione. Denotare enim, eſt demonſtrare, deſignare, ut in *l. nominatim* 24. *ff. de manum. teſt.* Liv. 4. *Haud dubiè Icilios denotante Senatu.* Cic. *pro lege Manil. uno nuncio, atque una litterarum ſignificatione cives Romanos necandos trucidandoſque denotavit.* Utitur tamen Quinctil. *declam.* 19. *Omnium maledictis ſuccl amatus, omnium denotatione damnatus eſt.* Igitur demonſtratio, quæ magis notandi, quàm honorandi legatarii cauſâ inſeritur legato, efficit, ut pro non ſcripto habeatur. Imò in libertis illud ſpecialiter ab Imperatoribus conſtitutum fuit, ut etiam legatum liberto ritè datum, ſi in poſtrema ſcriptura, peſſimum libertum eſſe adjeciſſet, vel ingratum, videatur ademptum *l. Divi* 13. *& l. libertus* 29. *ff. de adim. leg.* & quidem *quaquâ ratione motus* id adjecerit: quibus verbis continetur, omninò ademptum eſſe; nec de cauſa ac ratione quærendum. Non ſolùm autem legatum, ſed etiam inſtitutionem vitiat turpis demonſtratio *l. quoties* 9. *§. ſi quis nomen* 8. *ff. de her. inſt.* Ratio eſt, quia legatum eſt honor *l.* 3. *§. hoc autem* 2. *ff. de legat. preſtand. l. amiciſſimos* 36. *ff. de excuſ. tutor.* Sicut & inſtitutio, & quidem plenior *l. filium* 5. *§. ſed etſi portio* 6. *in fin. ff. de leg. præſt. l. Julianus* 26. *ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* pugnantia autem ſunt honor & contumelia: ac ſimul jungi non poſſunt: alterum ab altero excluditur.

Illud probare non poſſum, quod aïunt 2
Accurſius, & Bartolus: quòd ſi teſtator ſteterit in genere maledicti, & non progrediatur ad ſpeciem, ut in *l. his verbis* 48. *§.* 1. *ff. de hæred. inſt.* valeat diſpoſitio. Etenim contrarium liquet ex *l. Divi* 13. *& l. libertus* 29. *ff. de adim. leg.* in quibus ſi teſtator adjecerit; peſſimum eſſe libertum, vel ingratum, aboletur legatum. Et in *l.* 3. *in princ. ff. de lib. & poſt.* cum convicio exhæredatus dicitur filius, ſive pater dixerit: *filius meus non nominandus*; ſive dixerit: *filius meus latro, gladiator, ex adulterio natus.* Non diſtinguitur hâc in re maledictum generale, à ſpeciali: utrumque idem præſtat, idem valet: utrumque convicium eſt, & dictum contumelioſum. Imò multò contumelioſius eſt maledictum generale, quàm ſingulare: hoc enim unicum vitium; illud vel plura vel omnia vitia continet. *Non nominandus*, eſt multò deterior, quàm latro, aut gladiator, aut ſpurius. Virgilius *lib.* 3. *Georg. in princ.* ut denotaret Buſiridem efferis moribus, & mortalium omnium peſſimum deterrimumque fuiſſe, dixit eum *illaudatum.*

Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
Illaudati, hoc eſt, *non nominandi: laudare* 3
in actionibus civilibus ſignificat *nominare.* Ita verſum Virgilii explicant Gell. *lib.* 2. *cap.* 6. Macrob. *Saturn. lib.* 6. *cap.* 7. In hoc mihi videntur errare, quòd putant ejuſmodi requiri contumeliam, & maledictum, ſeu convicium ad infirmandam inſtitutionem, vel legatum; quale ad accuſandum condemnandumque reum criminis. Qui accuſat, certum crimen deferre debet, & probare: *l. prætor* 7. *in princ. ff. de injur.* qui maledictum & convicium facit, & contumeliam jacit, famam lædit, etſi nihil certi expreſſerit, aut probaverit. Rectè Cicero *pro M. Cæl. Sed aliud eſt maledicere*,

aliud accuſare. Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. Maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam. Ad rem noſtram accommodatiſſimè. Sola maledictio, ſolumque propoſitum contumeliæ infirmat legatum, & inſtitutionem, quia ſecum ipſe pugnat teſtator, qui vult aliquem ſimul & honore, & contumeliâ afficere. Quicumque aliquid cuiquam objicit, quod ad infamiam, vel invidiam ejus ſpectet, & generaliter ſit adverſùs bonos mores civitatis, convicium, & injuriam facit *l. item apud Labeonem* 15. §. *ſed quod adjici-*
3 *tur* 5. *ff. de injur.* & pœnam injuriæ meretur: pœna autem à lege imponitur, ut ſit inutilis actus, quem geſſit: reprobat enim ac damnat ſimul injuriam, & diſpoſitionem, cui eſt adjuncta atque annexa. Idcircò Pomponius ait: *odio ſcribentis* Lex enim omnes injurias odit ac deteſtatur; maximè verò eorum, qui honorant, ut dedecorent, & notam turpitudinis inurant benevolentiæ prætextu.

4 Nec illud quidem probo, quod nonnulli ex veteribus putant, eam eſſe hujus conſtitutionis rationem, quòd legata relinquuntur ob meritum *l. nec adjecit* 9. *ff. pro ſoc.* Si ita res eſſet, non valeret legatum, de quo in *l. cùm quis decedens* 37. §. *Sejam* 2. *ff. de leg.* 3. *Mævio liberto meo de me nihil merito dari volo.* Non repugnat legato, quòd detur immerenti. Legatum eſt donatio §. 1. *inſt. tit. de legat.* Quid obſtat, quominùs donetur immerenti? donatio propriè appellatur, in quâ aliquis dat propter nullam aliam cauſam, quam ut liberalitatem, & munificentiam exerceat *l.* 1. *in princ. ff. de donat.* Qui dat, ut merita, ac beneficia compenſet, propriè non donat, ſed remuneratur. Non repugnat igitur naturæ legati, quòd detur immerenti, ſeu de nobis nihil merito; quippè quia donatio eſt. Illud repugnat, quàm quod maximè, quod ſit damnoſum ac perniciosum legatario. *l. filiusfam.* 114. §. *apud Marcellum* 3. *ff. de leg.* 1. *l.* 1. § *ſi is qui* 17. *& l. ex facto* 17. §. *non tantùm ff. ad S. C. Trebell.* §. 1. *verſ. hoc ſolum inſt. tit. de ſing. reb. per fideic. rel.* Quid autem damnoſius, aut pernicioſius eſſe poteſt, quàm honorem, exiſtimationem, famam amittere, quæ nullis opibus poſſunt compenſari? ſed illud legibus eſt maximè odioſum, quod teſtator prætextu honoris famoſum libellum ſcribit, quem maximè leges abominantur, & à primis uſque temporibus capitale eſſe ſanxerunt. Qui autem dicit, legatarium de ſe nihil meritum, non lædit ejus famam, ſed largitatem & beneficentiam ſuam oſtentat: non exprobat ei vitium, nec labem ullam turpitudinis aſpergit, ſed proteſtatur, ſe non ob ejus merita legare, ſed ex ſua munificentia. Quæ maximè conveniunt patrono, cujus levis injuria nihili penditur *l. Prætor* 7. §. *prætereà ff. de injur.*

Venio jam ad exceptiones, quæ duæ ſunt. 5
Prima eſt in exhæredatione. Exhæredatio cum convicio fieri poteſt, & quidem turpiſſimo. Exempla in *l.* 3. *in princ. ff. de liber. & poſt.* Exhæredatio ipſa per ſe contumelia eſt, & ideò non reſpuit convicium quantumvis contumelioſum. Corn. Nep. *in Themiſt. à patre exhæredatus eſt: quæ contumelia non fregit eum, ſed erexit.* Et in jure noſtro, *nota exhæredationis* dicitur: ut in *l.* 1. §. *ſed etſi* 5. *ff. de adſign. lib. l.* 1. *ff. de conjung. cum eman. liber. l. ſi cum* 10. *C. de teſtam. milit.* Toleratur in parente etiam grave convicium, quia non probri, aut injuriæ, ſed emendationis cauſâ factum intelligitur, nullamque pœnam meretur *l. aut facta* 16. §. *cauſa* 2. *ff. de pœn.* Parentibus enim eſt mandata filiorum correctio *l.* 3. *C. de patr. poteſt. l. un. C. d. emend. propinq.* Sanè hujuſcemodi correctio Themiſtoclis mores penitùs immutavit. Subdit Corn. Nep. *Nam cùm judicaſſet ſine ſumma induſtria non poſſe eam extingui, totum ſe dedidit Reipublicæ diligentius amicis, famæque ſerviens.* Itaque ergo *vitia ineuntis adoleſcentiæ magnis ſunt emendata virtutibus: adeò ut præferatur huic nemo, pauci pares putentur.*

Altera eſt exceptio in inſtitutione filiifam. 6
à patre facta. *l. his verbis* 48. §. 1. *ff. de hered. inſt. Illa inſtitutio valet: filius meus impiiſſimus, malè de me meritus hæres eſto,*

fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato: quia cùm fundus Cornelianus in rerum natura ſit, demonſtratio falſa legatum non perimit. l. quibus 40. §. *penult. ff. de cond. & dem. l. cum ſcriptum* 6. §. 1. *ff. de dot. præl.* Similè eſt exemplum in *l.* 3. *C. de falſ. cauſ.* Hæ autem demonſtrationes tacitè cauſam legandi continent: ſed nec falſa cauſa legatum perimit *l. demonſtratio* 17. §. *quod autem ff. de cond. & demonſtr.* §. *longè magis* 31. *inſt. tit. de legat.*

II. Multò magis ſi indicata fuerit falſa cauſa debendi, vero debito præexiſtente; ut in *l. cùm filius* 76. §. *heres meus ff. de leg.* 2. *Heres meus Titio dato, quod ex teſtamento Sempronii debetur mihi: cum jure novationis, quam legatarius, idemque teſtator antè fecerat, legatum ex teſtamento non debeatur: placuit falſam demonſtrationem legato non obeſſe; nec in totum falſum videri, quod primordio veritatis adjuvaretur.* In *l. Lucius Titius* 93. §. *Sempronia ff. de leg.* 3. *Semproniæ mulieri meæ dari jubeo ab heredibus meis centum aureos, quos mutuos acceperam: quæſitum eſt; ſi hanc pecuniam, ut debitam, Sempronia petens victa ſit: an fideicommiſſum peti poſſit. Reſpondit poſſe ex cauſâ fideicommiſſi peti, quod apparuiſſet, non fuiſſe ex alia cauſa debitum.*

5 III. Si non legaverit id, quod debet, ſed fateatur ſe debere, quod non debet: ipſa enim debiti confeſſio quamvis falſa trahitur ad fideicommiſſum. *l. Lucius Titius* 88. §. *quiſquis* 10. *ff. de leg.* 2. *Quiſquis mihi heres erit, ſciat debere me Demetrio patruo meo denaria tria.* Reſpondit Scævola, etſi non deberentur, peti poſſe ex fideicommiſſo, licèt peti non poſſint ex debito, quod nullum eſt. Poterat de hoc dubitari, quia cùm dixerit teſtator: *protinus reddi, & ſolvi eis jubeo.* reddendi verbum ſignificat retro dare, & non poteſt reddere, qui non accepit: ſed huic argumento reſpondet Celſus in *l. cùm quidam* 21. *ff. eod. etenim reddendi verbum, quamquam ſignificationem habeat retro dandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem*: & in *l. verbum* 94. *ff. de V. S.* Rectè. Etenim, ut ait Senec. *lib.* 7. *de benef. cap.* 19. *Reddere eſt, id, quod debeas, ei cujus eſt, volenti dare. Reddere* etiam *dare* ſignificat. Liv. *lib.* 5. *nec clamore quidem reddito integri, intactique fugerunt.* Sic dicimus reddere epiſtolam, reddere exequias, reddere pœnas, reddere rationem; reddere ſonum, ſonitum, ſtridorem, vocem humanam, & his ſimilia ſexcenta. Itemque in jure noſtro: jus reddere *l. pen. ff. de injuſt. & jur. l.* 1. *ff. de diverſ. tempor.* reddere actionem *l. quia actionum* 11. *in fin. ff. de præſcr. verb. l. cum autem* 52. *ff. de rei vind.* & ubique paſſim: reddere interdictum *l.* 1. §. *in operis ff. de oper. nov. nunc. l.* 3. *ff. de rivis l.* 1. §. *quia autem ff. quod legat.* reddere judicium *l. pen. ff. quod cujuſque univerſitatis l. ſi vir uxori* 12. *ff. de præſcr. verb. l. Lucio* 4. *ff. de aq. quotid. & æſtiv.* & in toto jure *judicium dari, judicium reddi*, idem omnino ſignificant. Animadvertendum tamen eſt, quod ideo fideicommiſſum debetur, quia præſumitur teſtatorem ſciviſſe, ſe non debere, & prætextu debiti uſum fuiſſe: ut exponitur in *d. l. cum quidam* 21. *ff. de leg.* 2. *l. qui uxori* 18. *in princ. ff. de aur. & arg. leg.* Cæterum ſi hæres probaret, teſtatorem ignoraſſe ſe non debere, & errore lapſum ea de cauſa legaſſe, non legaturum, ſi ſciviſſet ſe nihil debere; nec ex fideicommiſſo peti quicquam poſſet: neque enim valeret, non quidem obſtante falſitate demonſtrationis, aut cauſæ; ſed deficiente voluntate teſtatoris. *l.* 1. *C. de falſ. cauſ.* Nec ſufficit qualiſcumque probatio, ſed liquido probare debet ex *d. l.* hoc eſt, manifeſtè, & evidenter: quoniam præſumptio illa legis eſt adeo fortis, ut recedatur à propria verborum ſignificatione *d. l.* 21. *ff. de leg.* 2.

IV. Si falſo locum deſignaverit, in quo 6
ſita res eſt: veluti ſi legaverit prædia, quæ ſunt in finibus Galatiæ; eaque ſint in finibus Cappadociæ *l. patronus* 35. §. 1. *ff. de leg.* 3. & §. 2.

V. Si in officio vel miniſterio vel artificio 7
erraverit: veluti ſi legaverit Stichum cocum, Stichum ſutorem: licèt neque cocus, neque ſutor ſit, ad legatarium pertinebit: idemque eſt, ſi erraverit in deſignanda per-

ſona legatarii *l. demonſtratio* 17. §. 1. *ff. de condit. & dem.*

8 VI. Idem ſi erraverit in quacumque aliâ rei vel perſonæ qualitate intrinſeca vel extrinſeca : veluti Stichum , quem de Titio emi : fundum Tuſculanum , qui mihi à Sejo donatus eſt : fundum dotalem : veſtem purpuream , quæ uxoris cauſa parata eſt : Sempronio affini meo , cognato meo , filio Titii do , lego : *l. demonſtratio* 17. *in princ. l. falſa* 33. *& l. ſeq. ff. de cond. & dem. l. quibus diebus* 40. §. *pen. ff. eod.* §. *huic proxima* 30. *inſt. tit. de legat. l. Quintius Mucius* 10. *ff. de aur. & arg. leg.* Pomponius tamen in hac lege ait multum intereſſe generaliter an ſpecialiter legetur. Si generaliter : veluti : *quæ uxoris cauſa parata ſunt , ei do lego*: legato non continetur, niſi quod illius uſus cauſa paratum eſt , etiamſi ea ſint aliena , cùm ſua eſſe putaret teſtator. Si verò ſpecialiter certum corpus ſit demonſtratum , veluti hoc modo : veſtem purpuream , quæ uxoris cauſa parata eſt : licèt ea non fuerit uxoris cauſa parata , nihilominùs debetur. Hæc tamen diſtinctio non pertinet ad falſam demonſtrationem. Etenim in generali ſermone ſolùm demonſtrantur ea , quæ uxoris cauſa parata ſunt : in alia , præter hæc , nulla cadit demonſtratio , neque vera , neque falſa : adeoque certum eſt, ea non eſſe legata. In ſermone ſpeciali demonſtratur certum corpus , nempè veſtis purpurea ; & in hanc cadit falſa demonſtratio ; quippè quia non eſt uxoris causâ parata. Poſſet & in ſermonem generalem cadere falſa demonſtratio ; ſed ea legatum perimeret ; veluti ſi legaſſet ea , quæ uxoris causâ parata ſunt , & nihil paratum fuiſſet : deficeret enim res legata , ſine quâ legatum non poteſt conſiſtere. Itemque ſi legaret ſervos ſuos textores , & nullum textorem haberet : cæterum ſi aliquos textores haberet , nulla in eos cadit falſa demonſtratio ; quia illi verè textores ſunt , & illi ſoli demonſtrati ſunt & legato continentur. *l. 3. C. de falſ. cauſ.*

VII. Si erraverit in quantitate. Hujus
9 falſæ demonſtrationis duo occurrunt exempla ſcitu digna ; alterum in *l. non ſolùm autem* 7. §. *ſed ſi debitorem ff. de liberat. leg. Si debitorem decem damnatus ſit hæres viginti liberare , idem Julianus ſcribit nihilominùs eſſe liberandum decem.* Alterum in *l. cùm ſcriptum* 6. *in princ. ff. de dot. prel. Cùm ſcriptum eſſet : quæ pecunia propter uxorem meam ad me venit , quinquaginta , tantumdem pro ea dote hæres meus dato : quamvis quadraginta dotis fuiſſent , tamen quinquaginta deberi.* Hoc intereſt inter unum , & alterum exemplum ; quod in hoc demonſtratio , quamvis falſa ſit , auget legatum : nam etſi nihil dotis nomine ad eum veniſſet , tamen quinquaginta deberentur *d. l.* 6. §. 1. In alterò verò legatum non auget : in cauſa eſt natura legati , quia nemo poteſt liberari in eo , quod non debet : liberationem præcedat oportet obligatio. *l. ſi quis reum* 5. §. *idem Julianus , & l. ſeq. in fin. ff. de liber. leg.* Subſiſto jam , cùm de errore in quantitate dubium copioſè dixerim.

Quid ſi demonſtratio partim vera ſit , par- 10
tim falſa ? Sanè quod falſum eſt , cedere debet veritati : ut in *l. ſpecies* 15. *ff. de aur. & arg. leg.* & in *l. non ſolùm autem* 7. §. *ſed ſi debitorem ff. de liber. leg.* Exemplum eſt in *l. pediculis* 32. § *argento , & §. ſeq. ff. de aur. & arg. leg.* Quidam legavit argentum eſcarium : habebat quædam vaſa , in quibus & potabat & edebat : hæc quoque legato continentur ; nam conſuetudo patrisfamilias ſpectanda eſt. In *l. ſcribit* 34. §. *item ſcribit ff. eod.* Legavit uxori quinque pondo auri , quod ejus cauſa paratum eſſet : mortis tempore quatuor tantùm libræ deprehenduntur : quinque debentur , niſi unam animo minuendi legati teſtator alienaverit *: nam articulus , eſt , præſentis temporis demonſtrationem in ſe continet.* In *l. hæres* 100. *in fin. ff. de leg.* 3. *Cui teſtudinea legata eſſent , ei lectos teſtudineos pedibus inargentatos deberi Labeo , Trebatius reſponderunt , quod verum eſt.* Quòd verum eſt in demonſtratione , trahit ad ſe , quod falſum eſt.

Nec obſtat , quod traditur in *l. Titia* 19. 11
§. *ult. ff. de ann. leg. Lucio Titio auri pondo tria , quæ viva præſtabam.* Falſum eſt , vivam præſtitiſſe auri pondo tria. Præſtabat enim

Digitized by Google

quadraginta annua, quoad viveret, & certam ſummam ſalarii nomine, & feſtis diebus certum pondus argenti, aut pro eo pretium. Reſpondit Scævola: *eadem ex cauſa legati, vel fideicommiſſi præſtanda eſſe.* Etenim cùm præſtanda ſint ea, quæ viva præſtabat, utique verum trahit ad ſe falſum. Verum eſt, eam in vita præſtitiſſe quadraginta annua, & reliqua: falſum, præſtitiſſe tria pondo auri. Si legato continentur quadraginta annua, & reliqua, quæ viva præſtabat; ſequitur, contineri id, quod verum eſt in demonſtratione, omiſſo eo, quod falſum eſt. Illud apud me plurimùm habet difficultatis, quòd mulier legat *auri pondo tria.* Hoc legatum certum eſt, & ſatis demonſtratum. Subdit, *quæ viva præſtabam.* hoc fruſtrà adjicitur rei ſatis demonſtratæ *l.* 1. §. *ſi quis uxori ff. de dot. præl.* ac perindè eſt, ac ſi non fuiſſet adjectum *d. l.* 1. quod in omni falsâ demonſtratione eſt conſtitutum, ut ſuperiora exempla demonſtrant. Sequitur, ut tria pondo auri præſtari debeant; non quæ viva præſtabat. Non tollit difficultatem, quod legato certo auri pondere hæres liberatur præſtando pecuniam numeratam, ſi in ea pecunia eadem æſtimatio fuerit *l.* 1. §. *ult. ff. de aur. & arg. leg.* Nam poteſt quidem pro auri pondere pecuniam ſolvere, non tamen cogitur, & poteſt, ſi velit, ipſum auri pondus legatum ſolvere: & ſi velit ſolvere pecuniam, debet ſolvere pecuniam in eâdem æſtimatione. At vero in noſtra lege ait Scævola ab hæredibus præſtari debere, quæ teſtatrix viva præſtabat: nec conſtat, an ea ſint ejuſdem æſtimationis, cujus aurum.

12 Reſpondetur; quòd cùm certum pondus auri legatur, magis quantitas legata videtur *l. cùm aurum* 19. §. 1. *ff. eod.* Hic autem dubitari non poteſt, pecuniam fuiſſe legatam, cum teſtatrix demonſtraverit quantitatem pecuniæ legatæ illis verbis: *quæ viva præſtabam.* Propterea licèt in aliis legatis præſtandum ſit pretium præſentis temporis *l. cùm certum* 9. *ff. eod.* & æſtimatio debeat eſſe æqualis in auro, & in pecunia *d. l.* 1. §. *ult.* tamen in hâc ſpecie curandum non eſt de æſtimatione, ac pretio auri, cùm teſtatrix ipſa deſignaverit ac præfiniverit æſtimationem & quantitatem pecuniæ vice auri præſtandam: quare notat appoſitè Scævola, quòd feſtorum dierum nomine certum pondus argenti, aut pro eo pretium præſtabat: ſcilicèt, ut oſtenderet, omnia ad certam pecuniæ ſummam ab ipſa fuiſſe redacta. Neque fruſtrà adjecta eſt illa demonſtratio: *quæ viva præſtabam*: efficit enim legatum annuum, quòd, eâ non adjectâ, ſemel tantùm deberetur. Imò ſi res accuratè perpendatur, nihil falſi eſt in hoc legato: nam idem eſt legare tria pondo auri, ac legare ejus æſtimationem; & qui hanc præſtat, illud præſtare videtur *l. quæ extrinſecùs* 65. *in fin. ff. de V. O.* & *ll.* modò laudatis.

CAPUT XV.

Ad L. qui duos 13. *ff. de leg.* 2. *& alias.*

SUMMARIUM.

1 *Demonſtratio eſt oratio ad rem, vel perſonam deſignandam, vel declarandam adſcripta.*

2 *Falſa demonſtratio rei legatæ, vel perſonæ legatarii differt à falſâ demonſtratione legati.*

3 *Demonſtratio aliquandò legatum auget, aliquandò minuit; interdum tollit. Explicatur textus noſter & n.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

11 *Expenditur l. ut hæredibus* 50. §. *ſi Titius ff. de leg. & n.* 12.

DEmonſtratio eſt oratio ad rem, vel perſonam deſignandam ac declarandam adſcripta. Adjicitur plerùmque nomini, ad rem clariùs exprimendam. Sed & ipſa per ſe ſine nomine ponitur. Demonſtratio enim vice nominis fungitur *l. certum* 6. *ff. de reb. credit. l. nominatim* 34. *ff. de cond. & dem.* Itaque ſi res per nomen ſatis eſt demonſtrata, fruſtrà adjicitur demonſtratio *l.* 1. §. *ſi quis uxori ff. de dot. præleg.* Quocircà valet inſtitutio hæredis præſentis etiam ſine nomine, aut demonſtratione: *hic mihi hæres eſto*; *l. nemo* 58. *ff. de hæred. inſt.* præſentia enim pro demonſtratione eſt, & nuncupatione, certò enim deſignat perſonam hæredis. Eò fit, ut veram exiſtimem Accurſii 1

ententiam, valere legatum, etſi alieno nomine rem appellaverit, quam præſentem indicavit: veluti, ſi cùm equus præſens eſſet, dixerit: *hunc bovem Titio do lego.* Licèt enim, *qui aliud dicit, quàm vult, neque id dicat, quod vox ſignificat, quia non vult; neque id, quod vult, quia id non loquitur. l. 3. ff. de reb. dub.* tamen cùm ſit coram, quod oſtenditur, etiamſi nihil dixerit, neque bovem, neque equum, ſatis declaravit voluntatem ſuam, oſtendendo equum præſentem. Non verbis, ſed re ipſâ ſignificat, quid velit. Hîc nihil eſt loci interpretationi verborum, aut diſputationi, de qua in *l. Labeo 7. §. Servius ff. de ſupell. leg.* quia non verba legatum faciunt; ſed rei præſentis demonſtratio: quæ falſa eſſe non poteſt, cùm teſtator rem habet præſentem, etſi falſa ſit demonſtratio verborum: hæc enim cedere debet veritati *l. ſpecies 15. in fin. ff. de aur. & arg. leg. l. non ſolùm 7. §. ſed ſi debitorem ff. de liber. leg.*

2 Enimverò falſa demonſtratio legati non facit legatum *l. cùm tale 72. §. falſam 8. ff. de cond. & dem.* Sed longè diſtat falſa demonſtratio rei legatæ vel perſonæ legatarii, à falſâ demonſtratione legati. Falſa demonſtratio perſonæ, vel rei legatæ, non nocet legato, ſiquidem aliunde conſtet, quid cuique legaverit *l. nominatim 34. in princ. ff. de cond. & dem.* verè enim legatum reliquit, & certum eſt, quid reliquerit, & cui reliquerit. Nulla igitur cauſa eſt, cur legatum valere non debeat. Falſa demonſtratio non afficit ſubſtantiam legati, ſed aut perſonam legatarii, aut rem legatam, quibus officere non poteſt, quia de illis certò conſtat. Contrà falſa demonſtratio legati, afficit legatum ipſum, ejuſque ſubſtantiam: indicat enim legatum fuiſſe, quod verè legatum non fuit: & quamvis teſtator fortaſſe exiſtimet ſe legaſſe: tamen falſa opinio teſtatoris non poteſt facere legatum: neque enim quicquam diſponit, qui falsò putat ſe diſpoſuiſſe *d. l. cùm tale §. ult.* facit ad rem *l. non ſolùm §. ſed ſi debitorem §. de liberat. leg. l. Paula 27. §. ult. ff. de legat. 3.*

3 Porrò licèt demonſtratio legatum non faciat, aliquandò tamen illud auget: aliquandò minuit: interdùm etiam tollit, & irritum facit. Hæc omnia ordine explicanda. Augetur legatum in *l. qui duos 13. ff. de leg. 2.* Qui duos reos ejuſdem pecuniæ habet Titium, & Mævium, ita legavit: quod mihi Titius debet, Mævio hæres meus dato; quod Mævius debet, Sejo dato. Hæres tenetur tum actiones ſuas Mævio præſtare adverſus Titium, tum pecuniam à Mævio debitam præſtare Sejo. Idem ferè traditum in *l. quòd ſi quis 76. ff. de leg. 1.* in quâ non abſimile legatum proponitur. Idem omninò in *l. non quocumque 82. §. qui Cajum ff. eod.* Sed contrarium videbatur dicendum; nam licèt duo rei in ſolidum ſinguli teneantur, tamen cùm eamdem pecuniam debeant, unâ ſolutione pecuniæ uterque liberatur *§. 1. inſtit. tit. de duob. reis l. 2. ff. eod.* etiam fictâ ſolutione veluti acceptilatione *d. l. 2. & l. 3. §. nunc de effectu ff. de liber. leg.* Quapropter ceſſis Mævio actionibus nullas ampliùs actiones habet, quas Sejo cedere poſſit: liberatus eſt igitur hæres etiam à Sejo; cùm is, à quo nomen debitoris legatum eſt, teneatur tantummodò actiones cedere adversùs debitorem *l. ſi ſervum filii 44. §. ſed etſi nomen ff. de leg. 1.* Videtur ergo per ceſſionem actionum factam Mævio, extinctum Seji legatum: quemadmodùm exſtinctum fuiſſet utriuſque legatum, ſi teſtator vivens Mævio acceptum feciſſet *d. l. non quocumque 82. §. qui Cajum verſ. ſi tamen*; quoniam utroque reo liberato nullum eſſet nomen debitoris, in quo poſſet legatum conſiſtere; nullæ actiones, quæ cedi poſſent *l. ſi ſic legatum 75. §. quod 2. ff. de leg. 1.*

4 Accurſius ac veteres interpretes putant id evenire, quia hæres præſtando actiones ſuas Mævio adverſus Titium, facto ſuo Mævium liberat, & perimit actiones, quas habebat, eaſque Sejo ampliùs cedere non poteſt, adeòque ipſe tenetur Sejo: quoniam factum proprium hæredis ipſi nocere debet, non Sejo *l. factum ff. de R. J.* & hoc in noſtra *l.* innuit Pomponius illis verbis: *videtur Mævius facto ejus liberatus eſſe, & idcircò Sejo hæres tenetur.*

5 Verùm vix defendi poteſt hæc ſententia. Etenim hæres cedit actiones Mævio neceſſitate legis, & ex præcepto teſtatoris. *l. non quocumque* 82. §. *qui Cajum ff. de leg.* 1. Ibi: *eam conditionem hæredi ſuo conſtituit, ut is neceſſe habeat alteri actiones ſuas, alteri litis æſtimationem præſtare.* Præceptum igitur teſtatoris imponit hæredi neceſſitatem utrumque præſtandi; non factum ipſius hæredis. Quamobrem & ſi Mævio ſolviſſet æſtimationem, non propterea liberatus fuiſſet ab onere præſtandi actiones Sejo. Voluit quippè teſtator utrumque præſtari. Simile eſt, quod traditur ab eodem Juliano in *l. quòd ſi quis* 76. *ff. de leg.* 1. Qui Stichum aut Pamphilum ſtipulatus erat, Sempronio Stichum, Mævio Pamphilum legavit: *oneratus hæres intelligitur, ut neceſſe habeat alteri actionem ſuam, alteri æſtimationem Stichi, aut Pamphili præſtare.* Deficit omninò in hoc exemplo ratio à veteribus allata: & tamen idem omninò conſtituitur.

6 Præterquàm, quòd ea ratio non tollit difficultatem. Nam ſi una eſt obligatio utriuſque rei; una ſumma ab utroque debetur: unius ſolutione tollitur utriuſque obligatio *l.* 3. *in fin. ff. de duob. reis.* §. 1. *inſt. eod.* quid eſt cur unicâ actionum ceſſione hæres non liberetur? quid eſt, cur non poſſit actiones utrique legatario cedere, ita ut uterque ſimul eam tantummodò ſummam conſequatur, quam defunctus ipſe, ſi viveret, iis actionibus conſequeretur? quam etiam conſequeretur ipſe hæres, ſi teſtator non legaſſet nomen debitoris? Legato nomine debitoris, hæres liberatur actiones præſtando legatariis, ut diximus; cur in hâc ſpecie præſtitis actionibus non eſt liberatus; ſed hoc ampliùs tenetur æſtimationem alteri ſolvere? uno verbo, tenetur bis ſolvere contra conſtitutionem Juſtiniani in *l. un.* §. *ubi autem verſ. ſin autem. C. de caduc. toll.* In alterâ autem ſpecie: *l. quòd ſi* 76. *ff. de leg.* 1. cur non expectatur eventus ſolutionis? ita ut ſi debitor elegit ſolvere Stichum Sempronio, exſtinguatur legatum Mævii: ſi elegerit Pamphilum, extinguatur legatum Sempronii: hæres autem unicâ ceſſione actionis ſit liberatus: ut reſpondit Marcellus in *l. ult. hæredibus* 50. §. *ſi Titius ff. de leg.* 2. & in ſpecie non planè diſſimili Ulpianus in *l. ſi ſic legatum* 75. *in fin. ff. de leg.* 1.

Veriſſimum eſt, quod notavit doctiſſimus 7
Cujacius, in illis legibus agi de legato damnationis, in quo ante Juſtinianum, ſi eadem res duobus legata fuiſſet disjunctim, utrique integra debebatur: hoc eſt, uni res, altera ejus æſtimatio, ut indicat ipſe Juſtinianus in *d. l. un. verſ. ſin autem*; & pro certo affirmat Cajus in *inſtit. lib.* 2. *cap.* 5. §. 5. *Si disjunctim, id eſt, ſingulis, quæcumque res per legatum damnationis relicta fuerit ſingulis integra debetur: id eſt, ut unus rem ipſam accipiat, alii æſtimationem rei ipſius in pretio ab hærede accipiant.* Ad rem noſtram apte congruenterque. Idipſum Paulus *lib.* 3. *recept. ſent. tit.* 8. §. 3. & Ulpianus in *fragm. tit.* 24. §. 15. *quòd ſi disjunctim, ſingulis in ſolidum debetur.* Et huc referendum eſt, quod ait Marcianus in *l. filius-familias* 114. § *ult. ff. de leg.* 1. *veluti ſi alienus* (ſervus) *vel proprius, pluribus tamen ſeparatim ita relictus, ut unuſquiſque in ſolidum caperet.* Scilicèt per damnationem.

Hæc tamen, etſi veriſſima ſint, non tol- 8
lunt omnem omninò difficultatem. Etenim cùm Juſtinianus exæquaverit genera legatorum quocumque modo & quibuſcumque verbis relinquantur, & conſtituerit, ut perindè omnia habeantur, ac ſi per vindicationem relicta fuiſſent, in *d. l. un.* non poſſumus ampliùs confugere ad antiquam differentiam inter legata damnationis & vindicationis. Imò in laudato §. *ubi autem verſ. ſin autem* ſtatuit in legato disjunctim relicto uni rem legatam, alteri ſolidam æſtimationem minimè deberi; ſed rem legatam omnibus concurrentibus pro rata portione ſingulis acquiri, etiamſi per damnationem legatum fuerit relictum. Et in *l. ſi pluribus* 33. *ff. de leg.* 1. *pro virili portione ad legatum omnes venire, niſi ipſe teſtator ex ſcriptura manifeſtiſſimus eſt, utrumque eorum in ſolidum accipere voluiſſe*; quæ verba à Triboniano adjecta fuiſſe convenit inter eruditos, ne propoſita à Paulo regula contraria eſſet Juſtiniani conſtitu-

Digitized by Google

tioni in *d. l. unicâ.* Inc redibile eſt igitur Tribonianum leges tam contrarias inſeruiſſe, & Juſtinianum approbaſſe leges, quas ſuâmet conſtitutione abolevit. Ut dicam, quod ſentio, neque Tribonianus, neque Juſtinianus has leges contrarias eſſe conſtitutioni legis unicæ judicarunt: ac meâ quidem ſententiâ verè non ſunt, ut breviter exponam.

9 In laudata *l. unic.* Juſtinianus excipit: *Hoc autem ita fieri ſancimus niſi teſtator apertiſſimè, & expreſſim diſpoſuerit, ut uni quidem res ſolida; aliis autem aſtimatio rei ſingulis in ſolidum præſtetur.* Exceptio hæc legibus noſtris aptè convenit. In *l. quod ſi quis 76. ff. de leg.* 1. manifeſtum eſt, teſtatorem voluiſſe utrumque legare: legat enim Sempronio Stichum, Mævio Pamphilum. Duæ ſunt res legatæ inter ſe penitùs diverſæ: duo diverſi ac ſeparati legatarii: duo igitur diverſa legata *l. 2. ff. de leg.* 2. Non concurrunt in eamdem rem legatarii, nec inter eos eſt jus accreſcendi *l. hujuſmodi 84. §. quibus ita ff. de leg.* 1. Neque enim poteſt inter eos ſcindi legatum, aut concurſu partes fieri, cùm non eadem res utrique legata fuit: proindè hoc primum omnium in jure accreſcendi neceſſarium eſt, ut eadem res pluribus ſive conjunctim ſive disjunctim legata fuerit, *§. ſi eadem 8. inſt. tit. de leg. l. ſi pluribus 33. ff. de leg. 1. l. re conjuncti 89. ff. de leg.* 3. Imò etſi ejuſdem rei partes ſeparatim legatæ fuerint; veluti: Titio dimidia pars fundi: Mævio altera dimidia pars: non erunt conjuncti, nec pars deficiens alteri accreſcet *l. 1. in princ. l. 3. in princ. ff. de uſufr. accr.* Et quamvis ei, qui ſtipulatus eſt Stichum aut Pamphilum, unus tantùm ſolvi debeat, & antequàm ſolvatur, non uterque ſimul debeatur, ſed incertum quid tamen cùm uterque per ſe venerit in obligationem *l. miles 6. §. 1. ff. de re judic.* uterque ſit promiſſus *l. ait Prætor 7. §. etſi ſine ff. de minor.* uterque poſitus ad obligationem *l. ſi duo 128. ff. de V. O.* rectè teſtator potuit utrumque tamquàm ſibi debitum conſiderare, & tamquàm debitum legare. Atque ita eos ſervos conſideraſſe, & legaſſe teſtatorem, apparet ex eo, quòd eos ſeparatim legavit duobus, ac duplicavit legatum. Licèt autem hæres non poſſit utrumque præſtare, quia unus tantummodò ei ſolvendus eſt à debitore: alterius præſtanda eſt æſtimatio, cùm res ipſa præſtari nequeat *l. cùm res 47. §. ſed ſi Stichum ff. de leg.* 1.

Idem dicendum de exemplo propoſito in *l. non quocumque 82. §. qui Cajum ff. de leg.* 1. & in *l. qui duos 13. ff. de leg.* 2. Imò in eo multò faciliùs admitti debet duplicatio legati; tum quia agitur de legato pecuniæ, quod multò faciliùs duplicatur, quàm legatum rei; *quia eadem res ſæpius præſtari non poteſt, eadem ſumma volente teſtatore multiplicari poteſt. l. planè 34. §. ſed ſi non corpus, verſ. ejuſque rei ff. de leg.* 1. tum quia duo rei ſunt in ſolidum obligati, & uterque debet integram ſummam, quam promiſit, putà centum, & ab utroque centum peti poſſunt *l. 3. §. 1. ff. de duob. reis §. ex hujuſmodi inſt. tit. eod.* Quamobrem cùm creditor legat Sempronio, quod ſibi Caïus debet; legat utique centum, quia verè Cajus centum debet. Similiter cùm legat Mævio, quod ſibi Lucius debet; legat Mævio centum, quia Lucius centum debet. Nondum enim inter duos reos diviſa eſt obligatio: atque adeò dici non poteſt, teſtatorem ſingulis legaſſe quinquaginta tantummodò. Quia verò hæres, à quo teſtator legat quod ſibi debetur, ſolummodò tenetur legatario præſtare actiones, quas habet adversùs debitorem *l. ſi ſic legatum 75. §. quod ſi addiderit 2. in fin. ff. de leg. 1. §. tam autem 21. inſt. eod.* & præſtitis uni actionibus, quas habet, non poſſit eas alteri quoque præſtare: debet alteri præſtare æſtimationem *d. l. non quocumque §. qui Cajum, & d. l. qui duos 13.* cujus verba ſunt breviter explicanda, quia eorum vim ſenſumque veteres non ſunt aſſecuti. Hæres Sejo tenetur, quia non poteſt ei præſtare actiones adversùs Mævium. Non poteſt autem præſtare, quia nullas ampliùs actiones habet; quoniam actiones, quas habebat ad conſequenda centum ſibi debita, Mævio præſtitit, quâ ceſſione Mævius eſt liberatus. Si teſtator ipſe nullas actiones habuiſſet adversùs Mævium; non fuiſſet

Digitized by Google

ejus creditor, utique hæres Sejo non teneretur, quia legatum non valeret *l. ſi ſic legatum 75. §. 1. & 2. ff. de leg. 1.* Sed quia teſtator erat creditor Mævii, valet legatum, & hæres tenetur actiones, quas teſtator habebat adverſùs Mævium, præſtare Sejo: non poteſt autem, quia eas amiſit, cùm præſtitit Mævio: idcircò tenetur Sejo ad danda centum, quæ Mævius teſtatori debebat. Uno verbo, duo ſunt legata diverſa, atque diſtincta, & utrumque ab hærede præſtandum; ſi poſſet utrique actiones cedere, ab utroque liberaretur actiones cedendo: ſed quia præſtitis uni actionibus, nullas ampliùs actiones habet, quas alteri præſtare, ac cedere poſſit, tenetur ei ſolvere legatum in pecunia.

11 Sed omnino contrarium eſt Marcelli reſponſum in *l. ut heredibus 50. §. ſi Titius ff. de leg. 2. & ſi diverſis, alii decem, alii Stichus legatus fuerit, ex eventu ſolutionis legatum valet.* Doctiſſimus Cujacius putat Marcellum à Juliano, ut ſæpe ſolet, diſſentiſſe: quod verius ego etiam puto. Quod autem putat, veriorem eſſe Marcelli ſententiam: nam quod ipſe Julianus admiſit in uno, cur non admittatur in diverſis? idem ego non ſentio. Etenim qui uni legat Stichum, cum ei debeatur Stichus aut decem; non utrumque legat, nec utrumque vult præſtari, nempe Stichum ſimul & decem: ſed ſolum Stichum legat; ſolum Stichum præſtari vult. Si ex ſolutione appareat, Stichum debitum non fuiſſe, exſtinguitur legatum, quia legatus eſt tamquam debitus ſervus, qui debitus non erat, quia à debitore non fuit electus. Quamobrem nec in ſervo legatum conſiſtit, quia debitus non eſt; nec in decem, quia legata non ſunt. At vero cum legat duobus; alteri ſervum, alteri decem, legat utrumque, vult utrumque præſtari ab herede: duæ ſunt res legatæ: duo legatarii ſeparati: duo ergo legata. Nec ulla ratio eſt, cur teſtator malit conſiſtere legatum unius, quam alterius, aut id egiſſe, ut ex duobus legatis alterum eſſet inutile, quod incredibile eſſe ait Papinianus in *l. Mævius 66. in princ. ff. de leg. 2.* Hæc eſt ſententia Juliani expreſſa in *l. ſi ſic legatum 75. §. ult.* & in *l. quod ſi quis 76. ff. de legat. 1.* quæ mihi videtur rationi magis conſentanea, quàm illa Marcelli, qui alterum ab altero caſum non diſtinguit, & in utroque idem juris eſſe cenſet.

12 Veteres putant in *l. ut heredibus* electionem fuiſſe debitoris: at in *l. quòd ſi quis* fuiſſe creditoris. Falſum; nam *l. quòd ſi quis* connectitur & continuatur cum fine legis antecedentis, ubi manifeſtè agitur de debitore habente electionem; quam ſemper habet, niſi creditor eam ſibi expreſsè reſervet. *§. ſi quis agens verſ. huic autem inſt. tit. de act. l. 2. §. Scævola ff. de eo quod cert. l. plerùmque 10. in fin. ff. de jur. dot.* Verum fac ita eſſe: vide, ne contra te ſit. Etenim ſi teſtator habet facultatem eligendi, ea tranſit in heredem *l. ſi ſtipulatus 76. in princ. ff. de V. O.* Poterit igitur heres eligere, utrum Stichum an Pamphilum ſolvat, quoniam teſtator non elegit, adeoque efficere, ut valeat unum potiùs quàm alterum legatum. Convenientius autem eſt, hoc arbitrium heredi ſuo dari à teſtatore, quam extraneo debitori, quemadmodùm datur in lege antecedenti in fine. Ergo quid cauſæ eſt, cur heres, qui ſolâ electione rem expedire poteſt, duplici præſtatione ſit onerandus. Probè errat Cheſius, qui *lib. 1. int. c. 50.* conciliat auctores, quaſi facultas eligendi tranſeat ad legatarios. Planè illi non poſſunt habere electionem, tum quia illa à teſtatore tranſit in heredem, ut dixi, non in legatarium: tum quia electio non poteſt dari niſi inter plura. Quid poteſt eligere Sempronius, cui ſolus Stichus legatus eſt? Quid Mævius, cui legatus eſt ſolus Pamphilus? Sunt hæc abſurda. Potiùs igitur dicendum foret, agi de teſtatore electionem habente in *l. ut heredibus §. ſi Titio* quia cùm teſtator ipſe non elegerit, devolvitur ad heredem electio, qui eligit ſolvendo: ac ſi ſolvat Stichum ei, cui legatus eſt, valet ejus legatum, & alterum exſtinguitur, quia nihil ampliùs debetur.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Ad L. ult. §. ult. ff. de trit. vin. & ol. leg.

S U M M A R I U M.

1 *Demonſtratio minuit legatum, ſeu rem, cui non videtur adſcripta. Exempla & n. 2. 3.*
4 *Explicatur textus noſter. & n. 5. 6. 7. 8. 9. 10.*
11 *Ponderatur l. 1. ff. de reb. dub.*

SEquitur, ut videamus, quando legatum minuat. Non loquor de legato, cui ad-
1 jectaeſt: hoc enim ampliat, aut reſtringit, prout dilatat, aut contrahit limites rerum, aut perſonarum, quæ legato continentur. Sed aliquandò minuit etiam legatum, ſeu rem, cui non videtur adſcripta. Exemplis perſpicuè id oportet explicare. In *l. quæſitum* 78. §. 1. *ff. de leg.* 3. *argentum omne, & ſupellectilem, quodcumque habeo, tibi dono, & quicquid in fundo Semproniano habeo.* Si non adjeciſſet demonſtrationem fundi Semproniani, utique deberetur etiam argentum, & ſupellex, quæ alibi eſſet: ſed illa demonſtratio reſtringit legatum argenti, & ſupellectilis, ad argentum, & ſupellectilem, quam habet in fundo Semproniano, niſi legatarius probaverit, teſtatricem voluiſſe etiam, quæ alibi eſſent, legare. Quâ in re judex etiam leves conjecturas debebit admittere, quia legatum per ſe generale eſt; imò univerſale: *& quodcumque habeo*: quæ verba ſuâ ſignificatione omnia comprehendunt, ſaltem omne argentum, omnemque ſupellectilem, ad quæ referuntur, ubicumque ſint. Ideò Scævola præcisè non reſpondet, argentum & ſupellectilem, quæ alibi ſint, non deberi: ſed *eum, cujus notio eſt, æſtimaturum.* Ampliùs exiſtimaverim, Scævolam aliter fortaſsè reſponſurum fuiſſe, ſi non præceſſiſſet alia diſpoſitio, quâ eidem præcipitur, ut ſit *contentus fundo Semproniano cum ſuis inhabitantibus, id eſt, familiâ, & quæ ibi erunt*: quæ verba non obſcurè demonſtrant voluntatem teſtatoris ad ea, quæ erant in fundo Sempro niano, fuiſſe reſtrictam.

Aliud exemplum proponit Javolenus in *l. heres* 100. §. *cui Corinthia ff. de leg.* 3. Lega- 2
ta erant vaſa Corinthia. Diſputatum fuit inter veteres Trebatium, Labeonem, Proculum, an baſes quoque & pedamenta vaſorum legato comprehenderentur. Probatur à Javoleno Proculi ſententia, diſtinguentis inter baſes æneas, & Corinthias. Si æneæ ſunt, non debentur: ſi Corinthiæ, debentur. Demonſtratio illa: *Corinthia* adjecta vaſis reſtringit legatum etiam, quoad baſes & & fulcra vaſorum. At enim etiam vaſa ſunt ænea, ſi ſunt Corinthia: metallum Corinthium, æs eſt, quod caſus miſcuit, Corintho, cùm caperetur, incenſa. Plin. *lib.* 34. *cap.* 2. Quidni igitur baſes etiam æneæ contineantur? Erat quidem æs Corinthium, ſed auro, argentoque mixtum in Corinthi deflagratione anno Urbis DCVIII. Plin. ibid. *Sunt ergo vaſa tantùm Corinthia, quæ iſti elegantiores modò in eſculenta transferunt, modò in lucernas, & trulleos nullo munditiarum reſpectu. Ejus tria genera, candidum; argento nitore quam proximè accedens, in quo illa mixtura prævaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit.* In magno pretio Romæ erat, ac traditum eſt, non aliâ de causâ Verrem, quem Cicero damnaverat, proſcriptum cum eo ab Antonio, quam quod Corinthiis ſe ei ceſſurum negaviſſet. Verum ego non propter pretium immane, ſed propter mixturam auri, & argenti, quæ differre materia æs vulgare à Corinthio facit, baſes æneas legato non contineri arbitror. Si legaſſet vaſa ænea & Corinthia, & Deliaca, & Æginetica, & Cypria & alia, quæcumque legato continerentur, quia genus ſingulas ſpecies comprehendit *l. cum res* 47. §. 1. *ff. de leg.* 1. *l. ſi chorus* 79. *in princ. ff. de leg.* 3. Legavit vaſa Corinthia. Legatum non egreditur terminos ſpeciei legatæ. Vaſa ænea alterius ſpeciei legato non continentur, ut ſi ex ære Deliaco, Liviano, Saluſtiano, aut vulgari eſſent conflata. Multò minus igitur venient baſes, quibus nullo modo convenit demonſtratio

teſtatoris

teſtatoris ; quoniam neque vaſa ſunt, neque ex ære Corinthio.

3 Alia exempla ſubjiciam uberioris doctrinæ causâ. Qui res ſuas alteri pigneratas legat, adſtringit heredem ad luendum pignus, eaſque liberas legatario præſtandas, ſiquidem ſciebat, eas eſſe pignori obligatas *l. ſi res 57. ff. de leg. 1. l. prædia C. de fideic. l. licet 15. ff. de dot. præleg.* tamen ſi quis dotem uxori ſuæ prælegaverit, quæ conſiſtat in rebus pignori obligatis, non cogitur heres eas luere, & liberas præſtare, ſed ejuſmodi reſtituere uxori, cujuſmodi accepit ; nam cùm titulo dotis legatæ fuerint, præſtandæ ſunt ab herede, quales à marito, vel ejus herede forent reſtituendæ, ſi actione de dote conveniretur. Exemplum proponitur in *d. l. licet 15. ff. de dot. præl.* Sed hæc ſunt expedita : paulò abſtruſiora ſunt, quæ proponuntur in *l. ult. §. ult. ff. de trit. vin. & ol. leg.* & in *l. nam quod liquidà 4. §. ult. ff. de pen. leg.*

4 In *l. ult. §. ult. ff. de tritic. &c.* Dulcibus legatis non ſolùm dulces potiones, ſed & dulcia poma debentur, ut in *§. antec.* ſubjicit. *Quòd ſi ita eſſet legatum : vinum amphorarium Aminæum, Græcum, & dulcia omnia : nihil inter dulcia, niſi quod potionis fuiſſet, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii ; quod non improbo.* Singularis eſt hæc interpretatio legati : maximè propter illud ſignum univerſale *omnia*. Initio legis verbum *omne* tantam vim habuit, ut comprehenderet etiam vinum, quod eſſet in urnalibus, licèt legatum eſſet omne vinum, quod eſſet in amphoris : hìc autem verbum *omnia* ne quidem comprehendit poma dulcia, & reſtringitur ad ſolas potiones ex collatione vini amphorarii. Ibi verbum *omne* extendit legatum ad ea, quæ verbis non comprehendebantur : hìc ne comprehendit quidem ea, quæ verba ipſa, ſui naturâ, & ſignificatione denotarent.

5 Utrumque eſt explicatu difficile, maximè propter ea, quæ DD. in controverſiam vocant : an ſpecies reſtringat genus vel præcedens, vel ſubſequens : de quâ quæſtione quid ſentiam, expoſui in ſuperioribus. Quid de legis hujus interpretatione ſentiam, modò aperiam. Quod ad initium legis, puto legato vino, quod in amphoris eſſet, deberi etiam vinum, quod in urnalibus diffuſum habebat teſtator, quia vini amphorarii nomine, etiam id, quod in urnis eſt, continetur. Siquidem urna eſt amphora dimidiata : amphora capit urnas duas. Voluſ. Mætian. *Quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet urnas duas.* Amphora vini vel aquæ, libras octoginta, urna quadraginta pendebat. Amphora Græcis, quia duas anſas habebat, quibus apprehenſa transferebatur : quadrantal Latinis, quia ex omni parte quadrata, habens quaquàverſus pedem Romanum. Tam amphora quàm urna, & menſura erat, & vas : utrumque ut plurimùm fictile. Non tamen omnis amphora quadrata, ſeu potiùs cubica, teſſeræ forma : non omnis capax octoginta librarum. Conjicio id ex Horatio in *Arte Poet.* ſub initium :

——— *Amphora cœpit*
Inſtitui : currente rotâ cur urceus exit ?

Corpus quadratum rotâ formare non poteſt. Cato *de re ruſt. cap. 10.* inter utenſilia, quæ villicum oportet habere, numerat *amphoras ollarias duas : quinquagenariam unam. Ollarias* dictas puto à figura ollæ, quæ rotunda eſt, & rota conficitur. *Quinquagenariam*, nempè capacem quinquaginta pondo, vel quinquaginta ſextariorum. Amphora, cùm pro menſura accipitur, eſt quadraginta octo. Idem in *cap. 13.* inter inſtrumenta torcularii pariter numerat urnam quinquagenariam. Urna igitur, cùm vas erat, aliquandò æqualis amphoræ. Ideò amphora, & urna, promiſcuè accipiuntur à Scriptoribus rei ruſticæ ; & apud noſtros vix ejus occurrit mentio ; quia, ut arbitror, amphoræ nomine urnam comprehendunt. Nominantur quidem urnæ æneæ à Paulo in *l. taberna 13. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* ſed hæ non erant vaſa vinaria, in quibus vinum ſervabatur : ſed vaſcula, quibus vinum, aut aqua infundebatur in crateres & calices : nos dicimus *meſcirobe*. Varro *urnulas aquales*. Cato

Digitized by Google

Urceos aquales. Juven. *Sat.* 3. *Urceolos.*

Urceoli ſex
Ornamentum abaci.

Satyr. 10. & alibi.

Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patella.

Plin. *lib.* 9. *cap.* 30. Caliculos urnales. *Acetabulis ſive caliculis urnalibus pelvium modo.*

6 Quod ad menſuram attinet, erat in Capitolio amphora publica, ad quam amphoræ privatorum exigebantur in liquidis emendis vendendiſque, & in omni genere commercii: veluti ſi quis legaſſet decem amphoras vini ex illo dolio, ut in *l. ſi ſervus* 8. *§. ſi quis legaverit ff. de leg.* 2. Cæterùm ad promiſcuum familiæ, vel agriculturæ uſum quilibet, prout libitum erat, & commodis ſuis aptum, majores minoreſve amphoras habebat. Non temerè Capitolin. in *Vita Maximin. Bibiſſe autem illum ſæpè in die vini Capitolinam amphoram conſtat: comediſſe & XL. libras carnis, ut autem Cordus dicit, etiam LX.* Ut certò conſtaret, quantùm biberet, dixit: *amphoram Capitolinam*, ut certam menſuram oſtenderet: amphoræ privatorum ad uſum domeſticum deſtinatæ, in quas vinum ex doliis diffundebant, variæ, & plerùmque minores Capitolinâ. Ideircò ut inſignem vini potorem Maximinum oſtenderet, eum bibiſſe amphoram Capitolinam dixit: nempè vini libras octoginta.

7 Sed ut rem penitùs introſpiciamus, animadvertendum eſt, veteres Romanos muſtum è lacu in dolia vel cuppas transfudiſſe, in quibus vinum, ut minimum, uſque ad futuram vindemiam adſervabant, quo tempore dolia evacuare, & novo muſto implere ſolebant. Quò pertinet *l.* 1. *§. ult. ff. de peric. & com. rei vend.* eaque quæ traduntur à Catone *de re ruſt. cap.* 148. Atque ut diligentiùs adſervaretur, & matureſceret, cuppas, & dolia terræ infodiebant vel in fundo ut in *l. pen. in fin. ff. de act. empt.* & in *l. inſtrumento* 8. *in princ. ff. de fund. inſt.* vel in horreo ut in *l. dolia* 76. *ff. de contr. empt.* plerùmque in cella vinaria *l.* 3. *§.* 1. *ff. de trit. vin. & ol. leg. l. Lucius Titius* 93. *§. collegio ff. de leg.* 3. Plin. *lib.* 14. *cap.* 21. *Mitiores plaga doliis condunt, infodiuntque terræ:* & infrà. *imbecilla vina dimiſſis in terram doliis ſervanda.* Ubi vinum inveteraverat, in amphoras, & urnas, & cados diffundebant, vel ad uſum familiæ, vel ut ipſum venderent *l. penult. in fin. ff. de trit. vin. &c.* Hoc vinum amphorarium dicebatur: illud doliare. *d. l.* 1. *§. ult. de peric. & com. & l. ult. §. ult. ff. de trit. vin. & ol.* Amphoræ & cadi ſæpè numero nominantur & conjunguntur in hoc titulo. Cadus ab amphora non diſtat menſurâ, & capacitate, ſed figurâ. Amphora, ut dixi, quaquâverſus quadrata: cadus rotundus, & turbinatus. Plin. *lib.* 27. *c.* 4. *in turbinibus cadorum.* Tam cadus, quàm amphora capit duas urnas Jul. Pollux *lib.* 10. *cap.* 20. *Veteribus amphoram, cadum, dictam eſſe; & ſemiamphoram, ſemicadum.* Ergo ſemiamphora, & ſemicadus, urna eſt. Hæc ſunt vaſa vinaria: Dolia non item *l. pen. ff. de trit. vin.* Duo igitur ſunt genera: vinum doliare, quod novum eſt: & vinum amphorarium, quod vetus eſt, & comprehendit omne vinum, quod diffuſum eſt, ſcilicèt ex doliis defuſum in amphoras, in cados, in urnas; in quibus diutiſſimè adſervabatur, ut vetuſteſceret. Non omittam locum Ciceronis quo hæc mirificè illuſtrantur. Reprobat in *Bruto* oratores, qui, ut Attici videantur, Thucydidem imitantur; & vini utitur ſimilitudine. *Orationes autem quas interpoſuit (multæ enim ſunt) eas ego laudare ſoleo; ſed imitari neque poſſim, ſi velim; nec velim fortaſſe, ſi poſſim: ut, ſi quis Falerno vino delectetur; ſed eo nec ita novo, ut proximis conſulibus natum velit: nec rursùs ita vetere, ut Opimium, aut Anicium conſulem quærat. Atqui ea notæ ſunt optimæ, credo: ſed nimia vetuſtas nec habet eam, quam quærimus, ſuavitatem, nec eſt jam ſanè tolerabilis. Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio hauriendum putet? Minimè: ſed quamdam ſequatur ætatem. Sic & iſtis cenſuerim, & novam iſtam, quaſi de muſto, ac lacu fervidam orationem fugiendam, nec*

illam præclaram Thucydidis nimis veterem, tamquàm Anicianam notam, perſequendam. Notas vaſis inſcribebant ex quibus cognoſcerent, undè eſſet vinum, & quo Conſule natum aut diffuſum: & de hoc paſſim poëtæ. Ex vetuſtate vini pretium. De Vino Opimiano Plin. *lib.* 14. *cap.* 4. *Lucio Opimio Conſule &c. ea cœli temperies fulſit, quam coſturam vocant, ſolis opere, natali urbis* 634. *durantque adhuc vina ducentis ferè annis, jam in ſpeciem redacta mellis aſperi.* Aliter quoad ætatem Vell. Paterc. *lib.* 2. *c.* 6. Sed Plinio magis credendum. Ciceronis ætate duraverat annos ad ſexaginta.

8 Multò plura, quàm vellem, dixi; quæ tamen ad explicationem hujus tituli non erunt prorſus inutilia: licèt ad exponendam legem noſtram multa ſint ſupervacanea, cujus his animadverſis facilis eſt explicatio. Vinum, quod eſt in amphoris, eſt illud ipſum, quod vinum amphorarium. At vinum amphorarium comprehendit omne vinum, quod è dolio diffuſum eſt vel in amphoras, vel in cados, vel in urnas: nam hæc omnia nec nomine, nec qualitate inter ſe differunt. Qui nominat vinum, quod eſt in amphoris, intelligit comprehendere etiam vinum, quod eſt in ſemiamphoris: ſemiamphora autem eſt urna. Nos ex doliis vinum defundimus aut in œnophora lignea, quæ vocamus *bariles* metretæ capacitate: aut in lagunculas vitreas, quas *flaſcos* dicimus, ventrioſos, oblongo collo, ne vini flos ac ſpiritus evaneſcat, congio aliquantò minores. Defundimus etiam in ſemiœnophoras ſeu ſemimetretas, vel in ſemilagunculas. Si quis vinum legaret, quod eſt in *barilibus*; nemo, ut arbitror, dubitaret legato contineri etiam, quod eſt in ſemibarilibus: item legato vino, quod eſt in *flaſcis*, hoc eſt, lagunculis, contineri vinum, quod eſt in ſemilagunculis. Veteres vinum diffuſum dicebant: nos *vino infiaſcato*. Illi in amphoras fictiles diffundebant: nos in vitreas lagenas. Illi vinum amphorarium dicebant: nos *vino infiaſcato* aut *vino in fiaſchi*. Illud etiam eſt obſervandum, quòd *urnalis* eſt nomen adjectivum, quod refertur ad ſubſtantivum, & cum eo jungi debet; quaſi dixerit J C. *in amphoris urnalibus*: hoc eſt, amphoris urnam capientibus: amphoris quinquagenariis, ut dixit Cato *cap.* 10. *& cap.* 13. *de re ruſtic.* ſicut urceos *fictiles urnales* ibidem nominavit & caliculos urnales Plin. *lib.* 9. *cap.* 30. *& lib.* 14. *cap.* 14. *cados congiarios*: quæ adjectiva nihil aliud adjiciunt ſubſtantivo, niſi quòd indicant menſuram, & capacitatem vaſis aut figuram. Legato igitur vino in amphoris, debetur etiam omne, quod fuiſſet in amphoris urnalibus: quia credibile eſt, mentem teſtantis eam eſſe, ut hoc quoque comprehenderet; ut in ſimili ait Ulpianus in *l.* 3. *verſ. ſed quia ff. de tritic. &c.*

His efficitur, inanem, & ab hâc lege 9
alienam, eſſe diſputationem de genere comprehendente ſpecies, & de verbo univerſali *omne*, quod extendit legatum ad vinum urnale; in quo lapſus eſt ipſe Cujacius, qui in hujus legis explicatione dormitavit. Putat enim teſtatorem legaſſe vinum omne, quod habebat in amphoris. Falſum: verbum *omne* non eſt teſtatoris, ſed Proculi. Teſtator legavit ſimpliciter: *vinum in amphoris.* Proculus ait: *omne quoque vinum, quod in urnalibus fuiſſet, legatum eſſe*: dixit autem *omne*, quia propoſuerat teſtatorem habuiſſe vinum Surrentinum in urnalibus diffuſum. Si legaſſet vinum ſimpliciter, etiamſi non adjeciſſet *omne*, tamen deberetur omne vinum, quod in amphoris, in cadis, in doliis eſſet *l. cui vinum* 6. & *l. vinum* 15. *ff. eod.* Sed cùm legat vinum, quod in amphoris, etiamſi adjeciſſet verbum *omne*, tamen verba non comprehendunt, niſi vinum amphorarium: vinum quod diffuſum eſt in amphoras.

Veniamus ad §. *ult.* ejuſdem legis. *Quòd* 10
ſi ita eſſet legatum. Vinum amphorarium Amimaum, Græcum & dulcia omnia: nihil inter dulcia, niſi quod potionis fuiſſet, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii, quod non improbo. Si cui legata fuiſſent dulcia, etiamſi non fuiſſet adjectum *omnia*, tamen continerentur non ſolùm dulces potiones, ſed etiam edulia dulcia, ut traditur in *anteced.* §. In hoc autem etiamſi adjectum fuerit *dulcia omnia*, tamen ſolæ potiones

Digitized by Google

continentur. Quid ita ? quia dulcium duo ſunt genera : alterum potionum : eduliorum alterum. Primi generis quatuordecim ſpecies recenſet Plinius *lib.* 14. *cap.* 9. Secundi generis quatuor tantùm Proculus in *d.* §. ſunt aliquandò plures, ſed ad numerum potionum paucæ. Genus comprehendit ſingulas ſpecies ſibi ſubjectas, non verò complectitur aliud genus, vel ſpecies alteri generi ſubjectas. Quamobrem quoties teſtator de aliquo genere cogitavit in legando, continentur quidem legato ſpecies omnes ejus generis, quod in mente habuit : non verò ſpecies alterius generis, etiamſi fuerit genus, quod dialectici ſubalternum, Cicero formam vocat. Hominum genus in ſexu conſideratur virile, an muliebre : qui legat hominem, ſi conſideret genus virile, feminæ legato non continebuntur, quamvis ſervis legatis ancillæ quoque debeantur *l. ſervis legatis* 81. *in princ. ff. de leg.* 3. *l. inter ſtuprum* 101. *in fin. ff. de V. S.* Dulcibus legatis & potiones, & cibi, hoc eſt, poma dulcia debentur. *d. l. ult.* §. 1. At ſi teſtator ad ſolas potiones reſpexerit, eſculenta non debebuntur §. *ſeq. & ult. ejuſdem legis.* Quod autem teſtator de genere potionum cogitaverit, & ad hoc reſpexerit, indicat collatio vini amphorarii, ut aïebat Labeo. Hoc eſt, cùm conjunxerit, ac ſubjecerit vinis dulcia, eaque contulerit cum iis, quæ potionis ſunt ; videtur ea dulcia legaſſe, quæ vinis ſimilia ſunt : quæ ſunt ejuſdem generis. Eſt enim collatio, *oratio rem cum re ex ſimilitudine conferens*, ut definit Cicero in *primo de invent.* Similia igitur oportet eſſe dulcia vinis, cum quibus conferuntur ut mulſum, paſſum defrutum, & vina, quæ recenſet Plin. *laudato cap.* 9. quæ ſunt etiam multò ſimiliora. Maximè verò quia collatio non poteſt fieri ex ſimilitudine dulcedinis, cùm vinum Aminæum & Græcum inter vina dulcia non recenſeantur : neceſſe eſt igitur, ut conferantur ex ſimilitudine potûs, perindè ac dixiſſet teſtator : *vinum amphorarium Aminæum, Græcum, & omnia dulcia.* Sic enim non recedit à genere potionum, quas antè legaverat. Ita in *l. quæſitum* 78. §. 1. *ff. de leg.* 3. legaverat teſtator fundum Sempronianum, & ea, *quæ ibi erunt* : poſteà epiſtolam talem emiſit. *argentum omne, & ſupellectilem, quodcumque habeo*, tibi dono, & quicquid in prædio Semproniano habeo. Verba illa univerſalia *argentum omne, quodcumque habeo*, comprehendunt omne argentum teſtatoris, ubicumque fuerit : nihilominùs cùm ex verbis cùm epiſtolæ, tum teſtamenti appareat, eum cogitaſſe de illis, quæ erant in fundo Semproniano ; ſolum argentum, quod in Semproniano fuerit, legato continetur, niſi legatarius probaverit, aliud placuiſſe teſtatori. Noto autem & in epiſtola factam proponi mentionem fundi : aliter enim ex eo, quòd teſtator in condendo teſtamento cogitaverit de illis, quæ erant in eo fundo, conjici non poſſet de iiſdem cogitaſſe, cùm ſcripſit epiſtolam.

Ad confirmationem non utor exemplo 11 propoſito in *l.* 1. *ff. de reb. dub.* quo nititur Cujacius. Etenim in eo eſt longè diverſa ratio. Facultas eligendi à teſtatore data legatario demonſtrat ejus voluntatem, & tollit ambiguitatem verborum : nam electio ut plurimum datur à teſtatore inter paria, aut non multùm inter ſe diſtantia. Ambiguum ibi eſt in nomine fundi Mæviani ; major ne, an minor legato contineatur : tollitur autem, conſideratâ quantitate fundi Sejani. Nihil hæc ad noſtram legem, quæ incurrit in eas difficultates, quas modò expendimus.

CAPUT XVII.

Ad L. nam quod 4. §. *ult. ff. de pen. leg.*

SUMMARIUM.

1 *Legata penu præter vinum, omnis penus debetur excepto vino.*

2 *Si ex legato penûs excipiatur vinum, quod Romæ erit, ſola penus, quæ Romæ eſt, legata cenſebitur.*

3 *Relativum*, quod *ad omnia antecedentia referri repugnat.*

4 *Relativum referri debere ad id, quod diſpoſitivè ponitur, non verò ad id, quod excipitur, falſum.*
5 *Exceptio debet eſſe de comprehenſis in diſpoſitione.*
6 *Refellitur opinio Covarruviæ reſolut. Lib. 2. cap. 5.*
7 *Ictos conſuluiſſe pro teſtamentis conficiendis veteribus admodum difficile erat.*
8 *Extenditur ratio textus noſtri.*
9 *Exponitur l. quæſitum 12. §. penult. ff. de fund. inſt.*
10 *Expeditur l. Plautius 8. ff. de aur. & arg. leg.*
11 *Explicatur L. ſi quis legavit 11. ff. de aur. & arg. leg.*

RESTAT, ut exponamus *l.* 4. §. *ult. ff. de*
1 *penu leg.* cujus perſpicua eſt, & aperta ſententia: ratio verò obſcuriſſima. *Si cui penus legata ſit præter vinum, omnis penus legata videtur excepto vino.* Rectè ſanè. Penus continet ea, quæ eſui, potuique ſunt *l.* 3. *in princ. ff. eod.* ergo & vinum. Sed cùm teſtator illud exceperit, deberi non poteſt. Debetur igitur omnis penus excepto vino. *l. ſervis legatis* 65. *ff. de leg.* 3. *l. Titia textores* 36. *ff. de leg.* 1. Dubitari tantummodò poſſet, quod vini genus videatur exceptum. Dicendum; omne id quod vini numero teſtator habebat *l. ſi quis vinum* 9. *in princip. verſ. hac omnia ff. de trit. vin. & ol. leg. l.* 2. §. *ult. ff. de opt. leg.*

Subjicit JC. *Sed ſi ita ſcriptum ſit: om-*
2 *nem penum præter vinum, quod Romæ erit: ſola penus, quæ Romæ eſt legata videtur: & ita & Pomponius libro ſexto ad Sabinum ſcribit.* Nititur hæc opinio maximorum Juriſconſultorum auctoritate, Pauli, atque Pomponii. Inter noſtros eſt magna diſſenſio. Pleraque, quæ ab his tradita fuerunt, futilia ſunt & commentitia.

3 Nam dicere, relativi *quod* eam eſſe vim, ut referatur ad omnia antecedentia, cujuſcumque ea ſint generis, perquàm ineptum eſt, & abſurdum. Repugnat recta ratio latini ſermonis: repugnat ipſa lex *l. Plautius* 8. *ff. de aur. & arg. leg.* quæ eſt ejuſdem Pauli, qui noſtræ legis eſt auctor. Illud etiam multò abſurdius, imò verò apertè falſum, penum neutri generis eſſe. Dicitur quidem penus omnibus generibus *d. l.* 4. §. *nomen ff. de pen. leg.* Gell. *lib.* 4. *cap.* 1. Feſt. *in verb. Penus.* Et in genere neutro in *l.* 2. *ff. de trit. vin.* Ibi: *omne penum.* Plaut. in *Pſeudol. ſc.* 2. *in fin. omne huc penus affertur.* & in *Captiv. ſc.* 14. *ſibi penum aliud ornet.* Terent. in *Eunuch. penum omne congerebam.* Horat. *lib.* 1. *ep.* 16. *portet frumenta, penuſque.* In genere maſculino vix umquam: Plautus in *Pſeud. ſc.* 2. dixit *penus annuus,* non memini me alibi legiſſe; niſi hùc trahamus illud Ulpiani in *l. ſed etſi* 25. §. *quod autem* 16. *ff. de pet. hered. penum hereditarium ebibit.* At in noſtra *l.* non in genere neutro, ſed in feminino ponitur à Paulo, ut ſolet. Non dixit *omne penum*, ut in *d. l.* 2. ſed, *omnem penum*: item ſubdit; *ſola penus, quæ Romæ eſt.*

Commentitium quoque eſt, quod in du- 4
bio relativum referri debeat ad id, quod ponitur diſpoſitivè, non ad id, quod ponitur exceptivè; ut ait Bartolus. Quid hoc rei eſt? igitur vinum, quod Romæ eſt, legatum erit & debebitur: vinum enim, quod Romæ eſt, à teſtatore fuit exceptum, ſeu, ut ipſe ait, *exceptivè poſitum.* Profectò ſi vera eſt hæc regula; aut vinum non erit exceptum; aut quoad vinum delenda erit hæc exceptio; ſeu potiùs dicendum erit, quòd penus quæ Romæ eſt, non debetur, quod eſt abſurdiſſimum pariter & falſiſſimum. Nam quemadmodum, ſi exceptio *quod Romæ erit* referatur ad vinum, ſequitur non deberi vinum, quod Romæ erit: ita ſi referatur ad penum, conſequens erit, non deberi penum, quæ Romæ erit. Sed commentitia eſt illa regula: quâ enim lege, quâ ratione nititur? quo argumento probatur? Ampliùs dico, quòd etſi vera eſſet, tamen ad rem noſtram non pertineret, quia verba dubia non ſunt, nec ambigi poteſt, relativum *quod* referri ad vinum, ſalvâ ratione latini ſermonis, confirmatâ juris auctoritate in *l. Plautius in fin. ff. de aur. & arg.* Itemque dubitari non poteſt, verba *omnem penum* comprehendere etiam vinum, quod in penu contineretur, etiamſi non fuiſſet adjectum verbum univerſale *omnem l.* 3. *in princ. ff. de pen. leg.*

Denique & illud falſum eſt, quod pleri- 5
que commenti ſunt: ideò ſolam penum, quæ Romæ eſt, legato contineri, quia aliàs exceptio non eſſet de regula. Penus compre-

hendit ea, quæ eſui, potuique ſunt *d. l. 3. in princ.* ergo & vinum & quicquid vini loco paterfamilias habuit *d. l. 3. §. poculenta.* Hæc eſt regula: excipitur vinum, quod Romæ eſt: hoc quoque erat de regula, nam hoc quoque in penu legatâ continebatur: exceptio igitur eſt de regula. Et hoc perſpicuè probat Paulus in noſtro *§. ult. in princ. Si cui penus legata ſit præter vinum, omnis penus legata videtur excepto vino:* igitur exceptio vini eſt de regula. Nec quicquam intereſt, quòd hîc non excipiatur omne vinum, ſed dumtaxat id, quod Romæ eſt: hoc enim efficit reſtrictiorem exceptionem, non verò eam non eſſe de regula. An ſi quis legaverit penum omnem præter legumina, vel præter frumentum, vel præter hordeum, vel præter vaſa penuaria, dicemus exceptionem non eſſe de regula? minimè: nam hæc quoque legato penoris continentur. *d. l. 3. §. ſive autem cum ſeqq.* uſque ad finem legis. Ac ſi dixerimus, has exceptiones non eſſe de regula, & ideò reſtringendum eſſe legatum; illud quoque dicamus neceſſe eſt: legatâ penu præter frumentum, intelligi legatam ſolummodò penum eſculentam: legatâ penu præter vinum, intelligi legatam ſolummodo penum poculentam, quod falſum eſt *d. §. ult. in princ.* Ibi: *omnis penus legata videtur excepto vino.* Quotieſcumque enim excipitur aliquid, quod in regula comprehenditur, exceptio eſt de regula. Loquor cum veteribus, qui etiam ea, quæ per ſe perſpicua ſunt, ineptis verbis plerùmque confundunt & obſcurant. Dicam planiùs. Rectè excipitur id, quod in generali diſpoſitione comprehenderetur, ſi non exciperetur: vel breviùs: exceptio debet eſſe de comprehenſis in diſpoſitione. Si vinum comprehenditur in legato penûs, etiam vinum quod Romæ eſt: ejus exceptio recta eſt, & apta, nec ullâ in re diſconvenit ac diſcrepat à propria & uſitatâ naturâ exceptionis. Hoc, quia perſpicuè verum eſt, nihil attinet approbari.

6 Nec ſententiam doctiſſimi Covarruviæ *reſolut. cap. 5. lib. 2.* probare poſſum, qui putat, hodiè inſpecto communi uſu loquendi, & diſponendi, & animadversâ teſtantium imperitiâ, & frequenter morbo, curiſque prægravantibus oſcitantia, hoc reſponſum à judicibus admittendum non eſſe; nec admitti poſſe abſque injuria voluntatis teſtatoris. Enimverò indigna mihi tanto viro eſſe videtur tam infirma, tam futilis ratio: quaſi verò antiqui illi Romani aut morbis non laborarent, aut curis non premerentur, aut Pomponii & Pauli ætate omnes teſtatores eſſent juris periti. Quin hodiè multò major eſt juris peritia in illis, per quos teſtamenta ſcribuntur, quàm eſſet tunc temporis. Conficiunt enim teſtamenta contractuſque, Tabelliones, & notarii, qui aut ſunt juriſperiti, aut ſaltèm eorum conficiendorum callent artem, cujus exercendæ facultatem publicâ auctoritate conſequuntur, à Juriſconſultis diligenter examinati. Hoc autem in uſu non erat temporibus Pauli atque Pomponii. Teſtamenta aut ipſi teſtatores ſcribebant, aut dictabant teſtamentario *l. quoties 9. §. 1. & §. idem tractat 6. ff. de hered. inſt. l. Divus 15. l. impuberum 22. §. ſi teſtamentarius ff. ad l. Cornel. de falſ. l. 1. in princ. ff. ſi quis aliquem teſt. prohib. l. 3. §. ult. ff. ad S.C. Trebell.* qui aliquandò ſervus erat. *d. l. impuberum §. item non continetur.* Nam & Tabellionum officium ſervis publicis mandabatur *l. non aliter 18. ff. de adopt. l. 2. C. eod. l. 1. §. exigere 15. ff. de magiſtr. conven.* Et conſtabit obſervanti *l. 3. C. de tabul. & l. fin. C. de ſerv. Reip. manum.* Capitolin. in *vita Macrini. Macrinum libertinum hominem, proſtibulum, ſervilibus officiis occupatum &c. ad Africam iſſe, venatorem primò, poſt etiam Tabellionem fuiſſe.* Notariorum ars olim longè diverſa: Notarii enim dicebantur à notis, quibus dicta, vel dictata excipiebant, tantâ celeritate, ut dicentem ſcribendo præverterent. Manil. *lib. 4. Aſtron.* eos ita deſcribit:

Quique notis linguam ſuperet, curſimque loquentis
Excipiens longas nova per compendia voces.

Mart. *ep.* 208. *lib.* 14. in Notario.

Digitized by Google

Currant verba licet, manus eſt velocior illis;
Nondum lingua ſuum dextra peregit opus.

Quidam hîc advocant ſcribas: ſed perperàm. Scribæ magiſtratibus miniſtrabant. Cic. *pro dom. ſuâ. Scribæ, qui nobiſcum in rationibus, monumentiſque publicis verſantur.* Et contra Rullum. *Deinde ornat apparitoribus, ſcribis, librariis, architectis.* Et *lib.* 3. *in Verr.* Scribarum ordinem honeſtum eſſe ait; quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committuntur. Hinc legimus ſcribas Pontificum, Ædilium, Quæſtorum, Imperatorum. Ex his intelligimus, cujuſmodi eſſet ſcribarum officium: nempè ſcribebant, & cuſtodiebant publica monumenta, leges, edicta magiſtratuum, quibus miniſtrabant, ut exponit Plutarch. *in Catone*; & publicas etiam rationes conficiebant, ut Cic. loco modò laudato. Erant ſcribarum decuriæ; quæ à multis emebantur hominibus turpis, aut infimæ conditionis. Cic. *d. lib.* 3. *in Verr.* & *in orat. pro Cluent.* Scribæ nec privatis miniſtrabant, nec erant juriſperiti. Jul. Firmic. *Math. lib.* 2. *c.* 45. *Juriſperitos, ſeu ſcribas, vel exceptores.*

7 Non ignoro, multos in condendis teſtamentis conſuluiſſe juriſperitos, ut apparet ex *l. Lucius Titius* 88. §. *Lucius Titius ult. ff. de leg.* 2. ſed quotuſquiſque erat, qui in tanto populo poſſet uti conſilio juriſconſultorum. Pauciſſimi illi erant, atque ii vel gerendis magiſtratibus occupati, vel in conſilio imperatorum. Erant quidem & illi, qui pragmatici vocabantur, qui oratoribus jura ſuggerebant, de quibus Cicero *lib.* 1. *de orat.* & Quintil. *lib.* 3. *c.* 6. & *lib.* 12. *cap.* 3. & Ulpian. in *l. moris* 9. §. *nonnumquam ff. de pœn.* ubi eos diſtinguit à juriſperitis & juris ſtudioſis, jungitque Tabellionibus. *Solet autem ita vel juris ſtudioſis interdici, vel advocatis, vel tabellionibus, ſive pragmaticis.* Erant enim potiùs periti ejus juris, quod in ordine judiciorum, & cautionibus, & formulis verſabatur, quàm juriſconſulti. Sed, ut fuerint in jure doctiſſimi, qui poterant tanto populo tam pauci ſupereſſe? In ſexto Auguſti conſulatu cenſita ſunt civium Romanorum capita quadragies centum millia, & ſexaginta tria. Sub Claudio Imperatore ſexagies novies centena ſexaginta quatuor millia. Quis numerus juriſconſultorum aut pragmaticorum ſuffecerit, ſi univerſa hæc civium multitudo, teſtari, contrahere, res ſuas adminiſtrare voluerit conſilio juriſperitorum? Neque tum temporis erat hæc copia, quæ nunc ſuperfluit, legulejorum; quia nondùm erant inſtituta publica gymnaſia, in quibus paſſim, ut nunc uſitatum eſt, ubique gentium Doctores publico ſalario conducti docerent omnes juriſprudentiam. Sed tam longam diſputationem concludamus. Si valere debet ignorantiæ ratio, pleraſque juris Romani leges de ultimarum voluntatum interpretatione abolere oportebit, & incerto jure vagari Jus certum eſt, & eſſe debet, & ab omnibus intelligi, nec illud licet ignorare *l.* 2. *ff. de legib. l. leges* 9. *C. eod. l. conſtitutiones* 12. *C. de jur. & fact. ignor.* nec ſtultis jura ſuccurrunt *l. pen. ff. eod.* & vigilantibus ſcripta ſunt *l. pupillus* 24. *in fin. ff. quæ in fraud. credit.* Si teſtator clariùs non declaravit voluntatem ſuam, id ſuæ ignorantiæ ſuæque negligentiæ expenſum ferre debet *d. l.* 24. *verſ. id quod acceperit.* Lex enim ita ſcripta eſt; & quidem clarè, atque perſpicuè, ut ab omnibus intelligatur, adeòque etiamſi dura eſſet, nihilominus ſervanda foret *l. proſpexit* 12. §. 1. *ff. qui & à quib. manum.* Maximè quia lex noſtra nullam pœnam, nullum onus continet; ſed dumtaxat interpretationem ambiguæ voluntatis, à quâ lex ipſa recedere permittit, ſi aliud teſtatori placuiſſe à legatario probabitur *l. quæſitum* 78. §. 1. *in fin. ff. de leg.* 3. Quid igitur cauſæ eſt, cur ſervari non debeat?

Hoc igitur ratum, fixumque ſit, legem eſſe ſervandam. At enim nullâ ratione nititur. Falſum. Ratio poſita eſt in conjectura voluntatis. Verba illa: *præter vinum, quod Romæ erit*, indicant teſtatorem in animo habuiſſe penum, quæ Romæ erit, & de ea ſola cogitaſſe, cùm legavit. Ita in ſimili legato Scævola reſpondit: non videri de his reliquis eſſe cogitatum *l. Seja* 20. §. *prædia* 3. *ff.*

Digitized by Google

de inſtr. vel inſtrum. leg. Non abſimile eſt, imò eâdem prorſus conjecturâ nititur reſponſum Scævolæ in *l. quæſitum* 78. §. 1. *ff. de leg.* 3. verba illa: *& quicquid in prædio Semproniano habeo*, quæ videntur addita ad augendum & ampliandum legatum, ipſum reſtringunt: apparet enim legantem cogitaſſe de iis, quæ erant in fundo Semproniano: quamobrem licèt ſuprà legaverit *omne argentum & ſupellectilem*; quæ verba comprehendunt omne argentum, omnemque ſupellectilem, ubicumque eſſet: tamen debetur ſolummodò argentum, & ſupellex, quæ eſt in fundo Semproniano, non quæ alibi eſt; niſi legatarius aliud teſtatoris placuiſſe approbaverit. His verbis Scævola demonſtrat, ſe duci conjecturâ voluntatis, quam nobis ſuggerunt illa verba: *& quicquid in prædio &c.* Si verba quæ vim habent ampliandi legatum, ipſum extenuant, revocatâ ad hanc conjecturam interpretatione: multò magis cùm legato adjecta fuerunt verba, quæ aliquid excipiunt, adeòque vim habent extenuandi. Simile eſt etiam, quod à Proculo traditur in *l. ult. §. ult. ff. de trit. vin. & ol. leg.* quem §. maledictum dicit Bartolus; ſed illum maledictione abſolvimus in ſuperiore; undè petenda ſunt reliqua, quæ ad hunc quoque paragraphum explicandum pertinent. Non tamen omittam *l. hæres* 100. §. *uxori ff. de leg.* 3. quæ videtur pugnare cum *l. Plautius* 8. *ff. de aur. & arg. leg.* Sed in ea ex toto contextu verborum apparebat, legantem cogitaſſe de rebus uxoris causâ paratis: & ideò verba: *quod ejus causâ factum, paratumque &c.* referuntur etiam ad ornamentum, licèt repugnet recta ratio latini ſermonis. In hâc verò contrà, ut infrà exponemus. Modò, quæ opponuntur, confutemus.

9 Opponit Bartolus *l. quæſitum* 12. §. *penult. ff. de fund. inſtr. Si quis fundum, ut inſtructus eſt, legaverit, & adjecerit, cùm ſupellectili, vel mancipiis, vel unâ aliquâ re, quæ nominatim expreſſa non erat; utrum minuit legatum adjiciendo ſpeciem; an verò non, quæritur: & Papinianus reſpondit, non videri minutum; ſed potiùs ex abundanti adjectum.* Ex hâc lege arguit ſpeciem adjectam non minuere legatum. Veriſſimum id quidem, cùm ſpecies non eſt adjecta animo minuendi legati, ſed ex abundanti, ut hic, vel ex imperitia; quia teſtator putabat ſpeciem illam genere legato non contineri: vel ſaltem de hoc dubitabat, vel dubitari poſſe exiſtimabat. Tunc enim tollendæ dubitationis cauſâ, non animo minuendi legati ſpecies adjicitur. Animo minuendi legati ſpecies adjiciuntur primò, quoties plures ac plures enumerantur; ut in *l. cùm de lanionis* 18. §. *quidam ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* quia non poteſt credi, teſtatorem eas ſpecies ex abundanti enumeraſſe; vel in legando genere de iis non cogitaſſe. Idcircò in *l. quæſitum* 12. §. *pen. ff. eod.* proponitur, teſtatorem unam tantùm rem, unam tantum ſpeciem adjeciſſe, & concluditur, ex abundanti adjectam fuiſſe, non verò minutum legatum. Simile exemplum eſt, in *l. Seja* 20. *in princ. ff. eod.* Secundò, ſi non ſpecies adjecta ſit, ſed certus numerus rerum, quæ in aliqua ſpecie continentur, legatus fuerit, res illæ ſolummodò genere continentur; ſpecies autem generi ſubducitur; & in ea modus generi datus intelligitur *l. legata* 9. *verſ. ſi tamen & verſ. idem ff. de ſupell. leg.* Exemplum eſt in *l. cùm de lanionis* 18. §. *cui fundum* 11. *ff. de inſtr. vel inſtrum.* Aliud in *l. hæres* 100 §. 1. *ff. de leg.* 3. Teſtator duas ſtatuas marmoreas cuidam nominatim legavit: item omne marmor. Nulla ſtatua marmorea præter illas duas legata videtur; quia marmoris legato non cogitavit ſtatuas legare. Obſervandum eſt, quòd Javoleni ætate nondùm percrebuerat opinio, quæ Pauli tempore videtur invaluiſſe, legato marmore nihil præter rudem materiam videri demonſtratam *l. quæſitum* 78. §. *illud ff. de leg.* 3. Neque contrarium reſpondit Modeſtinus in *l. verba* 5. *ff. de alim. leg.* nam ibi ſunt duo legata diſtincta, atque inter ſe diverſa: alterum datum omnibus libertis: alterum tribus nominatis, quibus etiam injunctum eſt manendi cum hæredibus imò nec ibi generi, & ſpeciei legatur: ſed ſpeciei & individuis. Con-

trà ſi plures ſpecies fuerint nominatæ, ad eas genus redigitur, & in illis conſiſtit legatum, ut in *l. cùm de lanionis* 18. *§. penult. ff. de inſtr.* & in *l. Seja* 20. *in princ. ff. eod.* Hæc eſt vera diſtinctio à veteribus tradita. Sed hæc ad noſtram quæſtionem non pertinent, ſed ad eam: utrum generi per ſpeciem derogetur. Imò legibus modò expenſis confirmatur noſtra explicatio, quòd in legato generis comprehenditur id, de quo teſtator cogitavit, ut latè declaravimus ad expoſitionem *l. ult. §. ult. ff. de trit. vin.*

10 Multò difficilior eſt *l. Plautius* 8. *ff. de aur. & arg. leg. Quiſquis mihi hæres erit Titiæ veſtem meam, mundum, ornamentaque muliebria damnas eſto dare.* Plautius, Caſſius, Javolenus, Paulus exiſtimarunt, omnem veſtem legatam videri, non tantùm muliebrem. Quid eſt, quamobrem verbum illud *muliebria* non redigat ad veſtem muliebrem, & contrahat genus veſtis; ſicut verba: *vinum quod Romæ erit*: contrahunt genus penoris ad penum, quæ Romæ erit in *l. 4. §. ult. ff. de pen. leg.* Nimirum quia hîc ex verbo *muliebria* non poſſumus arguere reſtitricem in animo habuiſſe legare dumtaxat muliebria. Obſtat enim huic conjecturæ adjunctum, *meam*, quod veſti teſtatrix adjecit. Ideò aïebat Caſſius *ſecundùm verba teſtamenti omnem veſtem legatam videri*: & ſubdit Paulus: *veriſſimè eſt teſtatricem tantùm ornamentorum univerſitati derogaſſe.* idque ex Javoleni ſententiâ. Veſti adjecit *meam*: ornamentis adjecit *muliebria*. Utrumque adjunctum afficit, ac definit & circumſcribit id, cui adjectum eſt. Maximè quia illa demonſtratio *muliebria* non poteſt applicari veſti ſalvâ ratione recti ſermonis: ac propterea non poteſt reſtringere legatum veſtis.

11 Opponi etiam poteſt non minùs difficilis *l. ſi quis legaverit* 11. *ff. de aur. & arg. leg. Si quis legaverit aurum, gemmas, margaritas, quæ in auro eſſent, id aurum, cui neque gemmæ, neque margaritæ ineſſent, legaſſe videtur.* Non legat teſtator aurum, cui inſint gemmæ, & margaritæ: tunc enim ſolummodò deberetur aurum, cui ineſſent gemmæ, & margaritæ. Sed tria ſeparatim legat: aurum, gemmas, margaritas: aurum in genere ſine ullâ præſcriptione: margaritas & gemmas cum limitatione & modo; eas ſcilicèt, quæ auro ineſſent. Propterea aurum univerſum debetur: gemmæ autem, & margaritæ tantummodò auro incluſæ. Ita, ſi cui ſervi omnes cum peculio legati fuerint, debentur etiam ſervi, qui peculium non habent *l. ſi cui ſervi* 52. *ff. de legat.* 1. *l. cui vinum* 6. *verſic. ficuti ff. de trit. vin. & ol. leg.* Item ſi vinum cum vaſis legatum ſit, debetur etiam vinum, quod eſt in doliis, licèt dolia non ſint vaſa vinaria. *l. cui vinum* 6. *& l. vinum* 15. *ff. de trit. vin. & ol.* Quæ notanda ſunt, quia multi in hoc errant, maximè in foro, quos excuſandos puto, quia erravit etiam Trebatius, quem Proculus reprehendit in *d. l. vinum* 15.

CAPUT XVIII.

Ad l. Titius 25. *§.* 1. *ff. de liber. & poſthum.*

SUMMARIUM.

1 *Falſa demonſtratio, quæ lædit jus commune, vitiat actum, cui adjicitur.*
2 *Explicatur textus noſter, & nn. ſeqq.*
3 *Confutatur ſententia Duareni.*
4 *Expenditur ſententia Cujacii. & n. 5. 6.*
7 *Rejicitur ſententia Antonii Fabri & veterum interpretum. & n. 8.*
8 *Teſtamentum jure factum dicitur, quod valet jure civili.*
9 *Teſtamentum, quod Prætor tuetur, datâ bonorum poſſeſſione, irritum dicitur & imperfectum. Exempla.*
10 *Hæreditatem adiri poſſe, ac peti bonorum poſſeſſionem, longe differunt.*
11 *Falſa demonſtratio, cùm deſignat quid certum, quod non eſt in rerum naturâ, vitiat diſpoſitionem.*
12 *Falſa demonſtratio vitiat exhæredationem.*

VEnio ad falſam demonſtrationem, quæ 1
vitiat ac perimit actum, cui adjicitur. Hujus plura ſunt genera. Primum earum,

quæ quoquo modo lædunt jus commune. Harum duo proferam exempla.

Primum attinet ad inſtitutionem hæredis, quod proponitur à Paulo in *l. Titius* 25. §. 1. *ff. de liber. & poſt.* Lucius Titius cùm haberet neptem ex filia prægnantem rure agentem, ipſe in civitate condidit teſtamentum horâ diei ſextâ, in eoque inſtituit hæredem pro parte *id, quod in utero neptis haberet.* Neptis nihil in utero tum temporis habebat, quia albeſcente cœlo (nempè primo diluculo, vel ut nos dicimus, *all' alba*) maſculum erat enixa. Falſa igitur eſt illa demonſtratio pronepotis, qui in utero ampliùs non eſt, ſed jam editus. Reſpondit Paulus, quòd nihilominùs valet inſtitutio, quia natus eſt eâdem die, quâ factum eſt teſtamentum, id ignorante teſtatore; ſequitur, ut ſit inutilis, ſi non eâdem die factum fuit teſtamentum. Si inſtituiſſet pronepotem non adjectâ illâ demonſtratione, *quod in utero haberet*, utique valeret inſtitutio quandòcumque facta: igitur falſa illa demonſtratio vitiat inſtitutionem. Quid ita? quia poſthumus alienus, tamquàm incerta perſona, hæres inſtitui non poterat, nec jure civili admittebatur ad hæreditatem *princ. tit. inſtit. de bon. poſſ. verſ. nam ſi alienus.* quamvis fuerit admiſſus jure prætorio ad bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas *d. princ. l. 1. §. ſi filius* 12. *ff. de ventr. in poſſ. mitt.* & ita intelligendus §. *poſthumus* 28. *inſt. tit. de legat.* Filius autem neptis, de quo in noſtra lege, eſt poſthumus alienus *d. §. poſthumo* 28. Atque hæc quoad quæſtionem propoſitam de falſa demonſtratione ſatis eſſe poſſent. Dubito tamen, an veram legis interpretationem attingant; quæ multò difficilior eſt, quam aut veteres, aut recentiores interpretes ſint opinati, qui eam minùs accuratè, ne dicam valdè negligenter explicarunt.

2 Ait Paulus, *inſtitutionem jure factam rectè reſpondere.* Quo jure? civiline, an prætorio? Jure quidem prætorio rectè factam fuiſſe, certum eſt. Sed non eſt neceſſe, ut eâdem die facta ſit: ut ab abſente: ut ab ignorante; quæ requirit Paulus, ut rectè, & jure facta ſit inſtitutio. Etenim jure prætorio valet inſtitutio poſthumi alieni ſine ulla diſtinctione, & prætor ex ea dat bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, ut modò dicebamus. Sequitur, ut valeat jure civili. Sed hìc impingimus in ſcopulum inevitabilem. Nam jure civili non poterat Pauli ætate hæreditas, aut legatum relinqui alieno poſthumo; utpotè incertæ perſonæ. Ulpian. *in fragm. tit.* 22. §. 4. §. *incertis* 35. & §. *ſeq. inſtit. de legat. princ. tit. inſtit. de bonor. poſſeſſ.* & ipſe Juſtinianus affirmat, ſe hoc emendaſſe tam in hæreditatibus quàm in legatis & fideicommiſſis in §. *ſed nec hujuſmodi* 27. *inſt. tit. de legat.* Ea tamen conſtitutio hodiè non extat. Indaganda igitur eſt ratio, cur in hâc ſpecie jure facta ſit inſtitutio.

3 Non multis opus eſt, ut refutemus ſententiam Duareni, quam nonnulli etiam veteres tenuerunt. Putat Vir ille ſummus, quòd licèt teſtator expreſſerit caſum, quo pronepos eſſet in utero, tamen ex conjectura voluntatis cenſeatur comprehendi etiam caſus, quo natus fuerit. Refutat enim hanc ſententiam Pomponius in *l. commodiſſimè* 10. *ff. de liber. & poſt.* ubi ſtatuit rumpi teſtamentum, ſi alteruter caſus omiſſus fuerit, eoque caſu, qui omiſſus eſt, naſcatur. A caſu expreſſo ad caſum omiſſum non dabatur extenſio. Hanc ſententiam ſuſtulit Juſtinianus in *l. ult. C. de poſt. hæred. inſt.* ſed, inquit, in hâc ſpecie de caſu ad caſum extenditur inſtitutio ex conjectura voluntatis, ductâ ab abſentia, à brevitate temporis, ab ignoratione teſtatoris. At, quæſo te, quid conferunt hæc ad faciendam conjecturam voluntatis? An potiùs vult utrumque caſum comprehendere is, qui poſthumum inſtituit poſt paucas horas quàm natus ſit; quàm is, qui eum inſtituit poſt unum aut alterum diem? Si uterque ignorat, eum natum eſſe, utique eâdem opinione eum inſtituit, ſive paulò ante, ſive multò ante inſtitutionem natus fuerit. Non poteſt immutare cujuſquam voluntatem, ac mentem, quod ab eo ignoratur. Abſentia quoque confert quidem ad arguendam ignorationem editi partûs, non verò ad arguendam diverſam vo-

luntatem teſtatoris ignorantis, quod eveniſſet. Ignoratio autem editi partûs potiùs obſtat voluntati teſtatoris, quàm ipſam adjuvet: voluntas enim non fertur ad ignota, ut aïunt philoſophi: & nihil conſenſui tam contrarium eſt, quàm error *l. ſi per errorem 15. in fin. ff. de juriſd.*

4 Probabilior mihi videtur Cujacii ſententia, quam reprobat Antonius Faber *Conject. lib. 9. c. 2.* Putat ille inſtitutionem valere jure civili: licèt enim eâ ætate non poſſet jure civili poſthumus alienus hæres inſtitui, tamen cùm ſit inſtitutus eâdem die quâ natus, paulò poſtquàm natus eſt, perindè haberi debet, ac ſi jam natus eſſet inſtitutus, quia, quod fit uno eodemque die, nullum ex tempore diſcrimen capit. *l. ſi duas 6 in princ. ff. de excuſ. tut. l. ſi fundus §. penult. ff. de pignor.* Plus igitur valet, quod in re eſt, quàm quod in opinione.

5 Vereor tamen, ne non defendi poſſit hæc ſententia. Non moveor eâ ratione, quâ Faber; ſed quia verè teſtator inſtituit eum, quem neptis in utero haberet, non eum, qui jam natus eſſet. Quocirca repugnat tum ipſa lex, quæ prohibet inſtitui hæredem extraneum, qui in ventre eſt, tum veritas, quia vere poſthumus, non jam natus, eſt inſtitutus; is enim non eſt in ventre. Rectè Paulus notat in noſtrâ lege: *verba quidem teſtamenti ad eum pronepotem directa videri, qui poſt teſtamentum factum naſceretur.* Igitur pronepos natus non eſt inſtitutus, quia ad eum directa non ſunt verba inſtitutionis: aut ſi quis velit eum fuiſſe inſtitutum, non eſt inſtitutus, niſi ut poſthumus; hoc eſt, contra legem; adeòque non poteſt jure civili valere inſtitutio. Nec dici poteſt, perindè habendam hanc inſtitutionem, ac ſi inſtitutus eſſet jam natus. Hùc enim nos confugere non ſinunt tum contraria verba teſtatoris directa ad eum, qui in utero eſt: tum legis diſpoſitio, quæ caſum omiſſum pro omiſſo habendum eſſe jubet l. *commodiſſimè 10. ff. de lib. & poſt.* In qua præter ea, quæ dudum diximus, obſervandum eſt, quòd ibi agitur de rumpendo teſtamento: & quamvis publicè expediat ſuprema hominum judicia exitum habere l. *vel negare 5. ff. teſtam. quem. aper.* & pro lege habeantur *Nov. 22. cap. 2.* tamen potiùs rumpitur teſtamentum, quàm contra expreſſa verba teſtatoris caſus omiſſus comprehendatur in caſu expreſſo. Quantò magis in noſtrâ lege, in quâ nihilominùs teſtamentum ſuſtinetur, quia poſthumus pro parte proponitur inſtitutus: atque adeò eo etiam excluſo valet teſtamentum, nec infirmatur, cùm ejus portio cohæredibus accreſcat.

Neque me movet, quòd eodem die natus 6
ſit, & quæ eodem die fiunt, diſcrimen temporis non admittant. Nam id verum eſt, quando non conſtat, quid antè factum fuerit, quid poſteà, ut in l. *ſi duas 6. in princ. ff. de excuſ. tut.* Item cùm de ſolo ordine ac tempore quæritur, quod incertum eſt. In noſtrâ ſpecie quæritur de facto certo & Indubitato: conſtat enim pronepotem multas horas ante teſtamentum natum fuiſſe; adeòque tempore teſtamenti in utero non fuiſſe. Quæritur de voluntate teſtatoris, quam certum eſt impletam non eſſe partu jam edito. In hâc quæſtione ſpectandum eſt, tempus de momento in momentum ad ſervandam voluntatem teſtatoris. Finge; teſtator inſtituit nepotem, ſi ſe vivo natus fuerit, ut in l. *commodiſſimè*; certè ſi naſcatur vel momento temporis poſt mortem teſtatoris, rumpet teſtamentum, ipſum enim momentum mortis attenditur. Contrà ſi teſtator nepotem inſtituat, ſi quis ſibi poſt mortem natus erit, ut in *l. ſi pater filium 26. ff. de vulg & pupil.* nemo dubitabit rumpi teſtamentum, ſi vivo teſtatore naſcatur, eo etiam animam agente: de hoc tantùm dubitari poſſet, an idem dicendum eſſet, ſi naſceretur in ipſo mortis articulo; & puto idem dicendum, quia tempus mortis vitæ tribuitur. Hæc in l. *ult. ff. de cond. inſt.* quam aliàs expoſuimus.

Supereſt ſententia Antonii Fabri, *lib. 9.* 7
conject. 7. cap. 2. quæ congruit cum ſententia veterum. Putat ille inſtitutionem jure Prætorio ſuſtineri, *quia inſpectâ voluntate teſtatoris, & ex probabili ejus errore, pro non nato haberi debet, qui eâdem ipſa die, & paulò antè inſcio teſtatore natus eſt.* Si rectè

Digitized by Google

perpendatur, non multùm diſtat ab opinione Cujacii, quam modò refutavimus: atque adeò in eaſdem ferè difficultates incurrit. Hâc in re maximè diſcrepat, quòd Cujacius putat inſtitutionem valere jure civili: hic autem jure prætorio, quod aſſeverat, quia pro non nato habetur, licèt verè natus jam ſit à multis horis. Enimverò, quòd qui in utero eſt, pro jam nato habeatur in his, quæ ad commodum ejus pertinent, ſæpè traditum eſt *l. qui in utero* 7. & *l.* 26. *ff. de ſtat. hom.* quia verè eſt in rerum naturâ, qui in utero eſt *l. intelligendus* 153. *ff. de V. S.* & hoc ſi poſteà naſcatur; nam ſi non naſcatur, quod ad jus attinet, numquam fuiſſe intelligitur *l. utrum ita* 7. *ff. de reb. dub. l.* 3. *§. ex his apparet ff. de injuſt. rupt. irrit.* Quòd autem qui jam natus eſt, pro non nato habeatur, non memini me legiſſe. Qui in utero eſt, naſci poteſt; & quamvis modò non ſit in numero hominum, tamen ſperatur futurus non multò poſt: ſperatur naſciturus. Qui natus jam eſt, non poteſt in uterum regredi, & fieri non natus. Lex autem non fingit impoſſibilia *l. adoptio* 16. *de adopt.* §. *minorem* 4. *ff. ſed & illud* 9. *inſt. tit. de adopt.*

8 Ac ſanè rem conficiunt ipſa Pomponii verba: *inſtitutionem jure factam videri rectè reſponderi.* Si jure facta eſt inſtitutio, utique valet jure civili: nam ut valeat teſtamentum requirimus, ut factum ſit ſecundùm regulas juris civilis *l. ſi quærimus* 4. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* hoc autem valet jure civili. Jure facere dicitur teſtamentum, qui ita facit, ut valeat jure civili, non ſolo jure prætorio, ut in *l. pen. ff. de lib. & poſt.* in *l.* 1. *in fin. C. quan. provoc. non eſt nec.* Et ex teſtamento, quod jure factum eſt, ad nos hæreditas pertinet *l.* 1. *ff. de hæred. petit. l. ſi teſtamento* 7. *C. de impub. & al. ſubſt.* quod valet ſolummodò tuitione Prætoris, non defert nobis hæreditatem, ſed tantummodò bonorum poſſeſſionem: quoniam Prætor hæredem facere non poteſt *§. quos autem inſt. tit. de bonor. poſ. l. ait Prætor* 7. *§. ſed quod Papinianus in fin. ff. de minor.* Poteſt ergo ita concludi. Si jure facta eſt inſtitutio, defertur ex ea hæreditas: at hæc non defertur ex inſtitutione, quæ ſolâ prætoris juriſdictione ſuſtinetur: ergo &c. Ampliùs, teſtamentum jure factum, & teſtamentum imperfectum invicem opponuntur; & jure factum dicitur, quod valet jure civili; imperfectum, quod Prætoris auctoritate ſuſtinetur *l. ſi duobus* 12. *§.* 1. *ff. de bon. poſſeſſ. cont. tab.* Et meritò: teſtamentum enim legis auctoritate nititur ab ea vires firmitatemque mutuatur *l. verbis legis* 120. *ff. de V. S. l. lege obvenire* 130. *ff. eod.* non autem à Prætore. Licèt enim Prætor aliquando tueatur aliquos actus, qui jure civili non ſubſiſtunt, ut ſæpenumero evenit in teſtamentis *l.* 1. *§. ult. & l. ſeq. ff. ſi tab. null. ext. l.* 1. *in princ. ff. de ventr. in poſſeſſ. mit. l.* 3. *§. ſi ſub ea ff. de bon. poſſ. cont. tabul. l.* 2. *§.* 1. *ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* tamen illi non jure facti dicuntur, ſed ſuſtineri tuitione Prætoris, ut in *l.* 1. *in princ. ff. quib. mod. uſusfr. amittat. l. ſi uſusfructus* 9. *§.* 1. *ff. uſusfr. quem. cav. l.* 1. *§. pen. ff. quod falſ. tut.* quod maximè obtinet in teſtamentis, quia Prætor tuetur voluntates defunctorum *l.* 1. *in princ. ff. ſi quis omit. cav. teſtam.* Tuetur, non confirmat, non efficit, ut jure facta ſint: neque enim Prætor juri poteſt derogare *l.* 1. *§.* 1. *ff. de feriis.* Tuetur ſcilicèt dando actionem: dando bonorum poſſeſſionem, dando exceptionem, quibus adjuvat excluſos à jure: atque his remediis ex æquitate juris civilis rigorem emendat ac temperat *inſt. tit. de bon. poſſ. in princ.* Quoad inſtitutionem alieni poſthumi, Prætor emendat jus civile *princ. tit. inſt. de bon. poſſ.* In id, quod jure factum eſt, non cadit emendatio, ſed confirmatio. *d. princ.* Quamobrem teſtamentum, quod Prætor tuetur datâ bonorum poſſeſſione, ubique dicitur *imperfectum*, *injuſtum*, *irritum*, *nullius momenti*: nuſquam verò jure factum pronunciatur, ut demonſtrant exempla, quæ paſſim occurrunt, quorum hæc pauca ſeligimus.

I In *l. ſi duo* 12. *§.* 1. *ff. de bon. poſſ. contr. tabul.* Si priùs teſtamentum extet jure factum, quo filius exheredatus eſt: ſequens imperfectum, in quo præteritus ſit filius; poſte- 9

Digitized by Google

riore teſtamento præteritus rectè petet bonorum poſſeſſionem, ſi &c. Nota, quòd teſtamentum in quo filius eſt exheredatus, jure factum dicitur, licèt poſſit impugnari per querelam inofficioſi: contrà teſtamentum in quo præteritus eſt filius, dicitur imperfectum, licèt à Prætore ſuſtineatur; nempè quia illud ſecundùm regulas juris; hoc autem contra regulas juris civilis factum eſt.

II. Inſtitutio poſthumi alieni ſuſtinetur à Prætore per bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas: hæc autem inſtitutio non valuiſſe dicitur à Juſtiniano *in princ. tit. inſt. de bon. poſſ.*

III. Ex teſtamento, in quo inſtitutus eſt filius ſub conditione fortuitâ, datur bonorum poſſeſſio ſecundùm tabulas, & etiam contra tabulas, ut in *l. 2. §. 1. ff. de bon. poſſ. ſec. tab. l. 5. §. ſed ſi ſub conditione 12. ff. de bon. poſſ. con. tab.* Hoc autem teſtamentum nullius momenti eſſe dicitur in *l. Lucius 83. ff. de cond. & dem.*

IV. Teſtamentum de quo in *l. ſi duo 16. ff. de leg. præſt.* tuetur Prætor: hoc etiam nullius eſſe momenti dicitur in *l. 1. ff. de injuſt. rupt. l. ex facto 43. §. Lucius Titius ff. de vulg. & pup.* & inutile in *l. inter cætera 30. in fin. ff. de liber. & poſt. princ. tit. inſt. de exher. liber.* & non valere in *l. ſi quis 16. in fin. ff. de vulg. & pup.* & nihil valiturum in *l. dum apud 31. ff. de lib. & poſt.* & ipſo jure everti in *l. maximum vitium C. de lib. præt.*

V. In *l. poſthumus 11. in fine principii ff. de injuſt. rup. idem & circa injuſtum, & irritum erit dicendum, ſi bonorum poſſeſſio data fuerit ei, qui rem ab inteſtato auferre poſſit.* Tuitio Prætoris non efficit quin teſtamentum ſit injuſtum, aut irritum, aut ipſo jure ſublatum *l. ſancimus 27. verſ. ſin autem C. de teſtam.*

10 Alia prætermitto. Illud moneo falſum eſſe, quod ait Anton. Faber, eumdem eſſe effectum utrum inſtitutio jure civili valeat, & adiri poſſit hereditas, an peti bonorum poſſeſſio debeat: adeòque rectè dici jure factam, licèt ſolùm beneficio Prætoris ſuſtineatur. Multæ enim ſunt differentiæ, & quoad vim & effectum utriuſque; & quoad perſonas acquirentium; & quoad modum acquirendi, adeò ut ſcire neceſſe habeat, qui ſuccedit, an poſſit adire, an verò petere debeat bonorum poſſeſſionem. Sed hîc locus non eſt de his diſſerendi.

In hâc opinionum fluctuatione conflictuque rationum inclinat animus, ut arbitrer, etiam jure civili valere inſtitutionem. Verumtamen propoſitam à Paulo quæſtionem, non in eo verſari, in quo ſunt hactenùs opinati; ſed in hoc: an falſa illa demonſtratio: *id, quod in utero haberet*: vitiet inſtitutionem. Falſa eſt hæc demonſtratio, quia pronepos non eſt ampliùs in utero, ſed jam editus. Equidem falſa demonſtratio neque inſtitutioni, neque legato nocet, ut in ſuperiore demonſtravimus. Verùm quoties certum quiddam deſignat, quod non eſt in rerum naturâ, vitiat omnem diſpoſitionem, cùm deſit id, de quo, & circa quod diſpoſitum eſt. *l. ſi ſervus 108. §. qui quinque 10. verſ. nam quodammodo ff. de leg. 1. l. item, quod Sabinus 17. §. ſed ſi aſſe* & *l. ex facto 19. ff. de hered. inſt.* & dicemùs uberiùs in proximo. Huc referenda verba Pauli: *verba quidem teſtamenti ad eum pronepotem directa videri, qui poſt teſtamentum factum naſceretur.* ſcilicèt verba directa ſunt ad eum, qui non eſt, cùm nullus in utero ſit. Verùmtamen cùm teſtator ignoraret, eum natum fuiſſe, & putaret, eum adhuc in utero eſſe, deſignavit certum corpus, certum puerum, nempè eum ipſum, qui modò fuerat editus. Etenim cùm jam naſciturus eſſet, jam erat perfectum animal, nec aliter differt à jam nato niſi loco: & in hoc erravit teſtator, qui putabat eum in utero eſſe, cùm eſſet in cunis; quapropter cùm conſtet de re demonſtratâ, error ille non nocet. *l. patronus 35. §. 1. & 2. ff. de leg. 3.* Ac licèt ſubtili juris regulæ fortaſſè poſſet aliud convenire, tamen humanitate ſuggerente eò decurſum eſt; ut ait Julianus in *l. ſi ita ſcriptum 13. ff. de lib. & poſt.* Inſtitutionem enim benignè interpretamur, & adjuvamus contra ac faciendum in exheredatione *l. cùm quidam 19. in fin. ff. eod.* Quamquàm & in exheredatione a ... dùm dubiè reſpondet Paulus in noſtra *l. Titius in*

princ. verſ. poſteà. & favore exheredationis videtur decidere Ulpianus in *l. ſi inſtitutus* 27. *in fin. ff. de inoff. teſt.* Sed puto veriùs, exheredationem non valere deficiente teſtatoris voluntate, qui non poteſt videri ſenſiſſe de eo, quem obiiſſe putabat *l. ſi quis ita* 16. §. 3. *& 4. ff. de teſtam. tut.* Secùs eſt in noſtra ſpecie: conſtat enim, de eo nepote ſenſiſſe, qui eo ignorante natus eſt: & error tum probabilis eſt, tum dignus excuſatione & propter diſtantiam loci, & propter brevitatem temporis, quæ liberant à probando errore apud judicem. Neque ſimilis eſt hæc inſtitutio generali poſthumi inſtitutioni, quæ nullum certum corpus deſignat, ſed in incertum vagatur, complexa quemcumque, qui poſteà naſcetur, ſive modò conceptus ſit, ſive non, ſive naſcetur ex uxore, quam habet, ſive ex alia, quam poſteà ducet *l. placet* 4. *& ſeq. ff. de lib. & poſt.*

12 Redeo jam ad id, quod initio propoſui. Secundum exemplum eſt in exheredatione, quam vitiat falſa demonſtratio, ut in *l. poſthumus* 14. *in fin. cum ſeq. ff. eod.* benignâ enim interpretatione lex arbitratur, eum non fuiſſe exheredatum, ut in *l. 2. in fin. ff. eod.* quia exheredationes non ſunt adjuvandæ *l. cùm quidam* 19. *in fin. ff. eod.*

CAPUT XIX.

Ad l. nuper 85. verſ. planè ff. de leg. 3. & l. Stichus 6. ff. de leg. 1. & alias.

SUMMARIUM.

1 *Falſa demonſtratio habens vim conditionis, reddit actum inutilem.*
2 *Falſa demonſtratio cognationis & affinitatis non vitiat.*
3 *Aliud falſa demonſtratio, aliud cauſa, vel conditio.*
4 *Exponitur L. ſi pater 4. C. de hered. inſtit.*
5 *Cognatio & affinitas per ſe plenam non faciunt probationem teſtatorem aliàs legaturum non fuiſſe.*
6 *Falſa cauſa meritorum legatum non perimit.*
7 *Falſa demonſtratio cognationis poterit fortaſsè vitiare inſtitutionem cognati proximi, ut eſt filius & frater.*
8 *Explicatur l. nec apud 7. C. de hered. inſtit.*
9 *Exponitur l. cùm proponas 3. C. de hered. inſtit.*
10 *Cauſam remotam non vitiare tradit Bartolus, cauſam verò proximam vitiare.*
11 *Impugnatur diſtinctio.*
12 *Cauſa etiam obligatoria, ſi falſa ſit, legatum non vitiat.*
13 *Reſpondetur L. 1. C. de falſ. cauſ.*

EN alterum genus falſæ demonſtrationis, quæ nocet. Quoties falſa demonſtratio vim habet conditionis, actum reddit inutilem eodem modo, quo deficiens conditio. Vim autem conditionis habet demonſtratio, quæ in futurum concipitur *l. nuper* 85. *verſ. planè ff. de leg.* 3. Quapropter ſi quis ita legaverit: *Stichum, qui meus erit, cùm moriar, heres dato.* Si Stichus non fuerit teſtatoris tempore mortis, legatum extinctum eſt, quaſi deficiente conditione. *l. Stichum* 6. *ff. de leg. 1. d. l. nuper* 85. *l. 1. in fin. ff. de cond. & dem. l. quoties* 11. *ff. de reb. dub.* Verùm ſi alius ſit Stichus tempore mortis, diverſus ab eo, qui erat tempore teſtamenti, non deficit conditio *l. filiæ* 28. *in fin. ff. de cond. & dem.* Quòd ſi teſtatoris fuerit pro parte, valebit pro ea parte legatum, quia extitit pro ea parte conditio *d. l. 6. in fin.* Item ſi ita legatum fuerit: *aurum quod uxoris causâ paratum erit.* Si teſtator alienaverit partem auri uxoris causâ parati, in ea parte legatum exſtinguitur: ſi totum, in toto: nec diſtinguendum erit, utrum ſponte, an neceſſitate coactus alienaverit: utrum animo minuendi vel adimendi legati, an non; quemadmodùm diſtinguitur, cùm demonſtratio vim conditionis non habet; ſcilicèt cùm in præſens tempus concipitur *l. ſcribit* 34. §. *penult. & ult. ff. de aur. & arg. leg.* Verumtamen ſi poſt alienationem alium ejuſdem nominis emerit: aut aurum aliud uxoris causâ, hoc debebitur *d. l. filiæ* 28. *in fin.* Facit igitur conditionem demonſtratio in futurum tempus concepta *l. 1. §. ult. ff. de cond. & dem.* quæ conditio deficit, ſi falſa fuerit demonſtratio: ac deficit pariter res legata, ſine quâ nequit ſubſiſtere legatum.

Bartolus & alii invehunt aliud genus hujuſcemodi falſæ demonſtrationis, exiſtimantes, falſam demonſtrationem cognationis, & affi- 2

nitatis vitiare inſtitutionem. Nituntur auctoritate imperatorum in *l. ſi pater* 4. & in *l. nec apud* 7. *C. de hered. inſt.* Sed hanc ſententiam falſam eſſe, non dubito. Perſpicuè contrarium definitum eſt in *l. falſam* 33. *in princ. ff. de cond. & dem. Falſa demonſtratio neque legatario, neque fideicommiſſario nocet: neque heredi inſtituto: veluti ſi fratrem dixerit, vel ſororem, vel nepotem, &c.* & in *l. nominatim* 34. *in princ.* Ibi; *vel neceſſitudinis vel affinitatis.* Exemplis neceſſitudinis, cognationis, affinitatis utuntur, quia de his magis dubitari poterat; quàm de alio quocumque genere demonſtrationis.

3 Nec contrarium probant adductæ leges. In his enim non de falſa demonſtratione agitur, ſed de falſa cauſa. Quamvis enim falſa cauſa non vitiet inſtitutionem, aut legatum; quemadmodùm falſa demonſtratio *l. demonſtratio* 17. *§. quod autem ff. de cond. & dem. l. cùm tale* 72. *§. falſam cauſam ff. eod. §. longè magis* 31. *inſt. tit. de legat.* tamen inter falſam demonſtrationem, & falſam conditionem, ſive cauſam multùm intereſt, ut ait Papinianus in *l. ſi ſic legatum* 75. *§. quòd ſi ff. de leg.* 1. Nam quoties cauſa ejuſmodi eſt, ut teſtatorem induxerit ad legandum, vel inſtituendum aliquem heredem, cùm deficiente illâ causâ non fuiſſet legaturus, vel inſtituturus, habet vim conditionis, & ideò ſi falſa ſit, vitiat diſpoſitionem. *l. cùm tale* 72. *d. §. falſam cauſam ff. de cond. & dem.* Sed ad heredem pertinet probare eum legaturum non fuiſſe, ſi ſciviſſet cauſam falſam eſſe. Datur enim heredi exceptio doli quam ipſe probare tenetur. *l. ſi pactum* 9. *l. in exceptionibus* 19. *l. cùm de indebito* 25. *§.* 4 *ſed hæc ita in fin ff. de probat.* His poſitis facilis eſt explicatio legum contrariarum. Pater falsâ opinione ductus inſtituit heredem quaſi filium ſuum; qui filius non erat; non inſtituturus, ſi alienum noſſet: manifeſtum eſt, hìc agi de falſa cauſa, quâ inductus fuit ad inſtituendum, quem non fuiſſet inſtituturus, ſi ſciviſſet, non eſſe filium ſuum. Rectè igitur Gordianus Imperator in laudata *l. ſi pater.* 4. ex Divorum Severi, & Antonini placitis reſcripſit, auferendam ei ſucceſſionem: ſcilicèt à fiſco, tamquàm indigno, cum ſuppoſitus eſſet oſtenſus *l. aufertur* 46. *in princ. ff. de jur. fiſci.* Obſervandum autem eſt, quòd eorumdem Severi, & Antonini auctoritate nitatur tam Imperator in hâc lege, quàm J C. in *l. falſa* 33. *in princ. ff. de cond. & dem.* atque adeò non poſſunt inter ſe eſſe contrariæ, ac neceſſe eſt, ſpecies, de quibus reſcripſerunt imperatores, fuiſſe omninò diverſas ac diſcrepantes. Diſcrepant autem in hoc, quòd in *l. falſa* 33. agitur de falſa demonſtratione cognationis, & definitur, eam non obeſſe legato: idque tum juris civilis ratione, tum conſtitutionibus Divorum Severi, & Antonini cautum fuiſſe in *l.* 4. agitur de falſa causâ, quæ induxit patrem ad inſtituendum filium, quem aliàs non fuiſſet inſtiturus, ſi alienum noſſet. Requirit Imperator in hâc lege, ut inſtituerit *quaſi filium*, & ut non eſſet *inſtituturus ſi alienum noſſet.* Si hoc requiritur in conjunctione patris & filii, quâ nulla major poteſt eſſe conjunctio ac neceſſitudo; quantò magis requiretur in laxioribus conjunctionibus? Propterea generaliter & ſine exceptione Papinianus in *l. cùm tale §. falſam cauſam ff. de cond. & dem.* ſtatuit, falſam cauſam non obeſſe legato; & hanc unicam exceptionem adjungit: *ſi probetur aliàs legaturum non fuiſſe.* Hoc igitur eſt, quod probari debet ab eo, qui contendit, falſam demonſtrationem, ſive cauſam obeſſe diſpoſitioni. Ratione id ipſum confirmat: *quia ratio legandi legato non cohæret*: quæ pariter generalis eſt, & vera, & ad omnia legata pertinens. Etenim cùm legatum ſit donatio *l. legatum* 36. *ff. de leg.* 2. *§.* 1. *inſt. eod.* In donatione ſubeſt ſemper cauſa liberalitatis *l.* 1. *ff. de donat. in princ.* quæ donationem ſuſtinet, remotâ, aut deficiente quâcumque aliâ causâ *l. damus* 52. *l. in ſumma* 65. *§ id quoque ff. de condict. indeb.* Semper enim verum eſt, donatorem donare voluiſſe *d. §. id quoque* niſi is, cujus intereſt, probet donatorem aliàs donaturum non fuiſſe: teſtatorem aliàs non fuiſſe legaturum; tunc autem corruit donatio aut legatum propter defectum voluntatis in do-

Digitized by Google

nante aut legante, non propter falſitatem cauſæ, aut demonſtrationis; ſicut evenit cùm demonſtratio, & cauſâ conditionaliter adjiciuntur *d. §. longè magis* 31. *& l. demonſtratio* 17. *§. pen. ff. de cond. & dem. l. Stichum.* 6. *ff. de leg.* 1. Idcirco hanc eſſe voluntatis quæſtionem ait Imperator Alexander in *l.* 3. *C. de hæred. inſtit.* Ad probandam autem hâc in re voluntatem liquidæ probationes requiruntur ab Imperat. Antonino in *l.* 1. *C. de falſ. cauſ.* Obſtat enim & regula juris, & ratio, & conſtitutiones Divorum Severi & Antonini *l. falſa* 33. *in princ. junctâ l. demonſtratio* 17. *§. quod autem ff.*
5 *de cond. & dem.* Enimverò ejuſmodi non eſt ſola conjunctio ſanguinis, maximè ſi non proximè attingat teſtatorem; & multò minùs affinitas; quæ etſi præſtent aliquam conjecturam, tamen ſolæ per ſe plenam perfectamque non faciunt probationem, eum aliàs legaturum non fuiſſe. Numquid enim ſolis conſanguineis hæreditates & legata relinquuntur; ut ex conſanguinitate certum duci poſſit argumentum; teſtatorem non fuiſſe relicturum, ſi ſciſſet, eum non eſſe conſanguineum? An non ſunt complures, quos fraternâ, imò & paterna charitate diligimus, ac multò ferventiùs, quàm conſanguineos, & fratres, ac parentes appellamus *l. nemo* 58. *§.* 1. *ff. de hæred. inſtit.* Cic. in *orat. poſt redit. in ſenat.* de Cn. Plancio: *qui ſi mihi quæſtor imperatori fuiſſet; in filii loco fuiſſet, nunc certè erit in parentis &c.* & paulò poſt: *ſed unus frater, qui in me, pietate filius: conſiliis parens: amore (ut erat) frater inventus eſt.* & *lib.* 5. *epiſt. fam. ep.* 8. de P. Craſſo: *ſicut alterum parentem & obſervat, & diligit.* Planè ſi exempla legatorum in jure noſtro propoſita attentiùs conſideremus, plura extraneis, quàm cognatis relicta inveniemus. Legata enim non propter conſanguinitatem necnon & donationes, & plerumque etiam hæreditates; ſed ob merita relinquuntur *l. nec adjecit* 9. *ff. pro ſoc.* Cicero in 2. *Philip. de ſe ipſo: ego ampliùs LLS ducenties acceptum hæreditatibus retuli*; ſunt quingenta millia noſtrorum ſcutorum. Hanc immanem ſummam non ab propinquis, ſed ab amicis ob ingentia merita accepit. Quàm fallax igitur eſt illa regula: *ſi ſciviſſet eum non eſſe cognatum; non eſſe affinem, ſicut falsò putabat, nihil ei reliquiſſet?* O regulam liberalitatis, amicitiæ, munificentiæ erga benè meritos expultricem, & exterminatricem!

Non omittam, quod licèt legata relin- 6
quantur ob merita *d. l.* 9. *ff. pro ſoc.* tamen falſa cauſa meritorum non perimit legatum. Quod enim majus meritum eſſe poteſt, quàm liberare aliquem à capitali crimine? & tamen ſi quis ita legaverit: *Titio, quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus ſum, Stichum do, lego*: valet legatum, licèt patrocinio ejus liberatus non ſit. *§. longè magis* 31. *inſt. tit. de legat.* Si non nocet legato falſa cauſa ampliſſimi meriti, ac beneficii incomparabilis, quod falsò putat ſe accepiſſe teſtator à legatario, quem credit ſibi vitam, libertatem, civitatem, exiſtimationem, bona fortunaſque conſervaſſe: quantò minùs nocebit cauſa falſa conſanguinitatis? Certè Cicero in laudata oratione *in princ.* hoc inſigne promeritum parentum meritis, ac beneficiis longè anteponit.

Quòd ſi quis fuerit adeò religioſus, ut 7
nefas putet à communi opinione recedere, poterit fortaſsè ea defendi in hæredis inſtitutione: non tamen cujuſcumque cognati, ſed admodùm proximi, cujuſmodi eſt filius, & frater. Certè exempla ex jure deprompta, quibus interpretes nituntur, ut fundent opinionem ſuam, agunt de hæredis inſtitutione; nec ullum de legatis occurrit uſquam exemplum. Neque generaliter de quacumque inſtitutione diſponunt; ſed ſolùm de inſtitutione filii, & fratris. Non eadem eſt ratio hæreditatis, ac legati. Plerique hiſce temporibus, quibus vix quicquam momenti habet amicitia, inſtituunt hæredes ſanguine conjunctos, maximè agnatos, ut bona maneant in familia. Hiſque ſuffragatur ipſa lex; quæ hæreditatem ab inteſtato defert primùm ſuis hæredibus, deinceps agnatis. *l. verbis legis ff. de V. S.* Non tamen defert omnibus, ſed ſolùm proximis, atque his uſque ad certum gradum. Ergo in his, eſt aliqua

qua ratio ſingularis, quæ alias non convenit.

10 Verumtamen, ut mea fert opinio, neque hæc ſufficit ad probandum, teſtatorem non fuiſſe inſtituturum, ſi noviſſet eum non fuiſſe filium ſuum, aut fratrem. Etenim, ut paulò antè diximus Severus & Antoninus, ut auferrent filio ſuppoſito hæreditatem, requirunt, ut eum teſtator non fuiſſet inſtituturus, ſi alienum noſſet. Quod multò magis dicendum de fratre in *l. nec apud 7. C. de hæred. inſt.* Nam ſi ille, qui vult auferre hæreditatem filio, probare debet, eum non eſſe filium, & patrem, ſi hoc ſciviſſet, non fuiſſe inſtituturum: multò magis hæc probare debebit, qui vult auferre hæreditatem fratris: etenim lex neceſſitatem inſtituendi liberos parentibus imponit, ac propterea videri poteſt eum inſtituiſſe, ut legi naturæ, & præceptis juris obtemperaret, aliàs non inſtituturus; fratrem autem inſtituendi neceſſitatem nulla lex injungit. Ratio autem, cur etiam in filio ac fratre excludendo ejuſmodi probatio ſit neceſſaria, eſt, quia pater, qui filium ſuppoſitum tamquàm à ſe genitum aluit, & educavit, eumque ſemper pro filio habuit, &, ut patrem decet, omnibus rebus commodè rectèque tractavit; admodùm probabile eſt, eum paterno amore proſequi, maximè ſi tamquàm filium ſemper habuit obſequentem: quocircà probabile pariter eſt, eum nihilominus fuiſſe inſtituturum. Eadem, imò major ratio in fratre, de quo in *l. nec apud 7. C. de hæred. inſtit.* Peregrinus Titium adoptavit in fratrem, putans licere inter peregrinos fratrem ſibi per adoptionem facere: eundem veluti fratrem moriens pro parte hæredem inſtituit. Adoptans Titium in fratrem manifeſtè demonſtrat ſe Titium fraterno amore diligere. Hæredem veluti fratrem inſtituens, confirmat ſe eum uſque ad mortem fraterno amore dilexiſſe; & Titium pro fratre ſe geſſiſſe, meritiſque & obſequio devinxiſſe teſtatorem. Quid cauſæ igitur eſt, cur credi certò debeat, eum non fuiſſe inſtituturum Titium ſi ſciviſſet inutilem fuiſſe adoptionem, ac Titium verè non eſſe fratrem adoptivum? Planè, etſi verè fuiſſet frater adoptivus, non tenebatur inſtituere: inſtituit igitur fraterna charitate, & meritis ejus illectus, & valet inſtitutio; niſi is, qui ab eo vult auferre portionem hæreditatis, evidenter probet, eum non fuiſſe inſtituturum, ſi noſſet eum non eſſe fratrem *l. nemo 58. §. 1. ff. de hæred. inſt. l. falſa 34. in princ. ff. de cond. & dem.*

Similis quæſtio voluntatis proponitur in 9 *l. cùm proponas 3. C. de hered. inſtit.* Miles exiſtimans Julianum eſſe libertum ſuum, heredem inſtituit, eique vulgariter ſubſtituit hoc modo: *Julianus libertus meus heres eſto; & ſi hereditatem meam adire nolueris aut non potueris, in locum tuum ſubſtituo Vitalem.* Mortuo milite apparuit Julianum eſſe ſervum communem militis, & Zoïli fratris ejus. Si valet inſtitutio, tota hereditas ad Zoïlum fratrem pertinet *l. Plautius 49. in princ. verſ. communi autem ff. ad l. Falcid. l. verum 63. § ſi ſervo 9. ff. pro ſoc.* & Juliano Zoïli juſſu adeunte expirat ſubſtitutio *d. l. 3. in fin.* Inutilis autem eſt inſtitutio, & ſubſtitutus admittitur, ſi miles voluit ad ſolum Julianum pertinere hereditatem, non inſtituturus, ſi ſciſſet eum eſſe ſervum, ſibique hereditatem acquirere non poſſe: extat enim conditio ſubſtitutionis, cùm non poſſit Julianus adire hereditatem, ſibique acquirere *d. l. 3. in princ.* Ergo Vitalis ſubſtitutus probare debet, militem aliàs inſtituturum non fuiſſe Julianum, ſi ſciviſſet eum eſſe ſervum: nec ad eum excludendum ſufficit error teſtatoris, & falſa demonſtratio adjecta inſtitutioni. Porrò maxima eſt inter patronum libertumque conjunctio, ut apparet tum ex operis, quas patrono libertus debet *toto tit. ff. de oper. libert.* tum ex ſucceſſione *tot. tit. inſtit. de ſucceſſ. libert.* maxima affectio ac neceſſitudo, ut apparet ex innumeris legatis, quæ patroni libertis ſuis relinquebant, quorum in jure noſtro ſunt exempla frequentiſſima. Eò accedit, quòd in noſtra ſpecie teſtator adeò dilexit Julianum quem ſuum credebat eſſe libertum, ut fratri ipſi præponeret in ſucceſſione; tum etiam, quòd fratri prætulit etiam Vitalem ſubſtitutum: quæ ſatis apertè videntur oſtendere teſtatorem voluiſſe bona ſua ad

Digitized by Google

Julianum pervenire; & ſi Julianus nollet, aut non poſſet ea ſibi acquirere, potiùs ad Vitalem, quàm ad fratrem pertinere. Et tamen niſi Vitalis probaverit, teſtatorem ad ſolum Julianum voluiſſe hereditatem ſuam pervenire, non inſtituturus, ſi ſciviſſet eum eſſe ſervum, atque adeò eam ſibi acquirere non poſſe; ad fratrem Zoïlum perveniet. His conſequens eſt, cujuſcumque generis ſit falſa demonſtratio aut cauſa, eam non nocere inſtitutioni, vel legato, niſi probetur, teſtatorem aliàs id relicturum non fuiſſe.

10 Præter hoc, aliud quoque genus falſæ demonſtrationis aut cauſæ legatum perimentis Bartolus invexit. Ait enim, quòd licèt cauſa remota, & non cohærens legato, ipſum non vitiet, ſi falſa ſit: tamen cauſa proxima legato cohærens, ipſi nocet, ſi falſa fuerit. Proximam & cohærentem legato definit eſſe cauſam obligatoriam; ſcilicèt eam; quæ ſi vera eſſet, obligaret teſtatorem. Proponit autem exemplum hujuſmodi: *quia centum mihi mutuaſti, lego tibi centum.* Et hunc verum eſſe intellectum hujus materiæ à *gloſſ. & Doct.* intactum gloriatur in explicatione *l. demonſtratio §. quod autem n. 13. ff. de cond. & dem.*

11 Ego tamen contrà ſentio, & hanc diſtinctionem arbitror eſſe commentitiam. Certè Papinianus in *l. cùm tale 72. §. falſam cauſam ff. de cond. & demonſt.* definivit ſine ullâ diſtinctione, falſam cauſam non obeſſe legato, quia ratio legati, legato non cohæret; & hanc ſolam exceptionem adjecit: ſi probetur, teſtatorem aliàs legaturum non fuiſſe. Equidem me Papiniani magis, quàm Bartoli, Doctorumque omnium movet auctoritas; tum maximè quia vim legis habet, & rationi eſt apprimè conſentanea. Etenim ad ſuſtinendam donationem ſufficit ſola ratio liberalitatis; atque adeò qui donare voluit, adjiciendo falſam cauſam, nihil detrahit ac derogat donationi *l. damus 52. & l. in ſumma 65. §. id quoque ff. de condict. indeb.* Sequitur igitur, ut niſi heres probet teſtatorem aliàs legaturum non fuiſſe, ſubſiſtat legatum, ſubſiſtente ratione liberalitatis, quæ eſt propria, ac vera ratio, & cauſa legandi. Movet me etiam auctoritas Ulpiani in *l. ſi ſic legatum 75. §. 1. ff. de leg. 1. Si decem, quæ Titio debeo, ei legavero: nec quicquam Titio debeam, falſa demonſtratio legatum non perimit.* Quamvis autem hæc ſit potiùs demonſtratio, quàm cauſa, tamen ejuſmodi demonſtratio tacitè in ſe continet cauſam, quâ teſtator ad legandum adducitur: & illud eſt indubitatum, quod juris eſt in falſa demonſtratione, hoc vel magis eſſe in falſa cauſa, ut ait Gajus in *l. demonſtratio 17. §. quod autem ff. de cond. & dem.* & Imperator in *§. longè magis 31. inſt. tit. de legat.* qui addit: longe magis non nocere falſam cauſam, quàm demonſtrationem. Quamobrem inanis eſt inepta quorumdam diſtinctio, qui putant legatum valere: *centum, quæ mihi Titius mutuò dedit, ei lego:* non valere autem ſi dixero: *quia mihi centum mutuavit, lego centum.* Nam ſecundùm regulas juris magis eſt, ut hoc, quàm illud valeat: tum quia minùs legato nocet falſa cauſa, quàm falſa demonſtratio: tum quia in illo videtur quodammodo deſignatum certum corpus eorum centum, quæ mutuò acceperat, quod in rerum naturâ non eſt, cùm nihil acceperit: quod dubitationem poſſet afferre, an valeat legatum, argumento *l. ſi ita legatum 65. in princ. ff. de leg. 1. l. legavi 25. ff. de liberat. leg. l. item quod Sabinus 17. §. ſed ſi aſſe l. ex facto 19. l. qui non militabat 38. §. ult. l. Clemens 81. §. ult. ff. de hered. inſt.*

Sed ut quominùs congrediamur: an non 12
negotiorum geſtio eſt obligatoria? §. 1. *inſt. de oblig. quæ ex quaſi contr. l. ſi quis abſentis 5. ff. de obl. & act. l. 2. ff. de negot. geſt.* & tamen valet legatum adjectâ falsâ causâ: *quia negotia mea curavit d. §. longè magis 31. de legat.* & *d. l. demonſtratio 17. §. quod autem ff. de cond. & dem.* Quid? quæ poteſt eſſe cauſa magis efficax proxima, & cohærens legato, quàm illa, de quâ in *d. §. longè magis 31. quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus ſum?* & tamen falſa non vitiat. Item illa, de quâ in *d. §. quod autem. Titius filius meus præcipito fundum, quia frater ejus ex arca tot aureos ſumpſit:* quæ ad

exæquandam conditionem filiorum adjicitur *l. ſi ita* 12. *ff. eod.* & ne ipſa quidem, ſi falſa ſit, nocet. *d.* §. *quod autem.*

13 Nec ad rem pertinet *l.* 1. *C. de falſa cauſ.* quæ affertur à Bartolo: nam ibi agitur de liberatione legatâ: de eo, qui legat, non quod ipſe debet; ſed quod ſibi debetur: cujus legati eſt longè diverſa ratio *l. ſic legatum* 75. §. 2. *ff. de leg.* 1. & inferiùs uberiùs exponemus.

CAPUT XX.

Ad l. item quod Sabinus 17. §. *ſed ſi aſſe ff. de hæred. inſtit. & alias.*

SUMMARIUM.

1 *Falſa demonſtratio inſtitutionem perimit, cùm hæredi partem datam demonſtrat, quæ nulla eſt. Exemplum & n.* 2.

3 *Perimit legatum, ſi deſignet certum corpus, quod in rerum naturâ non ſit, vel rem incorporalem, quæ non ſit.*

4 *Res aliena rectè legatur. Exponitur l. ſi ita legatum* 65. *ff. de leg.* 1. *& n.* 5. 6.

5 *Res aliena per vindicationem legari non poterat.*

6 *Hodiè verò legari poteſt in quocumque legato indiſtinctè.*

7 *Conciliatur l. quidam teſtamento* 96. *ff. de leg.* 1. *cum l. Servus* 108. §. *quinque ff. eod.*

8 *Demonſtratio conditionem non facit, niſi ſit in futurum collata.*

9 *Exponitur l. quidam* 7. §. 1. *ff. de trit. vin. & ol. leg.*

EXplosâ communi veterum interpretum ſententiâ, ſupereſt tertium genus explicandum falſæ demonſtrationis, quæ adjecta perimit tum inſtitutionem, tum legatum.

1 Inſtitutionem perimit cùm hæredi partem datam demonſtrat, quæ nulla eſt. Exempla in jure noſtro propoſita hæc ſunt. In *l. item quod Sabinus* 17. §. *ſed ſi aſſe ff. de hæred. inſt.* Si quis expleto aſſe ita ſcripſerit: *Titius ex reliquâ parte hæres eſto*: cùm nihil reliquum ſit, ex nullâ parte hæres inſtitutus eſt, & ideò hæres non erit. Enimverò ſi expleto aſſe ſimpliciter adjeciſſet: *Titius hæres eſto*: fieret tranſitus ad dupondium, & hæres eſſet in dimidiâ hæreditate *d.* §. *in princip.* & §. *ſi plures inſt. tit. eod.* Sed demonſtratio illa: *ex reliquâ parte* quæ deſignat partem, quæ nulla eſt, cum nihil ſit reliquum aſſe jam expleto, perimit inſtitutionem ejus hæredis; quoniam qui ex nullâ parte eſt inſtitutus, hæres eſſe non poteſt. Et hîc notandum, quòd ille, cui pars à teſtatore non fuit aſſignata, nihilominùs hæres eſt, quia ipſa lex aſſignat. *d. l. item quod Sabinus* 17. *per tot.* & *l. ſeq. & d.* §. *ſi plures cum duobus ſeqq.* At cùm teſtator aſſignat partem, quæ nulla eſt, non poteſt ille hæres eſſe: non ex parte aſſignatâ à lege, quia lex partem non aſſignat, cùm eam teſtator aſſignavit. Lex enim non diſponit, ubi teſtator ipſe diſpoſuit *l. quamdiu* 39. *ff. de acquir. hæred.* quia quod diſponit teſtator, lex ipſa confirmat, & tamquàm legem jubet obſervari *l. verbis legis* 120. *ff. de V. S. Novel.* 22. *cap.* 2. *verſic. diſponat.* Eò fit, ut nec bo- 2
norum poſſeſſionem petere poſſit hæres, cujus portio, ex quâ ſit inſtitutus, non inveniatur, licèt eam etiam pendente conditione petere poſſit inſtitutus ſub conditione: quoniam hujus inſtitutio valet, licèt in incerto ſit, & pendeat ab eventu conditionis: illa verò ab initio inutilis eſt, & nulla *l. ult. ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* in quâ proponitur hujuſmodi ſpecies: *Titius quantâ ex parte eum priore teſtamento ſcriptum habeo, hæres eſto*: vel *Quanta ex parte codicillis ſcriptum eum habeo, hæres eſto*: vel *Quantâ ex parte codicillis ſcriptum eum habeo*, ſi ſcriptus non inveniatur, hæres non eſt, utpotè nullâ ex parte inſtitutus. Idem traditum eſt in *l.* 2. §. *ult. ff. de hæred. inſt. & in princip. verſ. aliter atque.* Imò nec ſi fuerit aliqua pars vacans, hæres videbitur in parte vacante inſtitutus *l. ex facto* 19. *ff. eod.* Teſtator relictâ parte hæreditatis vacuâ, ita Sempronium hæredem inſtituit: *ſi mihi Sejus hæres non erit, Sempronius hæres eſto.* Sejum autem hæredem non inſtituerat. Pegaſus exiſtimabat Sempronium in partem vacantem vocatum. Contrà eum hæredem non eſſe Ariſto, Javolenus, Arrianus, Pomponius, Ulpianus exiſtimarunt, *quia ei pars eſſet data, quæ nulla eſſet.* Simile exemplum pro-

ponit Papinianus in *l. qui non militabat* 78. §. *ult. ff. eod.* Mævium ex parte, quam per leges capere poſſit, hæredem Sejus inſtituit, ex reliquâ Titium. Si Mævius ſolidum capere poterit, Titius hæres non erit, nec tamquàm adjectus, nec tamquàm ſubſtitutus: non tamquàm ſubſtitutus, quia Sejus eum primo non ſecundo loco, & gradu vocavit: non tamquam adjectus, quia data eſt ei pars, quæ nulla eſt. Aliud exemplum proponit Paulus in *l. Clemens* 81. *ff. eod.*

3 Legatum perimit falſa demonſtratio, ſi deſignet certum corpus, quod in naturâ non ſit: aut etiam rem incorporalem, quæ non ſit. De certo corpore res eſt manifeſta, nec habet dubitationem. *Species nominatim legatæ, ſi non reperiantur, nec dolo hæredis deeſſe probentur; peti ex eodem teſtamento non poſſunt.* ait Modeſtinus in *l. omnia* 32. *alias l. cùm ita* §. *ſpecies ff. de leg.* 2. Minuit etiam legatum; hoc eſt, perimit in ea parte, quæ non invenitur. *Si quis legaverit ex illo dolio amphoras decem; etſi non decem, ſed pauciores inveniri poſſint, non exſtinguitur legatum, ſed hoc tantummodò accipit, quod invenitur. l. ſi quis ſervum* 8. §. *ſi quis legaverit ff. de leg.* 2. Idem reſponſum eſt; ſi quis legaverit decem, quæ in arca habet, ſi quinque tantùm in arca habeat: in reliquis quinque, quæ in arca non ſunt, legatum extinguitur; *quia quodammodo certum corpus, quod in rerum naturâ non ſit, legatum videtur. l. ſi ſervus* 108. §. *quinque* 10. *ff. de leg.* 1. Quamvis enim pecunia numerata non deducatur in obligationem tamquàm corpus, ſed tamquàm quantitas; tamen cùm deſignatur pecunia certo loco circumſcripta, fungitur vice corporis, & tamquàm corpus conſideratur *l. ſed ſi certos* 51. *ff. de leg.* 1. Maiori animadverſione dignum eſt legatum, quod proponitur in *l. ſi ita legatum* 65. *in princ. ff. de leg.* 1. *Sejo ſervos decem do lego præter eos decem, quos Titio legavi.* Si decem tantum inveniantur in hæreditate, Seji legatum inutile eſt, quia non eſt in natura, quod ei legatum eſt: ſi præter eos decem, quos Titius elegit, aliqui ſuperſint; in his valet legatum, ſed non in ampliores, quàm decem.

4 His, quæ diximus, dubitationem multa videntur afferre. Primum, quòd nihil cauſæ eſſe videtur, cur Sejo decem ſervi non debeantur, etiamſi non inveniantur in hæreditate, & ſit inutile legatum: aut, ſi minùs ſit in hæreditate, ſolummodò in his valeat legatum. Etenim etiam res aliena rectè legatur. *l. cùm ſervus* 39. §. *conſtat* 7. *ff. de leg.* 1. *l. ſi pecunia* 12. *ff. de leg.* 2. *l. cùm alienam* 10. *C. eod.* §. *non ſolum autem* 4. *inſt. eod.* Etſi res legata non ſit in hæreditate, non propterea hæres liberatur à præſtando legato *d. l. ſi pecunia* 12. ſed vel eam redimere debet, vel ſi commodè non poſſit, præſtare æſtimationem *d.* §. *non ſolum l. non dubium* 13. §. *ult. ff. de leg.* 3. *l. ſi domus* 71. §. *qui confitetur ff. de leg.* 1. Item ſervi generaliter legari poſſunt *l. legato* 37. *l. ſi ſervus* 108. §. *cùm homo ff. de leg.* 1. §. *ſi generaliter* 22. *inſt. eod.* Et homo incertus *l. cùm incertus* 13. *ff. eod.* & valet legatum, etiamſi teſtator hominem non habeat, ad differentiam domûs, & fundi in *l. ſi domus* 71. *in princ. ff. eod. l. cùm poſt* 69. §. *gener ff. de jur. dot. l. ita ſtipulatus* 115. *in princ. verſ. vel fundum ff. de V. O.*

5 Sed facilis eſt, & prompta reſponſio. In laudata *l. ſi ita legatum in princ.* non poteſt dubitari, legatos fuiſſe ſervos per vindicationem. Id verba ipſa legati *do, lego* à Cajo relata demonſtrant: ſunt enim verba propria legati per vindicationem. Ulpian. in *fragm. tit.* 24. *de legat.* §. 3. Per vindicationem autem legari non poterant res alienæ: ſed illæ tantùm, quæ fuerunt teſtatoris tum tempore conditi teſtamenti, tum tempore mortis. Ulpian. *d. tit.* 22. §. 7. Tempore mortis, quia in legato per vindicationem rectâ viâ dominium rei legatæ à teſtatore transferebatur in legatarium, iſque rem legatam vindicabat jure dominii *l. legatum* 80. *ff. de leg.* 2. Dominium autem, quod non erat penès teſtatorem, non poteſt rectâ viâ in legatarium transferri *l. nemo plus juris ff. de de R. J.* Tempore facti teſtamenti, quia Regula Catoniana obſiſteret legato. *l.* 1. *ff. de Reg. Caton.*

Digitized by Google

6 Quid autem dicendum poſt Juſtiniani conſtitutionem in *l.* 1. *C. commun. de legat.* quâ unam eamdemque legatis omnibus naturam impoſuit, & actiones communicavit? An naturam legati per vindicationem, an per damnationem ſequemur? Puto adeo commixta, & invicem communicata fuiſſe, quæcumque erant propria cujuſque legati, ut omne legatum particeps ſit omnium, quæ in plura legatorum genera erant diſtributa. Itaque cùm in legato damnationis poſſet hæres rem alienam legare, non in legato vindicationis, poteſt hodiè rem alienam legare generatim in quocumque legato indiſtinctè §. *non ſolùm* 4. *inſt. tit. de legat.* In legato per vindicationem electio erat legatarii: hæredis autem in legato per damnationem: hodiè in omni legato indiſtinctè tribuitur legatario. §. *ſi generaliter* 22. *inſt. eod.* Rei vindicatio olim non dabatur legatario per damnationem; hodiè cuicumque dantur omnes actiones; vindicatio, actio ex teſtamento & hypothecaria *d. l.* 1. & §. *ſed olim* 2. *in fin. inſt. tit. de leg.* Conſtat igitur Juſtinianum omnia in unum cumulare voluiſſe, &, quod ampliùs erat in legato per damnationem, tranſtuliſſe in legatum per vindicationem, & vice verſâ; cupientem validiores eſſe defunctorum voluntates, ut ipſe ait in *d.* §. optimum autem jus erat legati per damnationem, ut ait Ulpian. *d. tit.* 24. §. 11. utpotè, quòd erat laxius: multa enim legari poterant per damnationem, quæ non poterant legari per vindicationem *d. tit.* 24. Non poteſt igitur dubitari, quin Sejo decem ſervi debeantur, etiamſi non tot ſint in hæreditate. Porrò ſi teſtator legaverit Titio decem ſervos ex ſua familia, vel ex ſuis ſervis; & poſteà leget Sejo decem alios, præter eos, quos Titio legavit: exiſtimarem Sejo non deberi, niſi eos, qui ſunt in hæreditate ſuprà decem Titio legatos; quia apparet teſtatorem voluiſſe in utroque legato comprehendi ſolummodò ſervos ſuos, ſervos ſuæ familiæ, non ſervos alienos: & hoc indicant verba illa *præter eos &c.* Prætèrquàm quòd unuſquiſque potiùs, quod habere ſe crederet, quàm quod onerare hæredes vellet, legaſſe præſumendus eſt. *l. Sticho* 36. *in fin. ff. de uſufr. leg. l. unum ex familia* 67. §. *ſi rem tuam* 8. *ff. de leg.* 2.

Secundò, quod attinet ad *l. ſi ſervus* 108. 7
§. *quinque ff. de leg.* 1. Africano videtur adverſari Julianus in *l. quidam teſtamento* 96. *in princ. ff. eod.* Quidam ita legavit: *aureos quadringentos Pamphilo dari volo, ita ut infrà ſcriptum eſt. Ab Julio actore aureos tot: & in caſtris, quos habeo, tot: & in numerato, quos habeo, tot.* Has ſummas ante mortem in alios uſus tranſtulit: nihilominùs fideicommiſſum debetur. Ergo falſa illa demonſtratio: in caſtris quos habeo: & in numerato quos habeo: non vitiat legatum. Ratio differentiæ indicatur in hâc ipsâ lege. In illa proponitur legatum certum corpus nummorum arcâ circumſcriptum, quo deficiente legatum quoque deficiat neceſſe eſt. Non poteſt enim ſubſiſtere legatum, ſi nihil ſit in legato; ſcilicèt, ſi legetur res, quæ non eſt. *d. l. ſi ſervus* 108. *qui quinque verſ. nam quodammodo. l. omnia* 32. §. *ſpecies ff. de leg.* 2. Quamobrem legatum certi corporis aut ſpeciei nominatæ tacitam in ſe habet conditionem, ſi ea reperietur in hereditate; quemadmodùm in re naſcitura ineſt conditio, ſi naſcetur *l. cùm illud* 25. §. 1. *ff. qu. di. leg. ced.* & *l.* 1. §. *ult. ff. de cond. & dem.* Contrà in hâc non proponitur certum pecuniæ corpus; ſed certa quantitas, nempè aurei quadringenti: hi autem deeſſe non poſſunt quia genus numquàm deficit. Idcircò non ineſt in hoc legato conditio: *ſi reperientur in hereditate.* Nec videtur conditionem injeciſſe teſtator demonſtrando, undè eam quantitatem ſumere deberet: *à Julio actore tot, in caſtris quos habeo tot, &c.* voluit enim demonſtrare potiùs heredi, undè quadringentos ſine incommodo rei familiaris contrahere poſſet, ut ait in hâc lege Julianus. Atque ita ſimile legatum interpretatus eſt Severus Imperator, ut refert Paulus in *l. Paula* 27. *in fin. ff. de leg.* 3. Rectè dixit Julianus, non videri teſtatorem fideicommiſſo, quod initio purè datum erat, conditionem injeciſſe demonſtrando heredibus rationem conficiendæ, ſolvendæque pe-

Digitized by Google

cuniæ. Etenim quando non ad demonſtrandam rem legatam ejuſque ſubſtantiam; ſed ad modum exequendi, ſolvendique legati pertinet id, quod adjicitur, non injicit legato conditionem: cum non afficiat ipſum legatum, ſed rationem ejus conſequendi. Eſt id pluribus legibus conſtitutum *l. ut heredibus 50. aliàs l. ſi Titius §. ult.* & *l. cùm pater 77. §. ult. ff. de legat. 2. l. pen. C. de inſtit. & ſubſtit. l. ſi quis ita l. qui ex fratribus 24. ff. de cond. inſt.* Idem obtinuit in die incerto, qui licèt naturâ ſuâ conditionem faciat *l. dies incertus 74. ff. de cond. & dem. l. ſi Titio 22. in princ. quando di. leg. ced.* tamen, ſi adjiciatur executioni ac ſolutioni legati, non facit legatum conditionale. *l. ex his 5. C. qu. di. leg. ced. l. Sejus Saturninus 46. in fin. l. à filia 62. §. ult. ff. ad S C. Trebell. l. Firmio Heliodoro 26. in princ. ff. quand. di. leg. ced.*

8 Verumtamen obſervandum eſt, quòd demonſtratio verè non facit conditionem, niſi fuerit in futurum collata. Nam ſi falſa ſit, ſtatim perimit actum: ſi vera, ſtatim actus valet; nec umquàm eſt in ſuſpenſo. Nihilominùs in *d. l. quidam 96.* dicitur non injeciſſe conditionem ex voluntate defuncti, quia demonſtratio vi ipſâ efficit, ut quodammodo inſit in actu, cui adjicitur conditio: valet enim actus, ſi vera ſit: ſi autem falſa ſit, non valet: ſed propriè non quia deficit conditio, ſed quia deficit res, in quâ debet actus ſubſiſtere. Idcircò non perit actus in totum, ſed ſolùm ex ea parte, ex quâ deficit res demonſtrata *d. l. 108. §. qui quinque* & aliis: niſi eâ cogitatione adjectam fuiſſe appareat, ut ſi vel deficiat in parte, perimat actum in totum *l. ſi ita ſtipulatus 120. ff. de V. O.*

9 Expoſitis duabus legibus, & quæ ex contrariâ parte dicebantur, refutatis, quod cœpimus proſequamur. Occurrit elegans Javoleni ſententia ex Ofilio, & Labeone in *l. quidam 7. §. 1. ff. de trit. vin. & ol. leg.* Quidam legavit tritici modios centum, qui ſinguli pondo centum pendeant: non valet legatum, quia ejuſmodi triticum in rerum naturâ non eſſet. Ita ſanè Plin. *lib. 18. cap. 7.* ub pondus tritici cujuslibet regionis refert accuratiſſimè, ait: *Leviſſimum eſt Gallicum, & è Cherſoneſo advectum; quippè non excedunt in modium vicenas libras.* De Italico ita ſcribit. *Italico nullum equidem comparaverim candore, & pondere.* Infrà verò ſubdit. *In tranſpadana Italia ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere.* Non eſt igitur in rerum naturâ ejus ejuſmodi triticum. Animadvertendum hîc, quòd falſa conditio, utpotè impoſſibilis non vitiat *l. cùm tale 72. §. falſam conditionem ff. de cond. & dem.* Detrahitur enim quia impoſſibilis *l. obtinuit 3. ff. eod.* Falſa autem hæc demonſtratio, quæ dicitur conditio falſa in *l. ſi ſic 75. §. quod ſi ff. de leg. 1.* vitiat legatum, nec à jure detrahitur; detractâ enim illâ demonſtratione: *qui ſinguli pondo centum pendeant*: legato nihil obſiſteret. Nimirum falſa demonſtratio tollit rem legatam, qua ſublata deficit ſubſtantia legati: conditio impoſſibilis non item. Dicitur autem falſa conditio in *d. §. quod ſi* quia ei tacitè videtur inſerta conditio *l. cum illud 25. §. 1. ff. qu. di. leg. ced.* ut ſuprà dixi. Ceterum differt à conditione demonſtratio *l. nominatim 34. §. 1. ff. de cond. & dem.*

CAPUT XXI.

Ad L. ſi ſic legatum 75. §. 1. ff. de leg. 1.

SUMMARIUM.

1 *Res incorporales legari poſſunt.*
2 *Legato alicui, quod ſibi alter debet, non adjectâ quantitate, ſi nihil debeatur, non valet legatum.*
3 *Idem eſt & adjectâ quantitate; & quare.*
4 *Contraria recenſentur. & n. 5.*
6 *In legato damnationis disjunctim relicto, alteri res, alteri æſtimatio præſtanda erat.*
7 *Exponitur l. ut hæredibus 50. §. 1. ff. de leg. 1. & n. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.*
14 *Expenditur l. un. §. ſin autem C. de cad. toll.*
15 *Stipulatio alternativa eſt unica ſtipulatio, & unicam parit obligationem.*
16 *Si quis leget id, quod ſibi debetur, vel alterutram rem, hæres tenetur tantùm actiones præſtare.*

17 *Si verò uni res, alteri alia legetur, duo ſunt legata.*

18 *Eâdem re duobus in ſolidum legatâ, alter rem, alter æſtimationem conſequitur.*

19 *Legatâ duobus quantitate, quam duo correi debebant, alteri actiones præſtandæ, alteri litis æſtimatio ſolvenda eſt.*

20 *Leges explicatæ non adverſantur conſtitutioni Juſtiniani tollentis differentiam inter legatum damnationis & alia legata.*

21 *Demonſtratio debiti naturalis, vel merè civilis, non eſt falſa.*

1 SUperſunt legata rerum incorporalium, quibus adjicitur aliquandò falſa demonſtratio. Res incorporales non minùs, quàm corporales legari poſſunt §. *tam autem* 21. *inſt. tit. de legat.* ut ſunt obligationes, actiones, jura omnia, & quæ in jure conſiſtunt §. 1. *inſtit. tit. de reb. corp. & incorp.* Quoad obligationes & actiones, facilè poteſt evenire, ut iis legatis adjecta ſit falſa demonſtratio: idemque omninò jus in his ſervatur, quod in legatis rerum corporalium: majori tamen curâ, animique attentione opus eſt in his, ut intelligamus, quandonam demonſtratio deſignet id, quod non eſt, & præſtari non poteſt; adeòque perimat legatum. Ut dilucidè, diſtinctèque rem explicem, ita in partes divido atque diſcerno. Aut creditor legat, quod ſibi debetur: aut debitor legat, quod ipſe debet. Rurſus in primo caſu ita diſtinguo. Cùm creditor legat id, quod ſibi debetur: aut id legat debitori ſuo, aut alteri.

2 Si quis Cajo legaverit, quod ſibi Titius debet; ſiquidem non adjecerit certam quantitatem, & Titius nihil debeat; indubitatè non valet legatum, quia nihil eſt, in quo legatum poſſit conſiſtere: non debitum, quia nullum eſt: non corpus, aut quantitas, quia nulla certa res, aut quantitas expreſſa eſt & legata. Nihil igitur legavit: falſa enim eſt demonſtratio tam ratione debiti & obligationis, quæ nulla eſt; quàm ratione quantitatis, quæ pariter nulla eſt, quia nihil debetur. *l. ſi ſic legatum* 75. §. 1. *ff. de legat.* 1.

3 Sed & ſi quis expreſsâ quantitate ejus, quod ſibi debetur, legaverit, veluti: decem, quæ mihi Titius debet, Cajo do lego: videretur dicendum valere legatum in decem. Poſſet enim conſiſtere in decem, quia hæc ſunt in rerum naturâ: nec intereſt, quòd non debeantur, quia falſa demonſtratio legato non nocet: ſæpè laudatâ *l. demonſtratio* & *l. falſa ff. de cond. & dem.* & *l. noſtrâ in* §. 1. *verſ. cùm ſi decem.* Propterea ſi decem, quæ Titio debeo, legavero, licèt nihil Titio debeam, nihilominùs legatum valet: quia falſa illa demonſtratio, *quæ Titio debeo*: legatum non perimit; utpotè quæ non tollit, non deſtruit rem legatam: nempè decem, in quibus conſiſtit legatum *d.* §. 1. *verſ. cùm ſi decem.* Verùm in propoſita ſpecie contrarium reſpondit Ulpianus in noſtra *l. ſi ſic* §. 2. nam & in hoc exemplo ſine dubio nihil ait eſſe in legato. Ratio tamen tam in proclivi non eſt, quàm in ſuperiore. Ea autem eſt, quia hujuſmodi legato non continentur decem, quæ utique ſunt in rerum naturâ, & poſſunt deberi ex legato, & legatario ab hærede præſtari: ſed continetur debitum, obligatio, & actio, quæ non ſunt, cùm Titius nihil debeat; atque ideò non poſſunt cedi, ac præſtari Cajo: *hoc noſtro* §. 2. *in fin. l. legatum ita* 105. *ff. de leg.* 1. §. *tam autem* 21. *inſt. eod.* Ergo debet eſſe Titius debitor, ut aliquid legatum ſit: alioqui nihil eſt in legato: deficit res legata. Neque enim legata ſunt decem in genere; ſed ea decem, quæ à Titio debentur: hæc autem nuſquàm gentium ſunt. Quemadmodùm ſi legentur decem, quæ in arca ſunt; decem quidem ſunt in rerum naturâ: ſecùs autem ea decem, quæ legata ſunt; ſiquidem nihil in arca reperiatur; ac propterea deeſt res legata, & nullum eſt legatum, ut in ſuperiore diximus ad *l. ſi ſervus* 108. §. *qui quinque* 10. *ff. de leg.* 1. Quemadmodùm autem ſi quinque eſſent in arca, deberentur ea quinque, quia in illis non deficeret ſubſtantia legati. *d.* §. *quinque*: & falſa illa demonſtratio numeri *decem* non perimit legatum: ita & ſi Titius deberet tantummodò ſex aut quinque, in illis legatum conſiſteret: horum enim debitor eſt. His conſequens eſt, ut ſi Titius quidem tempore facti teſtamenti debitor decem fuiſſet; initio quidem conſtitiſſet legatum; ſed ſi teſtator

ea vivus exegiſſet, legatum fuiſſet extinctum, re legatâ peremptâ ac deficiente ſubſtantiâ legati; &, ſi partem exegiſſet, in ea parte fuiſſet exſtinctum *d. l. ſi ſic* 75. §. 2. *verſ. nam etſi.* & *l. ſi id quod mihi* 21. *in princ. ff. de liber. l. g.* Idem dicendum, ſi alio modo exſtincta fuerit obligatio Titii, veluti acceptilatione, aut confuſione. Nam ſi creditor hæres exſtiterit Titio debitori ſuo, & poſteà deceſſerit, legatum exſtinctum eſt, quia confuſione perindè exſtinguitur obligatio, ac ſolutione *d. l. ſi id quod* 21. §. 1. & *l. matrem* 80. *in fin. ff. ad SC. Trebell. l. Stichum* 95. §. *aditio ff. de ſolut.* Contrà, ſi legatum fuerit ſub conditione, & pendente adhuc conditione hæres exegerit, legatum non exſtinguitur: neque poteſt hæres privare legatarium commodo legati, aut alium, ad quem legati commodum eſt perventurum *d. l. ſi id quod* §. *ult.*

4 Sed his, quæ diximus, multæ leges adverſari videntur.

I. *Lex quòd ſi quis* 76. *ff. de leg.* 1. *Si quis Stichum aut Pamphilum ſtipulatus, Sempronio Stichum legaſſet, Mævio Pamphilum: oneratus hæres intelligitur, ut neceſſe habeat alteri actionem cedere: alteri æſtimationem Stichi aut Pamphili dare.* In obligatione alternativâ unâ re ſolutâ, tollitur tota obligatio *l. ſi unus* 27. §. *ſed ſi ſtipulatus ff. de pact.* ſicut in obligatione generis *l. & per jusjurandum* 13. §. *ſi is qui in hominem ff. de acceptil.* ergo ſi hæres ſtipulatoris Sempronio Stichum ſolverit, aut actiones ceſſerit, liberatus erit à totâ obligatione; neque hoc ampliùs tenebitur æſtimationem Stichi aut Pamphili dare.

5 II. *Lex non quocumque* 82. §. *qui Gajum ff. de leg.* 1. Qui Gajum & Lucium ejuſdem pecuniæ reos habebat, damnavit hæredem, ut quod Gajus ſibi deberet, Sempronio daret; quod autem Lucius, daret Mævio. Reſpondit Julianus, hæredem *neceſſe habere alteri actiones ſuas; alteri litis æſtimationem præſtare.* Ex duobus reis uno ſolvente, alter etiam liberatur, & tota obligatio perimitur. *l.* 2. *& l.* 3. §. 1. *ff. de duob. reis.* §. 1. *inſt. eod.* & ideò, ſi teſtator vivus accepto tulerit Gajo, inutile eſt tam Semproni, quàm Mævii legatum *d. l.* 82. §. *Qui Gajum verſ. ſi tamen*: deficit enim utriuſque Gaii & Lucii obligatio, quâ deficiente neutrum legatum poteſt ſubſiſtere. Quid ni igitur idem dicamus, ſi deficiat opera hæredis? nihil enim refert, ipſe debitor, an alius pro eo ſolvat. *l. ſolvendo* 39. *ff. de neg. geſt.* & *l. ſolvere* 53. *ff. de ſolution.*

III. Simile omninò eſt Pomponii reſponſum in *l. qui duos* 13. *in princ. ff. de leg.* 2.

Non adverſantur autem, ſi rationem ha- 6
beamus ejus juris, quod obtinebat id temporis, quo ſcripſere veteres Juriſconſulti. Erant tum in uſu juris notiſſima quatuor genera legatorum, de quibus Imperator in §. *ſed olim* 2. *inſt. tit. de legat.* In legato damnationis obſervabatur, quod refert Cajus *inſt. lib.* 2. *tit.* 5. §. 5. *Inter legatum vindicationis, & damnationis iſta diſtantia eſt, ut ſi disjunctim, id eſt, ſingulis quacumque res per legatum damnationis relicta fuerit; ſingulis integra debeatur: id eſt, ut unus rem ipſam accipiat, alii æſtimationem rei ipſius in pretio ab hærede percipiant.* Nihil aptius dici poterat ad has leges explicandas. Neque enim dubitari poteſt, in his agi de legatis damnationis. Verba legatorum ipſa manifeſtè declarant: *damnas eſto dare: hæres meus dato*: ſunt verba legati per damnationem. Cajus *ibid.* §. 2. Ulpian. *fragm. tit.* 24. §. 2. In primâ lege non ſunt inſerta legati verba, undè appareat, illud etiam eſſe legatum damnationis, ſed ejuſdemmodi eſſe, res ipſa demonſtrat. Legatur enim res aliena, quæ per vindicationem legari non poterat; ſed per damnationem. Cajus *d. tit.* 5. §. 3. Ne quidem ſinendi modo poterat res aliena legari, ſed ſolummodò res teſtatoris & hæredis: clarè Ulpian. *d. tit.* 24. §. 10. & formula ipſa legati ſatis oſtendit. Itaque addenda eſt negatio in §. *penult. Gaji tit.* 5. & omninò legendum *non alienam.* Formula quoque legati per præceptionem oſtendit, in eo legato non potuiſſe relinqui rem alienam, ſed ſolùm propriam; quo modò enim poterat ex hæreditate præcipere ſibi rem alienam? A formulâ pendebat natu-

ta

Digitized by Google

ta, & vis tota legati. Non poteſt igitur in eâ lege agi niſi de legato damnationis: atque adeò cùm disjunctim legatum ſit duobus, id, quod debetur, utrique in ſolidum præſtandum eſt, alteri actio, alteri æſtimatio.

7 Contradicit Marcellus in *l. ut heredibus* 50. §. *ſi Titius* aliàs *l. ſi Titius* 51. *ff. de leg.* 2. *ſi Titius mihi Stichum aut decem debeat, & legavero Stichum, quem mihi debet, placet extingui legatum decem ſolutis: & ſi diverſis, alii decem, alii Stichus legatus fuerit: ex eventu ſolutionis legatum valet.* Videlicèt, ut omnes interpretantur, ſi debitor ſolverit decem, valet legatum primi, cui legata ſunt decem: ſi ſolverit Stichum, valet legatum ſecundi, cui legatus eſt Stichus, & exſtinguitur legatum primi.

8 Doctiſſimus Cujacius putat, Marcellum, qui eſt perpetuus Juliani adverſarius, hâc in re à Juliano diſſenſiſſe: ac verò propiorem eſſe Marcelli ſententiam. Nam quod Julianus admiſit in uno in *l. ſi ſic legatum* 75. §. *ult. ff. de leg.* 1. cur non admittetur in diverſis? Hæc ratio, pace tanti viri dixerim, inſpecto jure, quod eo tempore in uſu erat, infirma eſt, imò nulla. Etenim ille, cui Stichus aut decem debentur, legando Stichum, legat jus, quod habet in Sticho. Si promiſſor ſolvat Stichum, is præſtandus eſt legatario: ſin autem ſolverit decem, exſtinguitur legatum, quia neque teſtator, ſi viveret, neque eo mortuo hæres ullum jus habet in Sticho; ideòque deficit ſubſtantia legati. At verò qui per damnationem uni legat decem, alteri Stichum, vult multiplicare legatum, & utrumque deberi, ut hujuſce legati natura poſtulat: proptereà hæres alteri actionem, alteri æſtimationem Stichi præſtare debet *d. l. quod ſi* 76. *ff. de l.g.* 1. His ritè perpenſis non facilè adducor, ut credam, Marcellum hâc in re à Juliano diſſenſiſſe.

9 Accurſius, cùm aliter hos ad concordiam redigere non poſſet, diſtinctione conciliavit. Ait enim in *l.* 76. electionem fuiſſe creditoris: in *l. ut heredibus* §. *ſi Titio*, fuiſſe debitoris. Hanc diſtinctionem, & interpretationem probarunt ferè omnes Accurſio obſequentes: in poſtremis Barth. Cheſius *interp. lib.* 1. *cap.* 50. *num.* 44. qui etiam in hanc opinionem fruſtrà conatur Cujacium trahere contra ſentientem. Etenim in explicatione *l.* 76. *de legat.* quam adjungit, & inſerit explicationi legis antecedentis, diſertè ait errare Accurſium, & in *d. l.* 76. electionem fuiſſe promiſſoris. Verè ac rectè, mea quidem ſententia. Electio ſemper eſt promiſſoris ac debitoris, niſi eam ſibi ſtipulator ac creditor reſervaverit. *l. plerùmque* 10. *in fin. ff. de jur. dot.* requiritur autem, ut expreſsè ſibi reſervet, quemadmodùm in *l. ſi quis ſtipulatus* 112. *ff. de V. O.* In noſtra *l.* 76. nec ullum verbum, nec ullum eſt indicium, ex quo appareat, creditorem ſibi electionem reſervaſſe. Profectò culpandus eſſet Julianus, ſi factum propoſuiſſet omiſsâ præcipuâ qualitate obligationis, ex qua pendet ſolutio propoſitæ quæſtionis, & in qua fundatur deciſio juris. Maximè verò, quia hæc qualitas non eſt de natura obligationis, nec poteſt intelligi niſi exprimatur. Quin imò ſatis perſpicuè apparet, Julianum agere de eo teſtatore ac creditore, qui non habebat electionem, ex uno contextu & continuatione ſermonis. In antecedenti lege in fine agitur de eo herede ac creditore, qui non habet electionem, ſed, ut ſolet, electio eſt debitoris: hîc, cùm ei deberetur Stichus aut decem, legavit Stichum. In *l.* ſequenti, quæ ſuperiori jungitur ac nectitur illis verbis: *quòd ſi quis*: proponit, eum creditorem non unam tantùm ex rebus disjunctim debitis legaſſe, ſed utramque, unam Sempronio, alteram Mævio: quis dubitet in hâc pariter agi de creditore non habente electionem, ſicut agitur in antecedenti, cum quâ cohæret, & continuat, non variato caſu, niſi quoad multiplicationem legati?

10 Sed nolo videri acerbior in diſputando. Fac ita eſſe. Quid intereſt; habeat electionem debitorne, an creditor nempè heres? Nihil profectò, quoad onerandum heredem duplici legato. At, inquit, Bartholom. Cheſius cùm electio fuerit teſtatoris, ea tranſit in legatarios: nulla autem ratio eſt, cur poriùs hic, quàm ille eligat: itaque ea accipitur

Digitized by Google

interpretatio, ut legatum in utroque valeat, & uni actio, alteri ejus æſtimatio præſtetur. Verùm in eamdem difficultatem impingimus: nulla enim eſt ratio, cur uni potiùs, quàm alteri res præſtetur, aut æſtimatio. Qui poteſt eligere, utri danda ſit actio, utri danda ſit æſtimatio, cùm utraque præſtanda eſt: poterit etiam eligere, uter habere debeat actionem, ſi una tantùm præſtanda ſit; videlicèt ſolummodò actio. Quid impedit, quominùs heres, qui habet actionem & obligationem, cui annexa eſt & inſerta facultas eligendi, eligat, undè conſtet, quid ſit præſtandum, & conſequenter, quis ſit legatarius Sempronius, an Mævius? Præit nobis idem Ulpianus in *d. l. 75. §. ult.* ubi ex ſententia Juliani ſtatuit Ulpianus, quòd ſi Stichum legavit is, cui Stichus aut decem debebantur: legatarius incerti actione compellit experiri adversùs debitorem, qui habebat electionem; & ſi ille ſolverit heredi Stichum, heres eum legatario præſtabit: ſi ſolverit decem, nihil legatarius conſequetur, & erit inutile legatum re legatâ deficiente; ſubjicit: *ſecundùm quod erit in arbitrio debitoris, an ſit legatarius is, cui Stichus legatus eſt.* Quid cauſæ eſt, cur idem non poſſet ſtatui in caſu noſtro? ſcilicèt cogendum heredem experiri, & petere ſervum, quem voluerit, eumque præſtare ei, cui legatus eſt? Quo fiet, ut alterius extinguatur legatum deficiente re legatâ. Si eſt in arbitrio debitoris extranei, ad quem nihil attinet legatum, an illud valeat, an non: cur non poteſt eſſe in arbitrio heredis, propter facultatem eligendi quam habeat, decernere, utrum hoc, an illud legatum valeat? At teſtator non elegit, eligere igitur poterit heres ejus. *l. ſi ſtipulatus 76. in princ. ff. de V. O.* At utramque rem legavit. Falſum. Legavit nomen debitoris, legavit obligationem, legavit actionem *§. tam autem 21. inſt. tit. de legat. l. ſi ſic legatum 75. §. quòd ſi in fin. ff. de leg. 1.* Actio autem, quam cedere tenetur heres, unam tantùm rem perſequitur, quâ ſolutâ tota extinguitur obligatio *l. ſi unus 27. §. ſed ſi ſtipulatus ff. de pact.* Legatum igitur non duas, ſed unam tantummodò rem complectitur. Ac ſi duas res comprehenderet, duas illas res præſtare teneretur heres; non verò alterius actionem, alterius æſtimationem: eoque ampliùs duæ res eſſent in obligatione, etiam cùm electio eſt debitoris, contrà *d. l. ut heredibus §. ſi Titio* in quâ pariter utraque res disjunctim debita legata proponitur.

His omnibus efficitur, infirmum eſſe fundamentum innixum commentitiæ diſtinctioni electionis rei legatæ. Alia igitur ratio quærenda eſt, in quâ Juliani ſententia fundatur. Ea autem eſt certa, atque perſpicua, quòd in legato damnationis unâ re legatâ duobus ſeparatim, utrique tota debebatur: ſcilicèt uni res, alteri æſtimatio; ut initio probavimus, & de hoc nulla eſt controverſia. Sed in ſummas anguſtias nos conjecit Marcellus, qui cùm probè noſſet naturam legati per damnationem, uſumque juris, reſpondit in *d. l. 50.* non utramque rem deberi legatariis in ſolidum, ſed eam tantummodò, quæ ſoluta fuiſſet à debitore; & ex eventu ſolutionis valere legatum: & Juſtinianus, qui, ſciens hanc differentiam fuiſſe ante ſe ſemper obſervatam inter legatum damnationis, & alia legata, ut indicat in *l. unic. §. ſin autem 11. C. de caduc. toll.* eâque ibi ſublatâ; nihilominùs has leges 75. & 76. *de leg. 1.* & 13, *de leg. 2.* in Pandectas inſeri mandaverit. Enimverò quâ me expediam, neſcio: conabor tamen: utinam ſuccedat ex voto. 11

12 Quantùm attinet ad Marcellum auctorem *l. ut heredibus 50. §. ſi Titius ff. de leg. 2.* exiſtimaverim, eum agere de ſolutione factâ teſtatori viventi: ait Marcellus: *placet exſtingui legatum decem ſolutis.* Eâdem formâ loquendi utitur Ulpianus in *l. ſi ſic 75. §. 2. ff. de leg. 1. nam etſi vivus exegiſſem exſtingueretur legatum.* & in *l. ſi id quod mihi 25. in princ. ff. de liberat. leg.* Obſervo etiam verbum illud *placet*; quo uti ſolent Juriſconſulti, cùm proponunt aliquam ſententiam aut prudentium auctoritate probatam, uſuque receptam; aut reſcriptis Imperatorum confirmatam, ut in *l. tutor. 7. §. penult. ff. de admin. tut.* in *l. ſi tertius 6. §. 1. ff. de aq. &*

aqua pluv. in *l. placet.* 4. *ff. de lib. & poſt.* in *l.* 4. *in princ. ff. de pact.* in *l.* 4. *ff. de jur. codic.* in *l.* 3. *in princ. ff. de liber. agn. l. ſi Titio* 55. §. 1. *ff. de leg.* 2. *l. ſi ſervus* 61. *in princ. ff. de furt. & paſſim.* Cùm autem res non eſt ab omnibus recepta, & introducta: *pleriſque placere* aïunt, aut *magis placere*, ut in *l. ſi ædibus* 32. *ff. de damn. inf.* & in *l. ſi Titio* 55. *ff. de leg.* 2. Vel ſi alicujus opinione tantùm nititur, ipſum ſolent nominare: veluti, *Trebatio placuit l. ſed ſi* 17. §. *ſervus ff. de injur. Juliano placuit l. ſtatu liberum* 11. *in fin. ff. de leg.* 2. *Ariſtoni placet l. ei quoque* 13. *in fin. ff. ut legat.* Cæterùm cùm ſimpliciter pronunciant *placet*, de jure non controverſo, & communi conſenſu prudentum recepto reſpondent. Atqui non ſolùm non erat receptum eo tempore; quòd ſi diverſis legatæ fuiſſent res disjunctim debitæ, valeret ſolummodò legatum ejus rei quæ à debitore ſoluta fuiſſet heredi; alterum autem exſtingueretur; ſed contrarium potiùs receptum erat; ut oſtendimus hactenùs: ergo non poteſt intelligi de ſolutione factâ poſt mortem teſtatoris, ſed de debitore ſolvente ipſimet teſtatori.

3 Neque quiſquam reprehendat hanc interpretationem, quòd ſecundùm eam de jure aperto reſpondiſſet Marcellus, quo de nomine reprehenditur à Claudio Scævolâ in *l. à teſtatore* 109. *ff. de cond. & dem.* Etenim neceſſe erat hoc à prudentibus definiri, an teſtatore exigente id, quod ſibi debetur, aut recipiente ſolutionem, exſtinguatur legatum. Quoniam qui recipit ſolutionem rei debitæ, alienat obligationem, quam legavit; cùm ſolutione ejus, quod debetur, omnis tollatur obligatio *princ. tit. inſtit. quib. mod. toll. obl.* alienatione autem rei legatæ exſtinguitur legatum: idque receptum cum diſtinctione, de qua in *l. ſcribit* 34. §. 1. *verſ. ſi in hoc ff. de aur. & arg. leg.* & in *l. rem legatam* 18. *ff. de adim. leg.* Quocirca ſtatuendum erat, an idem ſervandum in exactione debiti, & cum eâdem diſtinctione, quod examinatur ab Ulpiano in *l. fideicommiſſa* 11. §. *ſi rem* 12. *cum* §. *ſeq. ff. de leg.* 3. Maximè verò id erat neceſſarium, cùm duæ res disjunctim teſtatori debentur, & una ex his, vel utraque duobus legatur: an unâ ex his exactâ, legatum etiam alterius perimatur. Et quia ſolutione unius rei tota perit obligatio, & ut ait Ulpianus in *d. l.* 11. §. *ergo* 13. *exſtinguitur ipſa conſtantia debiti*; placuit omninò legatum exſtingui, peremptâ ac deficiente re legatâ: ſecluſâ etiam diſtinctione, quæ in aliis alienationibus eſt recepta. Et hîc de re agit Marcellus in *d. l. ut heredibus* 50. Simile eſt, quod Julianus ſtatuit in *l. non quocumque* 82. §. *qui Cajum ff. de leg.* 1. quam ſuprà expoſuimus. Ait enim: *eam conditionem heredi ſuo conſtituit, ut is neceſſe habeat alteri actiones ſuas, alteri litis æſtimationem præſtare. Si tamen vivus teſtator Cajo acceptum fecit; neceſſe eſt, ut Sempronii, & Mævii legatum inutile ſit.* Junge *l.* 76. *ff. de leg.* 1. quæ ejuſdem eſt Juliani, cum noſtrâ *l. ut heredibus* 50. & intelliges, utramque ſimul junctam idipſum comprehendere, quod hæc una: nempè & regulam, & exceptionem. Si non fuerit ſolutum vivo teſtatori, ab hærede præſtanda eſt actio & æſtimatio: ſi ſolutum fuerit; neutrum: quia inutile eſt legatum, & pendet ab eventu ſolutionis, utrum teſtatori facta fuerit, an non.

Quantùm attinet ad Juſtinianum, non 14 auſim credere conſarcinatores Pandectarum hujus rei fuiſſe incurioſos, cùm docti interpretes ad unum omnes animadverterint *l. ſi pluribus* 33. *ff. de leg.* 1. eorum operâ & correctione fuiſſe accommodatam Juſtiniani conſtitutioni in laudata *l. un.* §. *ubi autem* 11. *C. de cad. toll.* Itaque puto eas leges huic conſtitutioni non eſſe contrarias, & utrique ſolidum deberi, non ex natura legati damnationis, ſed ex voluntate teſtatoris. Quamvis enim Imperator, ſublatâ differentiâ inter legatum damnationis, & alia legata, omnibus eamdem naturam impoſuerit: tamen ſi teſtator utrumque legatarium ſolidum habere voluerit, utrique ſolidum deberi ſanxit in *d. l. unic.* §. *ſin autem.* & confirmat in *l. duos* 14. *ff. de uſufr. leg.* in *l. ſi pluribus* 33. in *l. filiusfamilias* 114. §. *ult. ff. de leg.* 2. Et licèt in *d. l. unic.* & in

l. pluribus 33 *ff. de leg.* 1. requirat manifeſtam voluntatem ; tamen veriſimile eſt, eos, qui Pandectas compoſuerunt, judicaſſe, certò conſtare de voluntate teſtatoris, quoties duas res ſibi debitas ſeparatim duobus legat, unicuique ſuam. Et quidem certâ ratione. Primùm enim, cur teſtator ſeparatim legavit ? *nam ſi contrarium volebat, nulla erat difficultas, ea conjunctim diſponere.* In ſimili quæſtione hoc utitur argumento ipſe Juſtinianus in eâd. *l. un.* §. *ubi autem* 11. *in fin. verſic. ſed ut varietatis.* Qui enim legat ſeparatim duobus, unicuique ſolidum aſſignat, & inter eos propriè non datur jus accreſcendi, ſed jus non decreſcendi ; quoniam altero deficiente alter ſolidum accipit, quaſi ſuum, ſibique relictum à teſtatore, non quaſi partem deficientis, ſuæ accreſcentem, & adjunctam ; utpotè vacantem. Hæc idem Juſtinianus in *eâd. l. unicâ* : noluit tamen id ſufficere ad impediendum jus accreſcendi inter disjunctos, ſublatâ omni diſtinctione ac differentiâ legatorum. Provenit igitur hoc à diſpoſitione legis, non à voluntate teſtatoris. At non putavit Juſtinianus, ex hoc ſolo manifeſtè conſtare de voluntate teſtatoris ; nam cùm manifeſta eſt voluntas teſtatoris, ipſe quoque approbat utrique legatario ſolidum deberi, ita ſanè. Sed Juſtinianus non loquitur de ſpecie propoſitâ à Juliano in noſtra *l.* 76. & ejuſmodi cæteris : loquitur de jure accreſcendi : loquitur de unâ re eâdemque, duobus, aut pluribus legatâ. Contrà in *l.* 76. non agitur de jure accreſcendi : non de unicâ re duobus legatâ, ſed de duabus rebus ſingillatim legatis : hoc eſt, de Sticho, qui legatur Sempronio, & de Pamphilo, qui legatur Mævio. Inter Sempronium & Mævium non eſſe jus accreſcendi, quia non concurrunt in eumdem ſervum, conſtat, & Sempronio Stichum, Mævio Pamphilum deberi. *l. hujuſmodi* 84. §. *pen. ff. de leg.* 1. Eadem enim res legata eſſe debet pluribus, ut quæri poſſit, an ſcindi debeat legatum, & concurſu partes fieri. §. *ſi eadem* 8. *inſtit. tit. de legat.* In *d. l.* 76. nominatim teſtator legat Sempronio Stichum, Mævio Pamphilum ; non pertinet igitur hujuſmodi legatum ad jus accreſcendi ; adeoque nec ad diſpoſitionem Juſtiniani in *d. l. unicâ* : clara enim eſt, & expreſſa voluntas teſtatoris, jubentis utrumque legatarium habere ſolidum : videlicèt totam rem ſibi nominatim legatam : quo caſu etiam ex Juſtiniani conſtitutione utrique ſolidum debetur *d.* §. *ubi autem verſic. hoc autem*, & in *l. ſi pluribus* 33. *verſ. ſcilicèt ff. de legat.* 1. Imò nullâ ratione poteſt conſtitutio Juſtiniani ad hujuſmodi legatum traduci : non ſolùm enim nominatim in ea excipitur, ſed etſi non exciperetur, tamen in ea non comprehenderetur, quia non eſt de genere legatorum, de quibus ibi diſponit imperator. Hîc enim duo ſunt legata disjuncta, ac ſeparata ; inter quæ nulla eſt conjunctio, ac communicatio. Duæ ſunt legatariorum perſonæ disjunctim ac ſeparatim vocatæ : duæ res diverſæ, ſingulæ ſingulis ſejunctim legatæ. Quid cauſæ igitur eſt, cur ſinguli non habeant rem, quæ cuique legata fuit ; & quidem totam, ſicut fuit legata.

Verùm opponi poteſt, illud falſum eſſe, 15
quod poſuimus, duas res fuiſſe legatas : nam cùm teſtator legat id, quod ſibi debetur, legare videtur actionem, quam habet ad conſequendum id, quod ſibi debetur : nec hæres tenetur præſtare rem debitam, ſed tantummodò actiones ad eam conſequendam. Atqui cùm aliquis Stichum, aut Pamphilum ſtipulatur ; unica eſt ſtipulatio ; unica obligatio, quæ ex ipſâ naſcitur : unica actio ad petendum Stichum, aut Pamphilum, non autem utrumque ſimul. §. *ſi quis agens* 33. *verſ. huic autem inſt. tit. de action. l. ſi quis ſervum* 10. *C. de cond. ind.* Ergo, is, cui debetur Stichus aut Pamphilus, cum legat id, quod ſibi debetur, unam tantùm rem legat : nempè actionem, quam habet ad alterutrum conſequendum.

Reſp. id veriſſimum eſſe, ſi legaverit id, 16
quod ſibi debetur : aut legaverit Stichum aut Pamphilum : imò etſi legaverit Stichum & Pamphilum, hæres ſolùm præſtare tenetur legatario actionem, quam habebat defunctus ad petendum Stichum, aut Pamphilum : quoniam licèt non legaverit actionem nomi-

Digitized by Google

natim, aut obligationem; ſed ſervos ipſos debitos: tamen lex præſumit, eum voluiſſe legare id, quod ſuum erat in re legatâ, & jus, quod in ea habebat. Cùm igitur in Sticho, & Pamphilo nullum aliud jus habeat, quàm actionem ad alterutrum conſequendum; hanc ipſam legare voluiſſe præſumit. *l. 5. in fin.* & *l. 6. in fin. ff. de leg. 1. l. quibus diebus* 40. §. *dominus ff. de cond. & dem.*

17 *l. cùm illud* 25. *ff. quan. di. leg. ced.* Secùs autem eſt, cùm legat nominatim ac ſeparatim Sempronio Stichum, Mævio Pamphilum; tunc enim non poteſt præſumi, eum voluiſſe legare ſolummodò actionem ad petendum & conſequendum unum ex his, cùm utrumque nominatim leget unum Sempronio, alterum Mævio: & duo legata disjuncta ac ſeparata relinquat: quo clarè demonſtrat, ad utrumque legatum pervenire velle ejus ſervi, quem ipſi legat. Quamvis autem in ſtipulatione alternativâ una res tantummodò ponatur ad ſolutionem, quia una tantùm ſolvi debet: tamen utraque ponitur ad obligationem *l. qui duos* 128. *in fin. ff. de V. O. l. cùm hæreditas* 5. *in fin. verſic. multùm intereſt ff. qui & à quib. manum. lib. non fiunt. l. qui decem* 72. §. *Stichum ff. de ſolut. l. hujuſmodi* 84. §. *ſi Titio* 11. *ff. de leg.* 1. Si igitur tam Stichus, quàm Pamphilus eſt ad obligationem, & in obligatione, potuit à teſtatore conſiderari uterque tamquàm debitus ante ſolutionem, perindè ac ſi ſtipulatus fuiſſet Stichum, & Pamphilum: proptereà potuit tam Stichum, quàm Pamphilum eodem modo duobus ſingulatim legare; quemadmodùm ſi deberetur ei Stichus & pamphilus. Diſcrimen enim inter duas ſtipulationes potiùs reſpicit petitionem, & exactionem, ac ſolutionem, quàm obligationem.

18 Exemplis, quod dixi fortaſsè paulò obſcurius, dilucidum certumque reddo. Qui legat fundum, aut aliam quamcumque rem duobus in ſolidum; fundum illum conſiderat, quaſi duplicem; quaſi duplex ejus haberet dominium, quod poſſet in ſolidum tranſire. Hujuſmodi legatum jus non improbat; & ad ſervandam voluntatem teſtatoris, quia non poſſunt ambo totum fundum habere, ejusque in ſolidum domini eſſe: *l. ſi ut certo* 5. §. *ult. ff. commodati.* ſtatuit, ut alter conſequatur fundum, alter ejus æſtimationem. *l. ſi pluribus* 33. *ff. de leg.* 1. Haud aliter in caſu noſtro: teſtator legat uni Stichum quaſi debitum, alteri Pamphilum item quaſi debitum: legata videtur actio, quam habebat teſtator, & in heredem eſt tranſlata: hanc autem non poteſt heres utrique præſtare, quia unica eſt, & unicum ſervum conſequi potis eſt; idcircò jus ſtatuit, heredem uni actionem, alteri pretium dare debere *d. l. quòd ſi quis* 76. & *d. l. unic.* §. *ubi autem verſ. hoc verò.* Atque hoc multò magis in hoc caſu fuit admittendum; quia ibi teſtator unam tantùm rem legat duobus, & mandat id, quod eſt impoſſibile: nam fundus duplicari ac geminari non poteſt, ut duobus in ſolidum præſtetur: tamen jus, quia publicè expedit ſuprema hominum judicia exitum habere *l. vel negare* 5. *ff. teſtam. quem. aperian.* ſtatuit ſervari voluntatem defuncti eo modo, quo poteſt; nempè uni dare rem, alteri pro re ejus æſtimationem. Hic autem duæ res legatæ ſunt, uni Stichus, alteri Pamphilus: itaque nihil obſtat, quominùs ſervanda ſit voluntas teſtatoris: licèt enim non ſint ejus ſervi legati, tamen etiam res aliena legari poteſt. §. *non ſolùm* 4. *inſt. de legat.*

Aliud exemplum ad rem explicandam aptiſſimum duco ex *l. non quocumque* 82. §. *qui Cajum ff. de leg.* 1. Teſtator habebat Cajum & Lucium ejuſdem pecuniæ reos: putà ſtipulatus erat ab iis centum: una eſt obligatio, una ſumma debetur, & ſi ab altero ſolvatur, alter quoque liberatur, & tota ſolvitur obligatio *l. 2.* & *l. 3. in fin.* §. *de duob. reis* §. 1. *inſt. tit. eod.* Itaque teſtator cùm haberet utrumque in ſolidum obligatum, ita legavit. 19

Quod mihi Cajus debet, id heres meus Sempronio damnas eſto dare: quod mihi Lucius debet, id heres meus Mævio damnas eſto dare. ait Julianus. *conditionem heredi ſuo conſtituit, ut is neceſſe habeat alteri actiones ſuas, alteri litis æſtimationem præſtare.* Una quidem tantummodò teſtatori ſumma debebatur, unam

exigere poterat; unâ exactâ tota ſolvebatur obligatio, & uterque liberabatur: ſed ipſe legavit duas ſummas ſibi debitas, quaſi Cajus deberet centum, & alia centum deberet Lucius; quamvis uterque deberet eadem centum. Ad ſervandam autem voluntatem teſtatoris heres utramque ſummam præſtare tenetur; nempè uni actiones, quas habet, alteri litis æſtimationem. Idem omninò præſtare tenetur in ſpecie propoſitâ in *d. l. 76.* quia licèt unus tantùm ſervus peti poſſet, & uno ſoluto tota tolleretur obligatio; tamen teſtator utrumque ſeparatim legavit duobus, uni Stichum, alteri Pamphilum; quaſi uterque ſolvi ſibi deberet.

20 Concludo jam totam hanc diſputationem. Nec veteris juris ignoratione, nec incuriâ, aut oſcitantiâ juris compoſitores has leges Pandectis inſeruerunt; ſed, quantùm arbitror, his argumentis adducti putarunt, eas non eſſe contrarias conſtitutioni Juſtiniani abolentis vetus diſcrimen à Juriſconſultis introductum inter legatum damnationis, & alia legata. Exiſtimarunt enim, has leges pertinere ad exceptionem ejus conſtitutionis, quam inſeruerunt in *l. ſi pluribus 33. ff. de leg. 2.* nempè in illis liquidò conſtare de voluntate teſtatoris dandi utrique ſolidum. Eò fit, ut etiam hodiè poſt ſublatam legatorum differentiam ſtatuendum ſit, eo caſu utrique ſolidum deberi, eo modo, quo laudatæ leges præſcribunt.

21 Ut finem imponam huic diſceptationi, reſtat ut admoneam, falſam non judicari demonſtrationem debiti, ita ut legatum perimat, ſi aliquo modo ſit debitum, etiam ex obligatione merè naturali: veluti ſi dominus leget ſervo pecuniam, quam in tabulis ipſi debet, ut in *l. quibus diebus 40. §. dominus ff. de cond. & dem.* vel ſi quis legaverit alicui, quod pupillus accepiſſet ſine tutoris auctoritate, nec locupletior factus fuiſſet, ut in *l. cùm illud 25. §. 1. ff. qu. di. leg. ced.* Idem dicendum puto de obligatione merè civili, quæ licèt dicatur nulla in *l. ſi dari 25. ff. de V.O.* tamen nihil etiam debere pupillus dicitur in *d. l. cùm illud*: nihilominùs valet quaſi ſub conditione; ſi ſolverit: haud aliter hoc valebit ſub conditione, ſi debitor conventus non oppoſuerit exceptionem.

CAPUT XXII.

Ad l. legavi 25. ff. de liberat. leg.

SUMMARIUM.

1 Legari poteſt debitori ſuo, quod ſibi debetur.
2 Si nihil debeatur, & ſumma expreſſa non fuerit, falſa demonſtratio legatum perimit.
3 Si ſumma vel res expreſſa ſit, magna quæſtio an legatum valeat. Explicatur textus noſter.
4 Debitor inutiliter legat id, quod debet creditori ſuo, niſi amplietur debiti emolumentum. Quando ampliari contingat, & n. 5.
6 Hoc legatum non valet ſi vera fuerit demonſtratio, valet ſi falſa ſit.

SEries rerum propoſitarum poſtulat, ut 1
dicamus de creditore, qui legat debitori ſuo, quod ſibi ab eo debetur. Hujuſmodi legatum valere, dubium non eſt; eoque poteſt remitti totum debitum, vel ejus tantummodò pars, ut creditori placuerit. *l. non ſolum 7. in princ. ff. de liberat. leg.* Et poteſt quibuſcumqne verbis legari, veluti: Titio, quod mihi debet, do lego: à Titio, quod mihi debet, peti nolo: hæres meus damnas eſto non petere, quod mihi Titius debet. *l. quod mihi 22.* & *l. legavi 25. ff. eod.* Effectus autem eſt; quòd ſi à Titio petatur id, quod debet, poſſit uti exceptione, eâque ſe defendere: ſi non petatur, poſſit agere actione ex teſtamento, ut ab hærede per acceptilationem ab obligatione liberetur. *l. 3. §. nunc de effectu ff. eod.* Verumtamen acceptilatione liberandus eſt, quando teſtator tollere voluit totam obligationem: ſecùs, pacto liberandus eſt. Exemplis id explico. Teſtatori debebantur: Stichus, aut decem: damnavit hæredem Stichum non petere. liberandus eſt debitor acceptilatione; ut liberetur etiam à dandis decem; quemadmodùm liberaretur Stichi ſolutione. *l. non ſolùm 7. §. 1. ff. eod.* Quòd ſi duo fuerint rei promittendi, & creditor uni tantummodò conſultum voluerit, pacto liberandus eſt: nam ſi acceptilatione, liberaretur etiam correus

contra voluntatem defuncti. Verumtamen ſi ſocii fuerint, acceptilatione liberandus erit, ut liberetur etiam correus, ne ſi ab eo petatur, ipſe quoque inquietetur *d. §. nunc de effectu.*

2 His præcognitis videamus, quandonam falſa demonſtratio perimat hujuſmodi legatum. Perimit cùm nullum ſubeſt debitum, quod remitti poſſit, quod falsò demonſtravit teſtator. Si non expreſſit ſummam, vel rem debitam, utique legatum eſt inutile, ſi nihil debeatur: non tam quia ignoratur, quid legato contineatur, quàm quia deficit debitum falsò demonſtratum, in quo poſſit conſiſtere legatum: nam ſi verè ſubeſſet debitum, etiam non adjectâ ſummâ, vel ſpecie, legatum valeret *l. legavi* 25. *ff. eod.* Eſſe enim debitor debet *l. ſi ſic legatum* 75. §. *quòd ſi ff. de leg.* 1. quòd ſi debitor ſit, ex ſummâ, vel ſpecie debitâ ſatis apparet, quid ſit legatum: ſi autem nihil debeatur, non poteſt valere legatum, ſive de re legatâ conſtet, ſive non conſtet; quia non poteſt ab obligatione liberari, qui non eſt obligatus. Imò etſi fuerit obligatus, ſed merè civiliter: hoc eſt, ſi ſe exceptione perpetuâ tueri poſſit; nullius momenti legatum erit. *l. ſi creditor* 15. *ff. de liber. leg.* Quamvis enim quoad jus civile ſit obligatus: tamen quoad juris effectum obligatus non eſt, obſtante exceptione perpetuâ: *l. ſi dari* 25. *ff. de V. O.* Multò minùs poteſt valere legatum, ſi à teſtatore, dum viveret, fuerit exactum debitum legatum: nam ſi erat jam exactum tempore conditi teſtamenti, utique nullum fuit ab initio: ſi poſteà, legatum evaneſcit *l. non ſolùm* 7. §. *liberatio ff de liber. leg.* & ſi partem exegegerit, pro ea parte legatum exſtinguitur *l. ult. in princ. ff. eod.*

3 Atque hæc certa ſunt. De eo apud doctiſſimos homines eſt magna diſſenſio: an ſi fuerit expreſſa ſumma aut ſpecies debita, valeat legatum, quamvis ea debita non ſit, & poſſit eam petere, & conſequi legatarius. Propoſita fuit hæc quæſtio Paulo in *l. legavi* 25. *ff. de lib. leg.* ſed ille verborum ambagibus involvit magis, quàm explicavit: adeò ut doctiſſimi viri eam legem putent eſſe corrigendam, & eorum aliqui addant, alii verò detrahant verba, tamquàm ab inſcio ſcriptore adjecta. Verba Pauli ſunt. *Quòd ſi etiam centum aureorum, vel fundi debiti mentionem fecit, ſi quidem debitor fuiſſe probetur, liberandus eſt: quòd ſi nihil debeat; poterit dici, quaſi falsâ demonſtratione adjectâ, etiam peti, quod comprehenſum eſt. Sed poterit hoc dici, ſi ita legavit: centum aureos, quos mihi debet, vel Stichum, quem debet, heres meus damnas eſto non petere. Quòd ſi ſic dixit: heres meus centum aureos, quos mihi Titius debet, damnas eſto ei dare, etiam illud tentari poterit, ut petere poſſit, quaſi falsâ demonſtratione adjecta; quòd mihi nequaquam placet, cùm dandi verbum ad debitum ſe referre teſtator exiſtimaverit.* Obſcurum ſanè, perplexumque reſponſum. Enimverò Cujacius adjectâ negatione id expedit, & explicat planiſſimè: *ſed non poterit hoc dici*, legendum ait. Ac ſi mihi religio non eſſet ſacro ſanctas leges violare, ac temerare corrigendo, in ejus opinionem non invitus adducerer. At nulla nos premit neceſſitas, ut legem emendare debeamus. Propoſita fuit Paulo quæſtio: an in hoc legato, *Titio centum, quæ mihi debet*: requirendum ſit, an debeat. Reſpondit, quòd ſi nihil debeat; dici poterit, quaſi falsâ demonſtratione adjectâ, etiam peti poſſe centum. Ait *dici poſſe*, non tamen ipſe hoc affirmat: ſed ſolùm proponit, quod dici poſſet ſecundùm tritam juris regulam; quod falſa demonſtratio legatum non vitiat. Non ſolvit igitur hîc quæſtionem propoſitam. Imò diſtinguit duas legati formulas inter ſe diverſas: *centum aureos, quos mihi debet, heres meus damnas eſto non petere*: & alteram; *centum aureos, quos mihi debet, damnas eſto ei dare.* Quoad primam jam expoſuerat, *dici poſſe*: quoad hanc, *tentari poſſe.* Quoad utramque igitur nihil hactenùs decidit, nihil certi ſtatuit, ſuſtinet ſe; nec approbat, nec reprobat: quod de falſa demonſtratione dixit. Modò verò aperit, quid ipſe ſentiat, quid ſibi placeat, illis verbis: *quòd mihi nequaquàm placet; cum dandi verbum ad debitum ſe referre teſtator exiſtimaverit.* Ut oſtendat totam quæſ-

tionem in controverſia falſæ demonſtrationis verſari, in utraque legati formulâ ait dici & tentari poſſe falſâ demonſtratione legatum non perimi. Deinceps id reprobat, & ait ſibi non placere; quod ad utrumque locum pertinet, ubi hoc dixerat. Tollit autem difficultatem, quæ inſurgere potuiſſet ex ſecunda legati formulâ; quoniam hæc ejus ſententiam omninò videtur evertere. Etenim cùm teſtator jubeat hæredem dare Titio centum aureos, parùm intereſſe videtur, an eos debeat; an non debeat: quemadmodùm ſi legem centum, quæ Titio debeo, valet legatum, etiamſi nihil Titio debeam; quia cùm ſit legata certa quantitas, legatum non perimit falſa demonſtratio. Ita Ulp. in *l. ſi ſic legatum 75. §. 1. verſ. cùm ſi decem ff. de leg. 1.* Maximè in propoſito cùm teſtator uſus ſit verbo dandi, dari enim cuiquam intelligitur id, cujus dominium in eum transfertur. *§. ſic itaquè 14. inſt. de act. l. ubi autem 75. §. ult. ff. de V. O. l. non videntur 167. ff. de R. J.* Aliud igitur eſt dare alicui: aliud eum à debito liberare. Scitè Senec. *5. de benef. c. 10. Dare, aliquid à ſe dimittere eſt; & id, quod tenueris, habendum alteri tradere.* Ad hoc reſpondet Paulus, quòd teſtator dandi verbum ad debitum ſe referre exiſtimavit: non ad dominii tranſlationem. Quemadmodùm igitur cùm lego id, quod mihi debetur, alteri; non oneratur hæres ad id præſtandum legatario; ſed ſolummodò ad præſtandam ei actionem, quam habet: ita cùm lego id, quod mihi debetur, ipſi debitori, non oneratur hæres ad id ei præſtandum, ſed ad remittendam ei actionem, quam habet ad exigendum, & ad liberandum eum ab obligatione. Hæc eſt vera Pauli ſententia: nec ad eam clariùs exponendam opus fuit ſpeciatim agere de prima forma legati. Cùm enim falſam demonſtrationem nocere reſponderit huic ſecundo legato, quod plurimùm habet dubitationis: utique ſupervacaneum fuiſſet, adjicere eamdem nocere etiam primo, quod ferè nihil habet dubitationis. Etenim in eo neque legavit centum aureos, neque juſſit hæredem dare centum; ſed ſolùm damnavit, ne peteret: itaque non petendo, aut liberando Titium implet voluntatem teſtatoris: non poteſt autem liberare eum, qui non eſt obligatus, nec ab eo petere poteſt deficiente obligatione, & actione: ergo eſt inutilis prohibitio teſtatoris, inutile legatum. Summa ſit. Falſa debiti demonſtratio quocumque modo legatum vitiat: hîc noſtra *l. legavi l. ſi creditori 13. l. ult. in princ. ff. de liber. leg.* niſi probetur, teſtatorem voluiſſe legare quantitatem quondàm debitam; non verò jus liberationis, ut in *d. l. ult. verſ. priùs quidem.*

Veniamus modò ad debitorem, qui legat 4
creditori ſuo, quod debet: de quo agit Paulus in noſtra *l. legavi in fin. verſ. contra.* & ait inutile prorsùs eſſe; niſi in his ſpeciebus, in quibus emolumentum debiti ampliatur: quod confirmatur in *l. ſi debitor 11. verſ. quod debitor ff. eod. l. 1. §. ſi quis creditori 10. ff. ad leg. Falcid.* Ampliatur autem quatuor modis, totidemque fit, ut ſit utile legatum: modo, tempore, conditione, & loco. *l. ſin autem 29. ff. de legat. 1.* Modo: ſi legetur debitum, cui perpetua obſtabat exceptio, hæc enim remiſſa videtur *l. ſi creditori 28. in princ. ff. de leg. 1.* Si legetur id, quod actione honorariâ debetur; actio enim ex legato civilis eſt, atque adeò plenior *d. l. ſi creditori.* juncto *princ. tit. inſtit. de perpet. & temp. act.* Si leget rem, quam ex ſtipulatu debet *d. l. ſi creditori §. 1.* hoc enim commodum ex legato ſentit creditor, quòd dominium rei nanciſcitur ſtatim, non expectat ex ſtipulatu actionem *l. 3. §. ſi rem ff. de leg. 3.* Nam rei legatæ dominium ſtatim à morte teſtatoris rectâ viâ tranſit in legatarium *l. à Titio 64. in fin. ff. de furt.* At verò ſi ex ſtipulatu agere deberet, nonniſi poſt rem judicatam, & per traditionem ipſius debitoris dominium rei debitæ nanciſceretur. *l. traditionibus 20. C. de pact.* His conſequens eſt, ut dicamus omnia propemodùm legata rei debitæ poſt Juſtiniani conſtitutionem in *l. 1. C. commun. de leg.* in qua legatariis tribuit tres actiones, perſonalem, in rem, & hypothecariam, utilia eſſe: quoniam vix eſt, ut commodum non afferat legatario tres haſce actiones tribuendo, quibus pro arbitrio

trio

Digitized by Google

trio poſſit experiri, cùm in aliis debitis hæ actiones non concurrant, & contra rationem juris ab Imperatore concedantur legatariis. Quantitate quoque ampliatur emolumentum §. *ſi quis agens* 33. *verſ. plus autem inſt. tit. de act.* & ideò valet legatum, ſed ſolùm in exceſſu, & ex eo ſolùm Falcidia detrahitur *l. verbis* 5. *ff. ad l. Falcid.*

5 Tempore, & conditione ampliatur, ſi purè legetur, quod in diem, vel ſub conditione debetur. §. *ex contrario* 14. *inſt. tit. de legat.* In hoc illud ſpeciale, quòd totum valet, totum actione ex teſtamento petitur *l. debitor* 82. *ff. de leg.* 2. *d. l.* 5. *ff. ad leg. Falc.* & quòd, etiamſi dies & conditio vivo teſtatore ſupervenerint, legatum non exſtinguitur, nec fit irritum, quod ſemel competit, ut ait Papinianus in *d. l.* 5. *in fin.* cujus ſententiam probavit Juſtinianus in §. *ex contrario* 14. *inſt. tit. de leg.* repudiata Pauli ſententia contraria, quæ relata eſt in *l. debitor* 82. *ff. de leg.* 2. adeò ut mirer pleroſque interpretes conari has inter ſe conciliare, cùm Juſtinianus ipſe contrarias eſſe perſpicuè doceat: affert enim utriuſque rationem, ita ut nequeat dubitari de his ipſum loqui. Loco quando amplietur commodum, latè docet idem Imperator in *d.* §. *ſi quis agens verſ. loco plus petitur.* & hoc caſu totum legatum loco à teſtatore deſtinato peti poterit, locum tamen non habebit Falcidia; nec poterit fideicommitti, ut in *l.* 3. §. *ſi rem ff. de leg.* 3.

6 Exceptis his caſibus legatum eſt inutile. Et, quod mirum eſt, non valet, ſi vera fuerit demonſtratio: valet, ſi falſa. *l. ſi ſic legatum* 75. §. 1. *verſ. cùm ſi decem ff. de leg.* 1. *l. legavi in fin. verſ. quòd ſi centum ff. de liberat. leg.* §. *ſed ſi uxori* 16. *inſt. tit. de leg.* *l. cùm ſcriptum* 6. §. 1. *ff. de dot. præl.* Ratio autem eſt, quia, cùm vera eſt demonſtratio, legatum nullam affert utilitatem, nullum lucrum ideòque valere non poteſt: noſtrâ *l. legavi* 25. *verſ. contra,* & *l.* 1. *prope fin. verſ. cùm enim non aliter C. commun. de legat.* Cùm verò falſa eſt demonſtratio, quia nihil debetur, aut minùs debetur, affert legatario utilitatem, lucrumque vel totius legati, ſi nihil debetur; nihil enim ſecluſo legato poſſet exigere, quia nihil debetur: ex legato autem, quod ipſi relictum eſt, conſequitur, cùm falſa illa demonſtratio legatum non perimat. *d. l. legavi* 25. *in fin. l.* 1. §. *ſi quis uxori ff. de dot. præleg.* Quòd ſi minùs debetur, valet legatum propter emolumentum exceſsûs *l. cùm ſcriptum* 6. *ff. eod.* & *d. l. verbis* 5. *ff. ad leg. Falcid.* Imò etſi pro re debitâ pecuniam legaverit, valet legatum etiam re vivo teſtatore peremptâ *l. vir uxori* 8. *ff. de dot. præl.* Item quamvis reddendæ dotis causâ quadraginta legata fuerint uxori, dote jam ei redditâ ſciente marito, legatum valet; quia licèt reddendi verbum ſignificationem habeat retrò dandi: recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem *l. cùm quidam* 21. *ff. de legat.* 2. *l. heres* 100. *ff. de l.* 3.

CAPUT XXIII.

Ad l. hæres 100. §. *ult. ff. de leg.* 3.

SUMMARIUM.

1 *Demonſtratio partim falſa legatum non vitiat, nec impedit, ne legato generali contineatur. Exemplum & n.* 2.
3 *Vaſa plurima & pretioſa veteres habere ſolebant in conviviis.*
4 *Exponitur L. cùm aurum* 19. §. *ſed cui vaſa* 10. *ff. de aur. & arg. leg. & n.* 5. 6.
7 *Exponitur L. pediculis* 32. §. *quidam ff. de aur. & arg. leg.*
8 *Si demonſtratio pro parte falſa ſit ob diminutionem rei legatæ, quid juris ſit.*

TRes alias quæſtiunculas de falſa demonſtratione libet adjungere. Quid juris ſit, ſi partim vera ſit, partim falſa: ſi nondum conveniat rei legatæ: denique ſi ampliùs non conveniat.

Demonſtratio pro parte falſa non ſolùm 1
non vitiat legatum, ſed nec impedit, ne legato generali contineatur. Exemplis id explico. Teſtator Titio legavit teſtudinea: debentur etiam lecti teſtudinei, qui habent pedes inargentatos *l. heres* 100. §. *ult. ff. de legat.* 3. Fallitur Bartolus, qui putat id à

Digitized by Google

Labeone, Trebatio, Javoleno reſponſum, quia principale trahit ad ſe acceſſorium etiam pretioſius. Neque pedes inargentati ſunt acceſſorium lecti; ſed pars eſſentialis: neque ſunt pretioſiores teſtudineis, ſeu lectis teſtudine veſtitis. Plinius *lib.* 9. *c.* 11. *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque & repoſitoria his veſtire Carbilius Pollio inſtituit prodigi, & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenii.* Juven. *Sat.* 11. *verſ.* 93. damnans luxuriam ſui ſæculi.

Nemo inter curas, & ſeria duxit habendum,
Qualis in oceani fluctu teſtudo nataret
Clarum Trojugenis factura, & nobile fulcrum.

Dubitationem igitur faciebat, an numero teſtudineorum continerentur lecti, qui toti non erant teſtudinei; quoniam habebant pedes ligneos inargentatos. Haud aliter in eâdem lege in §. *cui Corinthia.* diſceptatum fuit inter Trebatium, Labeonem, & Proculum, an cui legata erant vaſa Corinthia, deberentur etiam baſes eorum vaſorum collocandorum cauſâ paratæ: & obtinuit Proculi diſtinctio: deberi, ſi Corinthiæ ſint: ſecùs, ſi æneæ. Et hîc errat Bartolus, tum quòd putat baſes eſſe repoſitoria; tum quod putat æneas ideò non deberi, quia ſunt vilioris materiæ. Utrumque falſum. Baſis non eſt vas, in quo aliud vas reponitur: ſed fulcrum, in quo vas collocatur, ut emineat, & conſpiciatur, & commodè tractetur, ut ſunt baſes ſtatuarum, quibus vel affixæ ſunt, ut in *l. penult. ff. de V. S.* vel non affixæ, ut eæ, quæ in baſibus ſtructilibus erant collocatæ, veluti in columellis. Planè Cicero *Tuſcul.* 5. columellam, in quâ inerat ſphæræ figura & cylindri in Archimedis monumento, baſim vocare videtur: nempè baſim ſphæræ & cylindri, quæ ſuprà eam non multùm è dumis eminentem erant collocata.

2 Sed quoniam in hæc incidimus, explicandæ latiùs hæ duæ leges, hæc noſtra ſimul cùm *l. cùm aurum* 18. §. *ſed cui vaſa* 10. *ff. de aur. & arg. leg.* Apud Romanos magno in pretio habebantur vaſa Corinthia, & Deliaca. Præſtabant Corinthia: proxima laus Deliacis. Plin. *lib.* 34. *cap.* 2. His domum ornabant. Cic. *pro Roſc. Amer. Domus referta vaſis Corinthiacis, & Deliacis.* Hæc certè humi non jacebant, ſed baſes eminentes habebant ad ornatum domûs, & conſpectum adeuntium, ut ea poſſent manibus tractare, mirari artificium, quod ſæpè præſtabat materiæ. Plin. *d. cap.* 2. *Quondam æs confuſum auro, argentoque miſcebatur, & tamen ars pretioſior erat.* Cic. *lib.* 4. *in Verr. Iſte* (Verres) *unumquodque vas in manus ſumere, laudare, mirari.* Quæritur igitur in noſtra lege, an cui Corinthia vaſa legata eſſent, etiam hæ baſes eorum colloeandorum cauſâ paratæ deberentur: & reſpondetur deberi, ſi Corinthiæ quoque illæ ſint; non verò ſi æneæ, aut ex aliâ materiâ. Ratio hujus diſtinctionis non ea eſt, quòd hæc materia ſit vilis: nam vilitas materiæ potiùs efficere deberet, ut eæ cederent vaſis multò pretioſioribus, quorum cauſâ paratæ fuerunt; ut in ſimili quæſtione de litteris & picturâ obtinuit *l. quâ ratione* 9. §. 2. *ff. de acquir. rer. dom.* §. *ſi quis in aliena* 34. *inſt. eod.* Ratio igitur eſt, quia cùm baſes quoque Corinthiæ ſunt, teſtator, qui Corinthia vaſa legat, de his etiam videtur cogitaſſe, quaſi ſint quædam portio vaſorum, & ſine illis ad ornatum domûs, aut triclinii diſponi, & collocari vix poſſunt; quâ de cauſâ fuerunt comparata tum vaſa, tum ipſæ baſes: faciunt ad rem *l. quæſitum* 12. §. *fiſtula* 24. & *l. cùm de lanionis* 18. §. *item cacabos ff. de fund. inſt.* & *l. pediculis* 38. §. 1. *ff. de aur. & arg. leg.*

3 Non ſolùm enim ad ornatum domûs, ſed tum maximè ad ornatum triclinii & cœnationis, vaſa pretioſa, argentea, aurea, quandoque etiam gemmis diſtincta, quin imò gemmea habebant; eaque exponebant in triclinio, cùm lauto ac ſplendido convivio aliquem excipiebant. Collocabant autem, & exponebant in abaco. Cic. *lib.* 4. *in Verr. Diocles eſt Pamphili gener, illius à quo hydria ablata eſt, Popillius cognomine: ab hoc vaſa omnia, ut expoſita fuerant, abſtulit.* Et infrà. *Ipſum Regem ad cœnam vocavit, exornat amplè, magnificèque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plu-*

Digitized by Google

rima, ac pulcherrima vaſa argentea: namque hæc antea nondum fecerat: omnibus curat rebus inſtructum & paratum ut ſit convivium. Et poſtmodùm. *Vocat ad cœnam deindè ipſe Prætorem: exponit ſuas copias omnes: multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos eſt regius, & maximè in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi trulla excavata cum manubrio aureo.* Et *lib. 5. Tuſcul. Collocari juſſit* (Dionyſius Siciliæ tyrannus) *hominem in aureo lecto ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo magnificis operibus picto: abacoſque complures ornavit argento, auroque cœlato &c.* Plin. *lib. 37. cap. 2. de tertio triumpho Pompeij. Vaſa ex auro, & gemmis abacorum novem.* Qui non habebant, ab amicis utenda accipiebant: undè quæſtio propoſita ab Ulpiano in *l. 5. §. ſi de me 14. ff. commod.* Abacus, menſa coquinaria, quaſi menſa ſine pede, à genitivo græco ἄβακος: erat enim tabula, quæ muro applicabatur, ita ut elevari, ac demitti poſſet, ubi vaſa exponebantur ad ornatum vel uſum convivii, & apud pauperes etiam in uſu erat. Juv. *Sat. 3. verſ. 203.*

Lectus erat Codro Procula minor; urceoli ſex
Ornamentum abaci: nec non, & parvulus infrà
Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron.

Ita & plebs noſtra ad oſtentandas copias omnia vaſa ænea, quæcumque poſſidet, in abacis ordine diſpoſita ſolet detinere. Homines autem copioſi & locupletes, ornandi triclinii causâ in abacis exponebant vaſa argentea, & aurea; cryſtallina; murrina. Cryſtallina magno in pretio: trullam unam centum quinquaginta millibus HS à matrefamilias nec divite mercatam refert Plin. *lib. 37. cap. 2.* Cœnabat apud Vedium Pollionem Auguſtus: expoſuerat ſua cryſtallina: ſervum, qui cryſtallinum fregerat, Vedius rapi juſſit, & objici murænis depaſcendum: confugit ad Cæſaris pedes non deprecans mortem, ſed ut ne eſca piſcibus fieret: tùm Cæſar illum quidem mitti; cryſtalla autem omnia coram ſe frangi juſſit, complerique piſcinam. Senec. *de ira lib. 3. cap. 40.* Hem! quanta cryſtallinorum copia? Non minori in pretio erant murrina: ideòque tam de his, quàm de cryſtallinis dubitatum fuit, an ſupellectili deberent adnumerari in *l. 3. §. de murrinis ff. de ſupell. leg.* & quia etiam, quæ magno in pretio ſunt, in ſupellectili ſunt *d. l. 3. §. vitrea.* reſpondit Paulus, murrina quoque, & cryſtallina in ſupellectili eſſe in *d. §. de murrinis*; & Javolenus in *l. vaſa 11. ff. eod.* Murrina primus Romam induxit Pompeïus in tertio triumpho, & ſex pocula Jovi Capitolino dicavit. T. Petronius trullam murrinam emit trecentis ſeſtertiis, hoc eſt, ſeptem millibus quingentis coronatis; eamque fregit moriturus, ne ad Neronem perveniret. Vide Plin. *d. lib. 37. cap. 2.* qui addit: *ea protinùs ad hominum uſum tranſiere, abacis etiam, eſcariiſque vaſis indè expetitis.* Eò deventum eſt, ut Heliogabalus in murrinis mingeret, ut refert in ejus vitâ Lampridius. In abacis igitur viſenda exponebant vaſa pretioſa: neque credibile eſt, in iis concinnaſſe, ut ait Plautus in *Menæchm. Scen. 1.* ſtruices patinarias, ſed ea ordinatè, ac ſcitè diſpoſuiſſe: & aut in baſibus ſuis collocaſſe, ut extarent, atque eminerent, quò conſpectiora eſſent, & non ſolùm oculis, ſed etiam manibus poſſent contrectari, Cic. *de Verre* ad cœnam vocato ab Antiocho: *iſte unum quodque vas in manus ſumere, laudare, mirari.* aut in gradibus aliis ſuprà alios eminentibus in conſpectu convivarum ordine cuncta locaſſe: ut hodiè ſolemus in publicis ac ſolemnibus epulis apparare convivium propoſito argento, cryſtallinis, murrinis, quod Hetruſcè dicimus: *la credenza d'argento: la credenza de criſtalli: la credenza delle porcellane.* Gradus autem illos quid vetat baſes vaſorum dicere? Verumtamen exiſtimo, eos ſaltem, qui vaſa aut à claris artificibus cælata, aut gemmis diſtincta habebant, ſingula in ſuis baſibus expoſuiſſe; ut convivæ poſſent unumquodque vas in manus ſumere atque mirari. Ac ſi quis baſes arbitretur ipſos abacos accipien-

Digitized by Google

das eſſe in noſtra lege, non valdè repugnabo. Maximè quia non ſolùm abaci erant, quibus ad aſpectum vaſa pretioſa exponebantur: ſed etiam abaci parvi, ſimiles, ut arbitror, noſtris abacis, quos dicimus *Vaſſoi*, quos conficimus ex tabulis circumcircà marginatis; & ſunt in uſu apud pleroſque, præſertim ad collocanda & miniſtranda pocula ferventium potionum, quæ vel interdiu, vel in ſecundis menſis apponi ſolent: qui uſus jamdiu invaluit ubique gentium. Teſtis Plinius *lib.* 37. *c.* 2. ubi de murrinis: *Quæ protinùs ad hominum uſum tranſiere, abacis etiam, eſcariiſque vaſis inde expetitis*: & paulò poſt: *amplitudine nuſquam parvos excedunt abacos: craſſitudine rarò, quanta dictum eſt, vaſi potorio.* Erant etiam abaci majores ad eumdem uſum deſtinati, in quibus vaſa potoria, & eſcaria reponebantur, & in menſam inferebantur: atque ideò repoſitoria, & fercula dicebantur. Hæc propriè baſes collocandorum vaſorum cauſâ paratæ dici poſſunt: quoniam vaſa & obſonia ſuſtinent. Plin. *lib.* 33. *cap.* 11. *Jam verò & menſas repoſitoriis imponimus, & ad ſuſtinenda obſonia interradimus latera.* ait *menſas*, ſcilicèt cibos menſis impoſitos. Poll. *cap.* 12. *de menſis* (fruſtrà igitur vir doctus addit; in menſas) Servius ad illum Virgilii verſum *lib.*7. *Æneid verſ.* 111. & cereale ſolum &c. *panicias menſas; id eſt, epularum ſuſtentaculum* ſolùm *vocavit.* Sunt etiam vaſa, quia habent circumquâque latera prominentia ne dilabantur, & effluat, quod in iis collocatur. Rectè igitur dixit Proculus, legatis vaſis Corinthiis deberi etiam baſes, ſcilicèt repoſitoria Corinthia, non verò ænea: ita legatis vaſis argenteis deberentur etiam argentea repoſitoria. Sanè Plinius inter argentea vaſa recenſet etiam repoſitoria argentea.

4 Quoniam verò, ad repoſitoria devenimus, operæ pretium eſt, fuſiùs explicare ſimile reſponſum in *l. cùm aurum* 19. *§. ſed cui vaſa* 10. *ff. de aur. & arg. leg.* quod hactenùs nemo eorum, quos viderim, rectè dilucideque explicavit. Eſt autem hujuſmodi. *Sed cui vaſa ſunt legata, non ſolùm ea continentur, quæ aliquid in ſe recipiant edendi, bibendique cauſâ paratum, ſed & quæ aliquid ſuſtineant: & ideo ſcutellas, vel promulſidaria contineri. Repoſitoria quoque continebuntur: nam vaſorum appellatio generalis eſt.* En! repoſitorium inter vaſa: en! etiam inter baſes. Numeratur enim inter ea, quæ aliquid ſuſtinent. Probè errant, qui putant hæc omnia à Javoleno recenſeri inter ea, quæ aliquid ſuſtinent. Scutellæ, & promulſidaria edendi, bibendique cauſâ parata ſunt; repoſitoria, ſuſtinendi. Scutellæ bibendi cauſâ. Cic. in 3. *Tuſcul. Collocemus in culcitra plumea: pſaltriam adducamus: cedrum incendamus: demus ſcutellam dulciculæ potionis: aliquid provideamus & cibi.*

Promulſidaria autem ſunt vaſa, quæ tam eſculenta, quàm potulenta continent, quæ ad promulſidem parantur. Promulſis dicebatur, quæ in principio cœnæ apponebatur, indè dicta, quòd initio mulſum daretur. Prima potio ex mulſo: rationem reddit Horatius *Sat. lib.* 2. *Satyr.* 4. 5

> —— *quoniam vacuis committere venis*
> *Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo*
> *Prolueris melius.*

Idcircò Græci hanc primam cœnæ partem πρόπομα & ψυχρὰς τραπέζας vocabant, nos dicimus: *i freadi*, aut *antipaſti*: Latini verò *antecœnia*, ut Apul. *lib.* 2. *Aſ. aur.* vel *ante cœnam*, ut Macrob. *lib.* 3. *cap.* 13. vel *guſtationem*, ut Petron. *allata eſt tum guſtatio valdè lauta*: vel *guſtum*, ut Martial. *lib.* 11. *ep.*31. *Guſtu protinùs has edes in ipſo* & *ep.*52. *Hæc ſatis in guſtu.* Quæ autem in hâc prima cœnæ parte ſolerent apponi, videre potes apud Athen. *lib.* 2. Dipnoſ. Mart. *d. ep.* 52. Petron. in convivio Trimalcionis. Macrob. *d. c.* 13. *in cœna Pontificali Metelli.* Scitè Cic. *lib.* 9. *ep.* 16. *Ante meum adventum fama ad te de mea lautitia veniet: eam extimeſces. Neque eſt, quod in promulſide ſpei ponas aliquid, quam totam ſuſtuli. Solebam enim antea delectari* (vel, ut aliqui legunt, *debilitari*) *oleis, & lucanicis tuis.* Et *ep.* 20. *At quem virum? non eum, quem tu es ſolitus promul-*

ſide conficere: integram famem ad ovum affero. Ita uſque ad aſſum vitulinum opera perducitur. Promulſis igitur erant cibi, qui in principio cœnæ apponebantur: quos dicimus *antipaſti*; *principii*; *freddi*. Promulſidaria autem vaſa & lances, ad hos continendos, & inferendos in menſam parata. Tertullianus tamen uſurpans continens pro contento in libro *de Pallio* lancem ipſam vocavit promulſidem pro promulſidari. *Vereor ſanè ne parva ſit iſta trutina, cum Druſillanus, & quidem ſervus Claudii, quingenariam promulſidem ædificat ſupraſcriptis fortaſsè menſis neceſſariam: cui ſi officina exſtructa eſt, debuit & triclinium.* Narrat hoc Plin. *lib.* 33. *c.* 11. qui ait, *quingenariam lancem cui fabricandæ officina priùs ædificata fuerat.* Ergo hanc lancem argenteam quingentarum librarum *promulſidem* appellat Tertullianus, figura paſſim uſitata, ab eo, quod continetur, denominans id, quod continet. Enimverò miror doctiſſimum Salmaſium adductum hujus loci auctoritate, & Petronii verbis pravè detortis, & hâc noſtrâ *l. cum aurum* non intellectâ, pro certo affirmaſſe omnem antiquitatem ſemper pro vaſe aut lance guſtationem continente *promulſidem* uſurpaſſe, & *promulſidarium* vel *promulſidare* pro eo, quod ſuſtinet vaſa, & lances; ſcilicèt ipſam promulſidem: contra clariſſima Ciceronis verba, quæ modò attulimus, & alia, quæ poſſent afferri. Sed non eſt hîc locus confutandi opinionem à vero adeò abhorrentem. Venio igitur ad repoſitoria.

6 Poſt Vaſa, quæ recipiunt aliquid edendi, bibendique causâ paratum, tranſit Ulpianus ad vaſa parata ad aliquid ſuſtinendum, nempè ad repoſitoria, in quibus lances, & pocula, quæ cibos potionesque continebant, locabantur ordine diſpoſita: & à ſervis allata menſæ imponebantur. Repoſitorium, in quo erat guſtatio, ſcilicèt promulſis, à Petronio dicitur *Promulſidare*: *allata eſt tùm guſtatio valdè laudata &c. Ceterùm in promulſidari erat aſellus Corinthius &c.* quia in repoſitorio appoſita erat guſtatio, ſeu promulſis: ſicut à Plinio in *epiſt.* 6. *lib.* 5. videtur appellari *guſtatorium*: ſic & magides dicuntur à Polluce repoſitoria in *c.* 12. *de Menſis. Tum & menſa, quæ apponi, tollique ſolebant, quæ nunc magides vocantur.* Magides à lancibus ſuperpoſitis, quæ magides dicebantur. Plin. *d. cap.* 11. *lances, quas antiqui magidas appellaverant.* Dicuntur autem *menſæ, quæ apponi tollique ſolebant*, id eſt, *repoſitoria.* Sic apud Virgil. 1. *Æneid. verſ.* 723.

Poſtquàm prima quies epulis, menſæque remotæ.

Remotæ erant repoſitoria non menſæ: ſubdit enim:

—— in menſa laticum libavit honorem.

Cic. ad Atticum *lib.* 14. *ep.* 6. *Hæc ad te ſcripſi appoſitâ ſecundâ menſâ.* Secunda menſa apponebatur, cùm inferebatur repoſitorium continens poma, bellaria, & alia, quæ erant ſecundæ menſæ. Item cùm legimus cuilibet convivæ ſuam menſam appoſitam, intelligendum puto parvum expoſitorium, ſeu abacum epularum appoſitum ſuum unicuique. Menſæ igitur dicebantur etiam vaſorum repoſitoria. Erant enim inſtar menſæ lignea, rotunda, ſolida, aut quadrata, acere operta, aut citro, aut teſtudine veſtita, quod Carbilius Pollio inſtituit; denique argentea, quæ totam menſam cooperiebant. Plin. *lib.* 9. *c.* 11. & *lib.* 33. *c.* 11. & apponebantur, ac tollebantur. Petron. *Guſtantibus adhuc nobis repoſitorium allatum eſt.* Poſt deindè. *Guſtatoria pariter à choro cantante rapiuntur.* Plin. *lib.* 28. *c.* 2. propè fin. *Bibente convivâ menſam vel repoſitorium tolli inauſpicatiſſimum judicatur*: & paulò poſt. *Nam ſternutamento revocari ferculum, menſamve, ſi non poſteà guſtetur aliquid, inter diras habetur, aut omninò non eſſe.* Ferculum à ferendo appellatum, repoſitorium lancibus, ac dapibus plenum. Petron. *c.* 35. *Laudationem ferculum inſecutum eſt, planè non pro expectatione magnum. Novitas tamen omnium convertit oculos. Repoſitorium enim rotundum duodecim habebat ſigna, &c.* & infrà. *ſuperioremque partem repoſitorii abſtulerunt: quo facto videmus infrà, ſcilicèt in altero ferculo altilia, & ſumina &c.* Repoſitorium magis notat vas ipſum, quàm epulas in eo locatas; ferculum deſignat potiùs epulas, quàm ipſum

vas : quo menſæ inſeruntur. Plin. *lib.* 18. *cap. ult. in fin. In conviviis menſiſque noſtris, vaſa quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitoriis linquentia, diras tempeſtates prænunciant.* Hic thecam ipſam vaſorum deſignat. Ferculum ſolas dapes apud Juven. *Sat.* 1. *verſ.* 94.

> —— *Quis fercula ſeptem*
> *Secretò cœnavit avus?*

Suet. in *Auguſt. c.* 74. *Cœnam ternis ferculis, aut cùm abundantiſſimè, ſenis præbebat, ut non nimio ſumptu, ita ſummâ comitate.* Poſterior ætas à mittendo *miſſus* dicebat. Capitolin. *de Pertinace: Novem libras carnis per tres miſſus ponebat.* Lamprid. *de Heliogabalo. Nonnumquàm picta mantilia in menſam mittebat his edulibus picta, quot miſſus eſſet habiturus, ita ut de acu, aut de textili picturâ exhiberentur.* Nos dicimus Italicè *portata* vel potiùs *ſervito.* Romani veteres repoſitorium dicebant *incitegam* à verbo Græco ἐγγυθήκη vel ἀγγοθήκη. Vide Caſaub. in *Athen. lib.* 5. *cap.* 13. Si de his repoſitoriis ſenſiſſet Bartolus, non poſſet reprehendi.

7 Expoſitis duabus hiſce legibus, eò, undè diſceſſimus, revertamur. In *l. pediculis* 32. *§. quidam ff. de aur. & arg. leg.* hujuſmodi proponitur legatum. Quidam uxori ſuæ argentum eſcarium legaverat : in argento ſuo vaſa habebat, quibus & potabat, & edebat. Scævola reſpondit, hæc quoque legato contineri. Non ſunt omninò eſcaria; ſed partim eſcaria, partim potoria juxta uſum patrisfamilias : tamen continentur argento eſcario, quia verum eſt eſcaria eſſe : ſicut continerentur etiam argento potorio, ſi argentum potorium legaſſet : quia in hoc uſus patrisfam. attenditur. *d. l. pediculis §. argento.* Quòd ſi uni vaſa eſcaria, alteri potoria legaſſet; quæ ſunt eſcaria & potoria utriuſque communia eſſent *l. Titia textores* 36. *in princ. ff. de leg.* 1. *l. ſervis urbanis* 99. *in fin. ff. de leg.* 3.

8 Quòd ſi demonſtratio pro parte falſa ſit propter diminutionem rei legatæ factam à teſtatore, diſtinguendum eſt, ut in *l. ſcribit* 34. *§. pen. & ult. ff. de aur. & arg. leg.* Si res demonſtrata ſit per verba præſentis temporis, tota debetur, qualis erat tempore facti teſtamenti, niſi teſtator partem alienaverit animo minuendi legati. Si per verba futuri temporis, debetur id, quod ſupereſt tempore mortis *d. l. ſcribit §. ult.* & *l. falſa §. ult. ff. de cond. & dem.*

CAPUT XXIV.

Ad L. legatis 65. §. ornatricibus ff. de leg. 3.

SUMMARIUM.

1 *Si nondum conveniat rei legatæ demonſtratio, cùm convenire cœperit, ea tamen res legato continetur. Exemplum. & n. 3. & 8.*
2 *Explicatur textus noſter.*
3 *Exponitur l. cùm aurum 19. §. infecti ff. de aur. & arg. leg.*
4 *Deſtinatio teſtatoris non efficit, ut in legato generis comprehendatur res, quam teſtator facere deſtinavit, niſi incepit facere.*
5 *Exponitur l. cætera. 41. in fin. ff. de leg. 1.*
6 *Non ſufficit tamen rem legatam quoquo modo cœptam fuiſſe.*
7 *Res ab eo genere, quæ comprehendebatur exempta, animo in eo reponendi, legato ejus generis continetur, licèt reponi incepta non fuerit.*
8 *Legatâ liberatione Patri contra quem de peculio actio competit, valet legatum, etſi demonſtratio nondum plenè conveniat rei legatæ.*

DUas reliquas quæſtiones expediamus. 1
Si nondum conveniat rei legatæ demonſtratio, quâ uſus eſt in legando teſtator; nihilominùs ea res legato continetur, ſi quidem cœperit ei convenire. Patet ex *l. legatis* 65. *§. ornatricibus ff. de leg.* 3. Legatæ erant ornatrices. Dubitatum fuit, an illæ, quæ duos tantùm menſes apud magiſtrum fuerunt, legato continerentur : negabat Celſus : alii contrà; inter quos Marcianus hujus legis auctor, eâ ratione, quia omne artificium habet incrementum, & omnes adhuc diſcere poſſunt : adeòque nulla contineretur, ſi perfectam hujus artis notitiam requireremus. Solon gloriabatur, *ſe quotidiè*

aliquid addiſcentem ſenem fieri. Cic. *de Senect.* Optimus text. in *l. apud Julianum verſ. an hac vera ff. de fideicom. libert.* Eſt igitur humanæ naturæ congruum, ut ornatricis nomine comprehendamus etiam eas, quæ adhuc diſcunt, ut ait hîc Marcianus. Nec eſt, quòd cum Bartolo opponamus, appellatione Doctorum non comprehendi ſcholares: aut quòd cum eo reſpondeamus, favore legati hoc reſponſum fuiſſe à Marciano, in quo fit latior interpretatio. *l. in teſtamentis ff. de R. J.* Inepta eſt oppoſitio: falſa reſponſio. Doctoris appellatio deſignat gradum, ac dignitatem, quæ prævio doctrinæ examine publicà auctoritate confertur: ea propter non comprehendit, niſi eos, qui hunc gradum aſcenderunt, & publicà auctoritate fuerint hanc dignitatem conſecuti. Quamobrem etiam in legatis non continerentur ſcholares, ſi Doctoribus aliquid legatum fuiſſet. Neque Marcianus movetur favore legati ad reſpondendum contra Celſum, ut ipſe perſpicuè declarat; ſed quia id humanæ naturæ congruum eſt, à qua hominum mentibus inſitus eſt amor cognitionis & ſcientiæ, ut rectè ait Cicero; quique numquàm expletur, quia multa ſemper reſtant addiſcenda. Eò potiùs hanc legem deducerem: legatum relictum Doctoribus deberi etiam iis, qui nondum in foro cauſas agunt, ſed earum tractationem apud aliquem Juriſperitum addiſcunt: qui nondum medicinam faciunt, ſed medicum magiſtrum affectantur, ut ægrotis curationem diſcant adhibere.

2 Atque ut hanc legem planiùs exponamus, & ornatiùs: ornatrices erant ancillæ, quæ dominas ornabant. Magni artificii res, & intenſiſſimæ curæ: maximè in comendis, fingendiſque, & ornandis comis. Ulpian. in *l. item legato 49. in princ. ff. eod.* ita deſcribit: *puellæ, queis ſibi comas mulieres exornant* ut rectè legit Cujac. *lib. 11. obſ. cap. 16.* Haud aliter Ovid. *Amor. lib. 2. el. 7.*

Ecce tuum ſolers caput exornare Cypaſſis

Et paulò poſt:

Adde quòd ornandis operoſa eſt illa capillis,
Et tibi per doctas grata miniſtra manus.

Omnium autem luculentiſſimè Tertullian. *de cult. femin. c. 7.* exprobrans feminis ornandi capitis oneroſitatem. *Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis? Alia geſtiunt cincinnis coercere: alia, ut vagi & volucres elabantur non bonâ ſimplicitate &c.* Rursùs Ovid. *eleg. 8.*

Ponendis in mille modis perfecta capillis
Comere ſed ſolas digna Cypaſſi deas.

Ut hanc artem tam multiplicem, tam variam, tam operoſam addiſcerent ancillæ, mittebantur ad magiſtros, à quibus edocerentur, planèque & perfectè erudirentur. Idcircò Celſus non putabat ornatrices dici poſſe eas ancillas, quæ duos tantùm menſes apud magiſtrum fuiſſent. Hinc apparet, matronas Romanas ſolitas fuiſſe multò diutiùs ancillas ſuas apud magiſtros detinuiſſe. Erant enim hâc in re delicatiſſimæ, ac faſtidioſiſſimæ: adeò ut ſi quid erraſſent, eas ſeveriſſimè punirent. Martial. *lib. 2. ep. 66. in Lalagen.*

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, in certâ non benè fixus acu.
Hoc facinus Lalage ſpeculo, quo viderat, ulta eſt;
Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.

Vide ſeveritatem, imò crudelitatem matronæ in miſeram ornatricem. Nec multò humaniores aliæ. Juven. *Sat. 6. v. 492.*

Altiòr hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen, facinuſque capilli.

Flagellis punitur infelix ornatrix Pſecas, & cogitur componere crinem dominæ; *laceratis ipſa capillis, nuda humeris, nudiſque mamillis.* Nimirum mulieres omni ævo de formæ decore ac venuſtate vehementiſſimè ſollicitæ

fuerunt. Scitè ibi Juven.

> —— *tamquàm famæ diſcrimen agatur,*
> *Aut animæ: tanti eſt quærendi cura decoris.*

Propterea & artis perfectionem deſiderabant in ornatricibus; & unà contentæ non erant: ſed plures habebant, quarum in conſilio de ornatu decernebatur. *verſ.* 498. Quocirca de feminis rectè Terentius *Heautont. act.* 2. *ſc.* 2. *verſ.* 11. *Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.* Plures ornatrices habuiſſe conſtat etiam ex noſtra lege. Ibi: *ornatricibus legatis.* Hæc uberius, quàm par erat, tractavimus illecti amœnitate quæſtionis, ut quibus initiis ac fundamentis fuerit inter veteres juriſconſultos excitata hujuſmodi controverſia, luculenter oſtenderemus. Revertor modò ad propoſitam quæſtionem.

3 In *l. cùm aurum* 19. *aliàs l. etſi non ſunt* 20. § *infecti ff. de aur. & arg. leg.* duo alia exempla proponuntur demonſtrationis, quæ rei planè non convenit. Legatum fuerat argentum factum. Argenti vel auri facti legato contineri ſolùm id, quo commodè uti poſſumus (hoc enim eſſe aurum vel argentum factum Servius exiſtimabat. *l. Quintus* 27. §. *cui aurum ff. eod.*) dicendum videretur. Nihilominus reſponſum eſt contineri etiam argentum cœptum fabricari; licèt nondum fuerit perfectum. Item legato argenti cœlati continetur etiam argentum, quod cœlari cœpit. Sic etiam veſtis nomine in legato continetur tela, quæ eſt in textrina, nondum à textore deſecta, ac reciſa *l. veſtimentum* 22. *ff. eod.* Et libris legatis continentur libri perſcripti nondum malleati, neque conglutinati & ornati, & ſed necdum emendati *l. librorum* 52. §. *undè ff. de leg.* 3. ſed hîc ad clariorem hujus quæſtionis explicationem, uberioremque doctrinam tria ſunt admonenda.

4 Primum, quòd hoc loco non eſt quæſtio de rei deſtinatione; quò perperàm trahunt *d. l. cùm aurum* Bartolus & alii veteres, eamque luculenter tractant in *d. l. cùm aurum*, & in *l. cætera* 41. *in fin. ff. de leg.* 1. Non rectè meo judicio. Sola enim deſtinatio teſtatoris non efficit, ut in legato generis, res, quam facere teſtator deſtinavit, comprehendatur; niſi ſaltem cœperit facere. Quæritur igitur hoc loco, an demonſtratio generalis complectatur ſolummodò res jam perfectas, an etiam inchoatas, quibus non videtur convenire generis demonſtratio: ut perſpicuè apparet ex legibus, & exemplis hactenùs explicatis. Cæterùm deſtinatio teſtatoris hanc vim habere procul dubio nequaquàm poteſt. In *l. ligno* 55. §. *lignum* 7. *ff. de leg.* 3. quæritur, an ligna parata ad carbones coquendos, atque conficiendos carbonis legato contineantur: & non contineri reſponſum eſt. Hæc lex repetita eſt in *tit. de V. S. l. carbonum* 167. Quæſitum eſt etiam, an legato librorum contineantur libri nondum perſcripti, paritetque reſponſum non contineri in *l. librorum* 52. §. *undè ff. de leg.* 3. Similiter veſte legatâ neque ſubtemen neque ſtamen continetur, niſi detextum ſit *d. §. undè*, & *l. veſtimentum* 22. *in fin. ff. de aur. & arg. leg.* Item maſſa argenti rudis, licèt ad fabricanda vaſa parata fuerit, aut deſtinata, non continetur argenti facti legato, niſi cœpta ſint fabricari. *d. l. cùm aurum* §. *infecti.* Quocircà huic noſtræ legi *cùm aurum* 5 non adverſatur Ulpiani reſponſum, quod paſſim objicitur, in *l. cætera* 41. *in fin. ff. de leg.* 1. Nam in ea agitur de rebus paratis, ut ædibus jungerentur, non de cœptis jungi. Pertinet igitur ad quæſtionem deſtinationis; non autem ad hanc noſtram. Quamquàm nec in ea quidem quæſtione quicquam momenti. Nititur enim peculiari ratione, hujus legati propriâ. Senatuſconſulto vetitum eſt legare ea, quæ ædibus juncta ſunt *d. l. cætera* §. 1. ne quis cogatur ædes ſuas diruere, quod etiam legibus duodecim tabularum fuerat interdictum *l.* 1. *ff. de tigno juncto* §. *cùm in ſuo* 29. *inſt. tit. de rer. div.* ne ruinis urbs deformetur *l. præſes* 7. *ff. de off. præſ. l. prætor ait* 20. §. *hoc interdictum ff. de oper. nov. nunc. l.* 2. §. *ſi quis* 17. & *l. ult. ff. ne quid in loc. publ.* Ea autem, quæ parata ſunt ad ædificandum, vel transferendum in aliam domum, neque juncta ſunt ædibus; neque iis legatis diruendæ ſunt ædes; neque urbs deformatur:

formatur: propterea legari non prohibentur: licèt autem legatum valeat, tamen ſi poſteà teſtator ea junxerit ædibus, legatum exſtinguitur. *d. l. cætera in fin.* Nihil igitur ad rem noſtram pertinet hujuſmodi lex.

6 Secundum, quod notare oportet, illud eſt, quòd non ſufficit quoquo modo rem inchoatam fuiſſe, &, ut ita dicam, adumbratam, ut rectè ſenſit Bartolus in *d. l. cætera in fin.* quamvis lex, quâ movetur, nihil probet; nam ibi non continentur *cœpti ſcribi libri* quia legatæ fuerant chartæ puræ: licèt igitur nomine chartarum voluerit teſtator comprehendere etiam libros, tamen cœpti ſcribi non poſſunt contineri, quia puri non ſunt. Probatur igitur ex eâdem *l. librorum 52. §. undè ff. de leg. 3.* ubi licèt legato librorum contineantur etiam illi, qui neque ſunt emendati, neque malleati, neque conſuti & conglutinati, aut ornati & pumice expoliti, ut fieri ſolebat: tamen, ſi nondum perſcripti ſint, non continentur. Item ex *l. veſtimentum 22. ff. de aur. & arg. leg.* ubi veſtis legato continetur quidem tela, etiam ſi nondum ſit à textore reciſa, ſed eam detextam jam eſſe oportet *d. l. & d. l. librorum §. undè.* Simili modo legatis ornatricibus continentur quidem etiam illæ, quæ adhuc ſunt apud magiſtrum *l. legatis §. ornatricibus ff. de leg. 3.* ſed controverſia exſtitit inter veteres de illis, quæ ſaltem duos menſes apud magiſtrum fuerunt: non de illis, quæ modò diſcere cœperunt, quas non contineri compertum erat. In *l. cùm aurum 19. §. infecti ff. de aur. & arg. leg.* etſi argenti infecti legato contineri dicatur argentum *cœptum fabricari*; tamen addit: *nondum perfectum*, ut oſtendat id intelligendum non de argento, cùm primùm incipit fabricari, veluti cum decoquitur, & purgatur; ſed de argento nondum perfecto, veluti ſi fuſa ſint vaſa, ſed nondùm abraſa ab aurifice, & expolita.

7 Tertium eſt, quòd ſi res aliqua anteà comprehendebatur in aliquo genere; etſi exempta fuerit; eo tamen animo, ut in eo reponatur: legato continetur, licèt nondum cœperit teſtator eam ad antiquum ſtatum reducere. Exemplo res clara fiet. Proponit id Ulpianus in *l. argumento 25. §. margarita ff. de aur. & arg. legato.* Rudes lapilli, vel margaritæ, vel gemmæ ornamentorum loco non ſunt; ideòque ornamentis legatis non deberentur; nondum enim apta ſunt, & accommodata ad ornandam mulierem. Tunc autem ornamentorum loco ſunt, cùm compoſita ſunt, & ad muliebrem ornatum diſpoſita, veluti auro argentove incluſa. *Sed ſi in hoc reſoluti ſunt, ut componantur: ornamentorum loco ſunt.* In *l. fundi 17. §. penult. ff. de act. empt. Ea, quæ ex ædificiis detracta ſunt, ut reponantur, ædificii ſunt: at quæ parata ſunt, ut imponantur, non ſunt ædificii.* Obſerva differentiam. Rursùs in *§. ult. Pali, qui vineæ cauſâ parati ſunt, antequàm collocentur, fundi non ſunt: ſed qui exempti ſunt hâc mente, ut collocentur, fundi ſunt.* Idem de tegulis reſpondit Javolenus in *l. granaria §. ult. ff. eod.* Quamobrem, licèt argenti facti legato non contineatur argentum fractum, aut colliſum. *l. Quintus Mucius 27. §. cui aurum ff. de aur. & arg. leg.* tamen ſi fractum, aut colliſum fuerit eâ mente, ut reficiatur, ſicut plerùmque accidit, non dubito ipſum quoque contineri.

Supereſt aliud exemplum, quod proponi- 8
tur in *l. videamus 27. ff. de liber. leg.* Teſtator legavit patri, cum quo de peculio actio eſt, liberationem: cùm dies legati cedit, nihil eſt in peculio. Videbatur, dicendum inutile eſſe legatum; quia demonſtratur id, quod non eſt. Actio enim de peculio eatenùs datur, quatenùs eſt in peculio; nec pater obligatur de peculio niſi filius peculium habeat. Nam ex contractû filii pater ipſo jure non obligatur *§. actiones 10. inſtit. de action. & §. præterea inſt. tit. quod cum eo &c.* Non poteſt autem eſſe liberatio, ubi non eſt obligatio, à quâ quis liberetur. Quamvis autem pater *nondum debitor* fuerit, ut in hâc lege habetur, tamen valet legatum, & in pendenti eſt, quaſi pater ſit debitor conditionalis, quia poteſt filius ex cauſâ peculii aliquid acquirere, & tunc pater incipiet obligari, & ope legati liberabitur. Si filius nullum peculium haberet, utpotè cùm ei

Digitized by Google

pater non conceſſiſſet, utique fruſtrà patri liberatio relinqueretur. Sed cùm peculium habeat, quamvis nihil ſit in peculio, tamen tenet actio de peculio adversùs patrem; quâ creditor agere poteſt; adeò ut ſi tempore rei judicatæ aliquid ſit in peculio, in id pater ſit condemnandus. *l. quæſitum 30. in princ. ff. de pecul.* Idcircò, quod ad rem noſtram attinet, etſi demonſtratio nondum plenè conveniat rei legatæ, tamen legatum valet. Imò poteſt pater ſtatim exigere, ut pacto liberetur: nam ex hoc legato ſecuritatem pater conſequi debet, & parvi refert, ſi ſit aliquid in peculio die legati cedente, necne. *l. ſi quis reum 5. §. idem Julianus ff. de liber. leg.* Eſt igitur in pendenti, an pater, cui legata eſt liberatio, ſit legatarius; quia incertum eſt, an ullum emolumentum ex legato ſit conſecuturus, *d. l. videamus in fin.* non verò eſt in pendenti, an pater ſit liberandus, quia ei ſecuritas pacto præſtanda eſt, ne poſſit utiliter etiam in futurum conveniri *d. l. ſi quis reum 5. §. idem Julianus.*

CAPUT XXV.

Ad l. legatis 65. §. 1. 2. ff. de leg. 3.

SUMMARIUM.

1 *Legato aliquo genere, non continetur res illa, cui non ampliùs convenit ejus generis demonſtratio.*
2 *Legatâ certâ re, quæritur, an eam teſtator mutaverit animo adimendi legati.*
3 *Legato genere, ſi teſtator aliquam ſpeciem immutet, minuit legatum, ſed non recedit à priore voluntate.*
4 *Res legata detrahitur à genere, quod legatum eſt, ſi qualitas rei fuerit immutata.*
5 *Legatis ſervis, ſi quis ex officio ad artificium tranſeat, legato eximitur, non item, ſi ex artificio tranſeat ad officium. Exemplum.*
6 *Servorum miniſteria plurima: & in multis veteres JCti heſitabant, officiane an artificia eſſent.*
7 *Lecticariorum non officium, ſed artificium erat. Lecticarii lecticam geſtabant, non fabricabant.*
8 *Et equorum.*
9 *Explicatur textus noſter. & n. 10. 11.*
12 *Expenditur L. falſa 33. §. ſi cui. ff. de cond. & dem. & n. 13.*
14 *Expenditur L. prædia 27. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.*

RElIquum eſt, ut de tertiâ quæſtione verba faciamus: cùm demonſtratio non ampliùs convenit rei legatæ; quam ut explicatè, diſtinctèque ſolvamus, in duas partes eſt dividenda; nam aut genus legatum eſt: aut certa aliqua ſpecies.

Prima igitur pars hujus quæſtionis pertinet ad legatum generis. Quæritur enim, an ſi teſtator legaverit aliquod genus, legato contineatur etiam res illa, cui non ampliùs convenit generis demonſtratio, nec ampliùs generi legato ſubjicitur. Non quærimus hîc de re, quæ ampliùs non extat: hæc enim, ſive in genere, ſive in ſpecie legata fuerit, non debetur: eſt enim inutile legatum, cùm ea præſtari non poſſit: ut copioſè, perſpicuèque demonſtravimus in ſuperioribus, cùm de falſa demonſtratione, quæ legatum vitiat, ageremus. Quærimus autem de re, quæ extat, ſed ita mutata eſt, ut non ſubjiciatur ampliùs generi, quod demonſtratum eſt. Finge, teſtator legavit aurum, vel argentum factum: paropſis, aut ſcyphus, argenti facti nomine continentur: ſed ſi hæc aut ſimilia vaſa fracta ſint aut colliſa, non incidunt ampliùs in definitionem argenti facti, ſed infecto continentur. Teſtator legavit lanam; ex quâdam lanâ veſtis facta eſt, ea non pertinet ampliùs ad genus lanæ, ſed veſtimentorum *l. veſtimentum cum ſeq. ff. de aur. & arg. leg.* In his legatis certò conſtat rem, cui non convenit ampliùs demonſtratio, non contineri legato perindè, ac ſi periiſſet. *l. Quintus Mucius 27. §. cui aurum ff. eod. l. lana 88. ff. de leg. 3.* Nam qui genus legat, ſolummodò legat ea, quæ illo genere continentur: non ea, quæ in aliud genus tranſierunt. *Neque enim fieri poteſt, ut legatum vel fideicommiſſum durare exiſtimetur, cum id, quod teſtamento dabatur, in ſuâ ſpecie non permanſerit*, ut docet Marcellus in *l. Seja 6. §. 1. ff. de aur. & arg. leg.* Quamobrem puto in his legatis quærendum non eſſe de voluntate teſtatoris: nempè, quâ voluntate rem mutaverit, & ex genere legato exemerit. Hoc enim ipſo, quod genus diminuit, conſtat eum voluiſſe legatum minuere. Alia certè ratio eſt legati generis: alia rei certæ legatæ.

(margin numbers: 1 beside "Prima igitur pars"; 2 beside "mutaverit, & ex genere legato exemerit")

Digitized by Google

Cùm res certa legata fuit, an permutatione rei legatæ exſtinguatur legatum, & teſtator omninò recedat à priſtinâ voluntate, non eſt admodùm probabile: ſaltem non eſt adeò certum, ut quæri non debeat, quâ voluntate rem legatam mutaverit, & in aliam ſpeciem converterit: utrum ſcilicèt habuerit animum adimendi legati; necne *l. ſervum* 44. *§. ſi pocula ff. de leg.* 1. Quemadmodùm cùm rem legatam alienavit, oportet inquirere, utrum animo adimendi legati eam alienaverit: quâ in re adhibetur ea diſtinctio, quæ proponitur à Modeſtino in *l. rem legatam* 18. *ff. de adim. leg.* Secundùm quam diſtinctionem intelligimus, faciliùs exſtingui legatum per mutationem rei, quàm per alienationem: quoniam rarum eſt, & infrequens, cogi aliquem mutare rem ſuam, & in aliam ſpeciem convertere. Quamobrem Marcellus in laudata *l Seja* 6. §. 1. *in fin. non dubitat*, quin *permutatione tali voluntas quoque videatur mutata.*

3 Contrà cùm teſtator genus aliquod legavit; veluti argentum factum, cùm complura haberet vaſa argentea: ſi poſteà vas aliquod comminuat, frangat, collidat; non adimit legatum, non recedit à priori voluntate: neque enim extinguitur legatum, ſed manet legatum generis: ſicut ab eo relictum fuerat *§. ſi grex* 18. *inſt. tit. de legat. l. ſi grege* 22. *ff. de leg.* 1. Eſt enim unum legatum, non plura, cùm relinquitur argentum, veſtis, peculium, grex, armentum *l. grege* 6. *ff. de leg.* 2. &, quamdiù ex his ſupereſt aliquid, legatum ſubſiſtit; &, quod ſupereſt, poteſt vindicari *l. ſi grege* 22. *ff. de leg.* 1. *l. peculium* 65. *ff. de leg.* 2. Quemadmodùm igitur diminuto grege, vel armento, vel peculio, non inquiritur cauſa; nec quo animo teſtator minuerit; aut minui paſſus fuerit: ita & diminuto legato argenti, aut veſtis, aut familiæ, quærendum non eſt de cauſâ ac voluntate, quâ fuerit diminutum. Neque enim teſtator legavit ſingula vaſa; ſingulas veſtes: ſingula mancipia: ſed uno legato comprehendit omnia vaſa; omnes veſtes: omnia mancipia, idemque eſt legatum, ſive plura, ſive pauciora ejus generis corpora contineat *d. l. grege de leg.* 2. Eo fit, ut ſi auctus ſit numerus corporum legato contentorum augeatur etiam legatum *d. §. ſi grex inſt. tit. de legat. l. grege* 21. *ff. de leg.* 1. *l. peculium* 65. *in princ. ff. de leg.* 2. ſicut autem in augmento non quærimus, cur actum fuerit: ita nec in decremento quærere debemus, cur decreverit: eadem enim in laudatis legibus habetur ratio tum augmenti, tum decrementi: eaque eſt, quòd teſtator voluit legare ea omnia corpora, quæcumque & quotcumque, & quantacumque fuerint ejus generis, cùm morietur. Atque hæc, ut ego arbitror, certa ſunt.

Illud habet dubitationem, an à legato 4 deducantur ac detrahantur ſolummodò ea, quæ in aliam ſpeciem ſunt transformata: an verò qualitatem mutatam eſſe ſufficiat. Et puto hoc ſufficere, dum tamen ejuſmodi qualitas mutata fuerit, cujus mutatio rem eximat ex genere legato, eamque in diverſum genus transferat. Id ſatis probatur ex *l. Seja* 6. §. 1. *ff. de aur. & arg. leg.* Ibi: *in aliam ſpeciem ornamenti convertiſſe.* Sed maximè vocantur in diſceptationem legata ſervorum, quorum miniſteria, & officia ſæpè mutantur. In his diſ- 5 tinctio Marciani recepta eſt; ut ſi quis ex officio ad artificium tranſierit, in eo legatum exſtinguatur: ſecùs autem è contrario, ſi ex artificio tranſierit ad officium. *l. legatis ſervis* 65. §. 1. *ff. de legat.* 3. Hæc diſtinctio difficiles habet explicatus: neque enim facilè dignoſcitur, quale ſit artificium: quale officium. Artificium eſt, quod ſcientiâ conſtat, & animi perceptionibus ad opus aliquod moliendum comparatis: cujuſmodi exercent textores, piſtores, piſcatores, fullones, & ſimiles. Officium eſt, quod in perſonâ domini exhibetur ad eam tuendam, curandamque, & pro dignitate colendam: cujuſmodi exhibent cubicularii, oſtiarii, unctores, veſtiſpici, flabelliferi, & alii, quos nominat Plautus in *Trinum. act.* 2. *ſc.* 1. & qui dominum comitabantur: de quibus Ulpian in *l. item apud* 15. §. *co-*

mitem 16. *ff. de injur.* Igitur ſi legati fuerint textores omnes, & unum ex his teſtator feciſſet oſtiarium: hic quoque legato continetur: quia de artificio ad officium transductus eſt. *l. textoribus* 61. *ff. de leg.* 3. Contrà, ſi ex oſtiario factus ſit textor. *d. l. legatis* 65. §. *ſi ex officio.* Ratio eſt, quia officium artificio mutatur: artificium autem non mutatur officio. Quid ita? quia cùm artificium conſtet ſcientiâ, & præceptis artis; hæc ex animo, cui impreſſa & inſita ſunt, non avelluntur: neque delentur, quòd ille ad officium tranſeat. Propterea, qui textor eſt, non deſinit eſſe textor, quòd oſtio, vel atrio cuſtodiendo præponatur; neque enim textrinam dediſcit. Quòd ſi ex oſtiario, vel atrienſi fiat textor, aut fullo, ſtatim deſinit eſſe oſtiarius, & atrienſis: quia hoc officium non conſtat ſcientiâ, & cognitione animo inſitâ, ſed cuſtodiâ atrii, vel oſtii, quâ derelictâ perit, ac ceſſat officium.

6 Hæc etſi perſpicua, & plana videantur, in magnas tamen difficultates incurrunt; quoniam innumerabilia ferè fuerunt ſervorum miniſteria: & in multis ipſi Juriſconſulti veteres videntur hæſitaſſe. Ecce Marcianus in noſtrâ *l. legatis* §. *ſi ex officio* videtur docere coquum officio fungi. Ibi: *non idem è contrario: cùm lecticarius coquus poſteà factus eſt.* Idem tamen in §. *ſeq.* coquum ait artificio fungi. Sibi igitur non conſtat, & à ſe ipſo diſſidet Juriſconſultus. At hoc dici non poteſt, quod tribus aut quatuor verbis interpoſitis contrarium proferat, & pugnantia dicat in eodem verborum complexu. Idcircò duplex diſtinctio eſt excogitata: quòd coqui minùs periti ſit officium, peritioris artificium: vel quòd coquus, qui ſoli domino operam dat, officium præſtet, qui aliis quibuſcumque, à quibus vocatur & conducitur, artificium exerceat. Inanis utraque, tum verò falſa. Perſpicuum eſt agere J C. de eâdem ſpecie coquorum, & non diſtinguere inter diverſa exercitia, aut peritiam minorem, majoremve; niſi velimus tenebras offundere veritati. Ac ſi hæ diſtinctiones in coquis ſunt recipiendæ: cur non in lecticariis, in textoribus, in piſtoribus, in aliis artificibus? ſecernendum igitur erit officium ab artificio ex majori minorive peritiâ: ex ſervitio, quòd præſtatur ſoli domino, vel pluribus aliis? Quis hoc fando umquàm audivit? Ergo etiam fabriles operæ ab officialibus eodem modo erunt diſtinguendæ: quid abſurdius? Officiales quidem operæ à liberto nonniſi patrono deberi poſſunt *l. opera* 9. §. 1. *ff. de oper. libert.* ſed hoc ideò, quia patrono naturâ debentur *l. ſi non ſortem* 26. §. *libertus* 11. *ff. de condict. ind.* Obſequium enim & officium patrono naturâ debet propter inæſtimabile beneficium libertatis, quam à ſolo patrono, non ab alio accepit; adeòque patroni perſonam egredi non poſſunt §. 1. *inſt. de aſſignat. libert.* Cæterùm fabriles, etſi jubente patrono alteri præſtari poſſent: tamen ſi ſoli patrono præſtitæ fuiſſent, non idcircò fiebant officiales. Redeamus ad operas ſerviles. Dubitari non poteſt, aliquando ſervos locaſſe operas ſuas, non ſoli domino eas præſtitiſſe *l. 2. ff. de uſufr. leg. l. ſuos* 73. §. *proindè ff. de leg.* 3. *l. ſed etſi quid* 25. §. *ſi operas* & *l. ſi operas* 26. *ff. de uſufr.* non tamen indè eſt, quod cùm ſoli domino operas præſtabant, ut plerùmque ſolebat evenire (nam eorum ſolummodò operas dominus locabat, quos quæſtûs causâ habebat), quæ in artificio erant, in officium transferrentur. Qualitas enim & conditio miniſterii, non perſona, cui exhibetur, artificium ſecernit ab officio. Exemplum in lecticariis, ne à noſtra lege recedamus. Hi lecticam geſtabant, non fabricabant, ut credit *gloſſa*, quâ dominus portabatur, vel uxor cujus causâ parati erant; ut in *l. item legato* 49. *in princ. ff. de leg.* 3. Feminis in uſu quotidiano tum in agris, tum in urbe: viris tantummodò in agris ac peregrinationibus: tum etiam in urbe ſenibus, valetudinariis, otioſis, ac delicatis. Cùm autem uſus hic invaleſceret, Cæſar, *niſi certis perſonis, & ætatibus, perque certos dies, ademit.* Sueton. *cap.* 43. *in vita. Jul. Cæſ.* ſed lex non diù fuit obſervata. Conſtat autem hos lecticarios ſolùm dominum, aut dominam geſtaſſe *d. l. item* 49. & paſſim La-

tini auctores. Hi tamen non in officio, ſed in artificio erant ex noſtrâ *l. legatis 65. §. ſi ex officio.* & §. *ſi unus.* & *l. ſervis urbanis 99. §. ſervus ff. de legat. 3.*

7 Verùm argumentis opus non eſt, cùm liqueat, compertumque ſit, tam lecticariorum, quàm coquorum artificium fuiſſe. De lecticariis res dubia non eſt in jure noſtro propter modò laudatas leges. Sed quia præter Accurſium, & pleroſque veteres, nonnulli etiam recentiores Juriſconſulti apprimè eruditi exiſtimarunt lecticarios intelligendos, qui lecticas fabricant, quorum ſine dubio eſt artificium, eſt ars: idcircò hâc de re ad explicationem noſtrarum legum pauca breviter attingam. Lecticarius eſt, qui lecticam geſtat, non qui fabricat: ſicut carrucarius, & ciſiarius eſt, qui carrucam, & ciſium ducit; non qui fabricat: navicularius, qui navem ducit *l. item quæritur 13. in princ.* & *in §. 1. ff. locat.* & carrucariæ mulæ, quæ carrucam vehunt *l. ædiles 38. §. quæſitum 8. ff. de Ædil. edict.* Rhedarius, qui rhedam regit, auriga. Cic. *pro Milon. ſtatim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum, adverſi rhedarium occidunt.* Rhedarii muli, qui rhedam vehunt apud Varronem *de re ruſt. lib. 3. c. 17.* Nec alia eſt horum verborum ſignificatio, tum apud veteres Ictos tum apud Latinos Auctores: niſi fortè adjectum ſit verbum *faber*, quod haud ſcio an uſquam reperiatur adjectum verbo *lecticarius.* Sed ad jus noſtrum revertamur. In *l. ſi ex toto 8. §. ult. ff. de leg. 1.* proponuntur legati octo lecticarii: hoc apertè ad lecticam octoforon, quæ ab octo ſervis ferebatur. In *l. ſcire debemus 29. in fine princ. ff. de V. O. itemque quadriga, aut lecticariorum ſtipulatio una eſt.* Optimè jungit quadrigæ lecticarios: nam ut quadrigam conſtituebant quatuor equi juncti ad currum aſportandum, & ideò conſideratur tamquàm unum corpus, & unam faciunt ſtipulationem, unum legatum *d. l. ſcire debemus* & *l. peculium 65. ff. de leg. 2.* ita quatuor, aut ſex, aut octo ſervi, qui ad ferendam lecticam erant deſtinati *l. ſi ex toto 8. §. ult. ff. de leg. 1.* Lectica enim à quatuor ſervis geſtari ſolebat: locupletiores hexaphoro utebantur; nempè laxiore lecticâ, quam ſex ſervi ferebant: matronæ & potentiores, ac delicati, octoforo vehebantur, quam octo ſervi ferebant. Suet. in *Calig. c. 43. Iter confecit modò feſtinanter, & rapidè, &c. interdum adeò ſegniter, & delicatè, ut octoforo veheretur.* De his omnibus apud Juvenalem, Martialem, Ciceronem, & alios: ſed præ omnibus videndus Lipſ. *Elect. lib. 1. c. 19.* Quod ad rem noſtram attinet, omnem controverſiam tollit Ulpianus in *l. item 49. in princ. ff. de leg. 3.* Ibi: *Lecticarii, qui ſolam matremfamilias portabant.* Portabant igitur, non faciebant lecticarii. Qui contrà ſentiunt, nullum habent auctorem idoneum. Citant notitiam, ſeu brevem indicem, ſubditum *l. 1. C. de excuſat. artificum.* Ibi *ſtatuarii, marmorarii, lecticarii, ſeu arcarii &c.* Sed hæc lectio apud doctos eſt valdè controverſa. Cujacius *ex vet.* ſic emendat: *Lectarii, ſeu laccarii.* & ita explicat: *Lectarii ſunt, qui fabricant lectos. Laccarii, qui foſſas, vel puteos fodiunt.* Non poſſum adduci, ut aſſentiar: quid enim commune habent, qui fabricant lectos, cum iis, qui foſſam vel puteos fodiunt? quæ inter hos ſimilitudo? immane quantùm diſcrepant? Puto igitur legendum *laquearii ſeu lacunarii.* Deprompta eſt hæc lex ex Codice Theodoſiano ſub eodem titulo: in *lege autem ſecundâ C. Th. Architecti, laquearii, albarii, tignarii &c.* Legis verba eadem omninò ſunt in utroque Codice: ſubjecta autem artificum nomina tranſpoſita, & plurima omiſſa à Juſtiniano in ſuo Codice: quædam etiam adjecta, quædam etiam explicata. Puta in *C. Theod.* nominantur Albarii; in *Juſtinian.* Albini, quos Græci κονιάτας appellant. In *C. Theod.* Structores; in *Juſtinian.* Structores, id eſt, ædificatores. In *Theod.* Quadratarii; In *Juſtin.* Quadrigarii vel quadratarii quos Græco vocabulo πηκτὰς appellant. Sanè non intelligo, quæ convenientia conjunctioque ſit quadrigarii, & quadratarii. Quadrigarius, qui quadrigam agitat; vel ſi mavis, fabricat: quadratarius, qui ſaxa & marmora cædunt, expoliunt. Hæc autem duo *laquearii* & *lacunarii* optimè conveniunt,

& alterum altero explicatur. Laquear, & lacunar idem ſignificant: ab illo *laquearii* qui ſtruunt & ornant laquearia: ab hoc *lacunarii*, qui ſtruunt & ornant lacunaria. Neque novum videri debet hoc verbum, cùm Ovid. VIII. *Metam. verſ.* 563. *lacunare* dixerit:

Summa lacunabant alterno murice conchæ.

Cogitabam, an retineri poſſet nomen illud *Arcarii*, ac legi *laquearii* ſeu *Arcarii*. Movebar verbis Vitruvii *lib.* 6. *c.* 4. *Altitudo eorum, quanta longitudo fuerit, quarta dempta, ſub trabes extollatur, reliquum lacunariorum, & arcæ ſupra trabes ratio habeatur.* Arcas videtur appellare cava, & interſtitia tignorum, ad formam arcæ inverſæ, ſeu lacunæ; undè lacunar appellatum. Has picturis, cælaturis, auro exornabant. Iſidor. XIX. 12. *Laquearia ſunt, quæ cameram ſubtegunt, & ornant; quæ & lacunaria dicuntur, quòd lacus quoſdam quadratos, vel rotundos ex ligno, vel gypſo, vel coloribus habeant pictos.* Ex arcis hiſce potuit commodè Tribonianus ducere nomen *Arcarii*. Verùm illud puto rectius *laquearii*, *ſeu lacunarii*. Arcarius enim in jure noſtro dicitur, non ſtructor laqueariorum, ſed cuſtos arcæ, in qua pecunia, aurum, argentum, conditur & clauditur, & aſſervatur: præpoſitus pecuniæ, ut in *l. Thais* §. *ult. ff. de fideic. libert.* & in rubrica *C. de ſuſcept. præpoſit. & arcar.* & in *l. ult. ejus tit.* & ab ipſo Juſtiniano in *Novell.* 147. *cap* 2. Sed de his vide *l. ſingulas* 14. *C. Theod. de ſuſceptor.* & Gothofred. copioſè de his diſſerentem. Enimverò nullum invenies auctorem, qui lacunatorem appellet arcarium. Sed à Juſtiniano tam exacta in confingendis vocabulis diligentia fortaſsè non eſt exigenda.

8 Coqui quoque non ex officio, ſed ex artificio permagni æſtimabantur. Liv. *lib.* 39. *Tum coquus viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione, & uſu, in pretio eſſe, & quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta.* Cic. *pro Sex. Roſcio. Mitto haſce artes vulgares, coquos, piſtores, lecticarios.* Æquè artem profitentur coqui, & lecticarii. Martial. *lib.* XIV. *ep.* 220.

Non ſatis eſt ars ſola coquo ſervire palato
Namque coquus domini debet habere gulam.

Quintil. *lib.* 2. *inſt. c.* 15. Platonis ſententiam referens. *Adulationem autem medicinæ vocet, coquorum artificium.* Quanti autem æſtimarentur coqui, docet Plin. *lib.* IX. *c.* 17. *At nunc coqui triumphorum pretiis parantur, & coquorum piſces. Nulluſque prope jam mortalis æſtimatur pluris, quàm qui peritiſſimè cenſum domini mergit.* Obſerva, quòd hic agitur non de coquis conductitiis, ſed de ſervis miniſtrantibus domino. De ſervis coquis pariter agitur in jure noſtro, eiſque tribuitur artificium, ut in *l. ſi quid venditor* 28. §. 1. *ff. de Ædilit. edict. Venditor, qui optimum coquum eſſe dixerit, optimum in eo artificio præſtare debet.* & in noſtra *l. legatis* 65. §. *ſi unus.* Ibi: *plura artificia ſciat*, & ruſùs: *in quo artificio plerùmque verſabatur.*

His probatis videtur à ſeipſo diſcordare J C. 9 in noſtra *l. legatis.* Abſit ut hoc dicam. Quid igitur dicendum? Profectò hæret res. Verumtamen non reprehenderem, ſi quis ita legem explicaret. Quæ in hujuſcemodi legatis cadere ſolent in diſceptationem, quatuor ferè ſunt: eaque in ſuis inſtitutionibus expoſuit, ac decidit hoc loco Marcianus. Primum, an legato contineatur ſervus, qui ex officio tranſivit ad artificium; & ex multorum ſententiâ reſpondit, non contineri: quia officium artificio mutatur. Secundum, an contineatur, qui ex artificio tranſivit ad officium; & reſpondit contineri, quia artificium officio non mutatur: quæ paucis verbis complectitur: *non idem è contrario.* Hæc ſola ſatis clarè exprimunt, oppoſitum eſſe dicendum in hoc caſu contrario: & ineptè huic adjunxiſſet exemplum, cùm ſuperiorem caſum contrarium, nullo addito ad eum declarandum exemplo, definiverit. Succedit modò tertium, an contineatur is, qui ex uno artificio ad aliud artificium tranſiit, veluti cùm lecticarius factus eſt coquus. Et hoc proponitur illis verbis: *cùm lecticarius, coquus poſteà factus eſt*: & ſolvitur eodem modo, quo ſecundus caſus; imò iiſdem verbis.

Digitized by Google

Nam verba illa, *non idem* complectuntur utrumque caſum; & cùm ex officio tranſivit ad artificium: & cùm ex artificio ad artificium. Igitur hoc exemplum non eſt adjectum ad declarandum ſecundum caſum, ſed ad proponendum ac decidendum tertium caſum. Dicam rectiùs: ad decidendam alteram partem ſecundi caſûs: nam cùm ſervus tranſit ad aliquod artificium, in quo non verſabatur ante teſtamentum; aut ad illud tranſit ex officio, aut ex artificio. Igitur unus eſt caſus, qui conſiderato termino, à quo ſervus recedit, in duo membra, in duas partes dividitur. Hunc caſum, quoad utramque partem, ſimul decidit J C. quia in utrâque idem jus *l. textoribus* 61. *ff. de leg.* 3. Ad primum membrum reſpondet illis verbis: *non idem è contrario*: quæ mentem JC. perſpicuè demonſtrant propter verba antecedentia, quibus contrarius caſus exponitur. Secundum autem membrum proponit exemplo lecticarii, qui poſteà factus eſt coquus; nempè qui ex artificio tranſivit ad aliud artificium. Ac ſi adjeciſſet, & inſeruiſſet particulam *&* hoc modo: *& cùm lecticarius &c.* res eſſet indubitata. Nihilominus perſpicua eſt, quia ſtatim ſubjicit tam lecticarium, quàm coquum in artificio verſari, quo demonſtrat ſe ante egiſſe de ſervo, qui ex artificio ad artificium tranſivit. Et hoc meo judicio certum eſt; nec me turbat omiſſio copulæ *&*, quæ ſæpenumero omittitur ab optimis quibuſque ſcriptoribus: quandòque etiam incuria amanuenſium. Quartum eſt, cujus artificii ratio ſit habenda, ſi quis plura ſciat artificia: & reſpondetur, quòd ejus artificii, in quo plerùmque verſabatur. Hic quartus caſus tertio ſimillimus eſt: in eo agitur de ſervo, qui ab uno, ad aliud artificium à teſtatore transfertur: in hoc, de ſervo, qui in utroque artificio verſatur: ille exponitur exemplo: eodem & hic.

10 Nec obſtat, quod falſum videatur, idem juris eſſe in eo, qui ex officio tranſit ad artificium; & in eo, qui ex artificio tranſit ad aliud artificium. Etenim officium ceſſat, ac perit ſtatim, ac ex deſtinatione domini recedit ab officio, eoque omiſſo tranſit ad artificium: ſecùs verò artificium, quod cùm in animo & artis cognitione, ac peritiâ ejus exercendæ conſiſtat, non amittitur tranſeundo ad aliud artificium: ut fuſiùs initio eſt explicatum. Nam reſpondetur, quòd licèt ille non amittat peritiam artis; nec qui textor erat, deſinat eſſe textor, ſi fiat coquus; quoad peritiam artis, quam non amittit: deſinit tamen, quoad exercitium artis, quam ampliùs non exercet. Scit quidem utrumque artificium, ſed prævalet id, quod exercet. Nam non ſolis animi perceptionibus ars conſtat: ſed & exercitatione. Scitè Quintil. *inſtit. orat. lib.* 2. *c.* 18. *Artem conſtare ex perceptionibus conſentientibus & coëxercitatis ad finem vitæ utilem* & paulò poſt. *Quid? quod & inſpectione, & exercitatione, ut artes cæteræ, conſtat?* Propterea, ſi idem ſervus plura ſciat artificia, ſpectandum eſt, in quo artificio plerùmque verſetur *d. l. legatis* §. *ſi unus.* multò magis igitur, prævalere debet artificium in quo ſolo ſe exercet, ad ipſum à domino traductus; in comparatione ejus, cujus omiſit exercitationem, idque indicatur in *l. textoribus* 61. *ff de leg.* 3. illis verbis, *non enim ad aliud artificium, ſed ad alium uſum traductum eſt.* quaſi dicat futurum, ut non contineretur, ſi ad aliud artificium traductus eſſet. Ergo comparatè ad officium attenditur artificium, etiamſi in præſens non exerceatur: comparatè verò ad aliud artificium, attenditur ſolum illud, quod ſervus exercet.

Poſt hæc ſcripta, mihi venit in mentem, inſpicere librum Zoannetti in quo multa juris loca præclarè & eruditè reſtituit: & occurrit mihi hujus legis reſtitutio, quæ habetur in *cap.* 7. ubi ex ſuo Codice familiari noſtram legem ita corrigit: *Non idem è contrario.* §. *Cum lecticarius coquus poſteà factus eſt; ſicque unus ſervus plura artificia ſciat; & alii coqui legati &c.* Sanè non poteſt emendari rectiùs: hâc enim levi mutatione admiſſâ res omnis eſt in vado. 11

Expoſitâ hâc lege, reliqua, quæ ad propoſitam quæſtionem pertinent, expediamus. Contrarium videtur reſcriptum à Severo & Antonino, ut idem Marcianus notat in *l.* 12

falſa 33. §. *ſi cui ff. de cond. & dem.* Legatum fuit libertis: poſteà quidam ex his jus aureorum annulorum ab Imperatore impetravit. Imperatores reſcripſerunt, eum quoque inter libertos admittendum eſſe ad legatum. Videtur mutata ejus conditio, & de uno genere in aliud tranſlatus. Duo enim ſunt genera liberorum hominum, libertini, & ingenui. §. *ult. inſt. tit. de jur. perſon.* Is autem, qui jus aureorum annulorum impetravit, ut ingenuus habetur *l. is qui* 5. *ff. de jure aur. ann.* Confirmatur, quia in ſervorum conditione nulla eſt differentia *d.* §. *ult.* & tamen, ſi ſervus ex officio tranſeat ad artificium, exſtinguitur legatum, quia officium artificio mutatur, noſtra *l. legatis* §. 1. non mutat ſervus conditionem, ſed miniſterium. In liberis multæ ſunt differentiæ, quarum præcipua eſt, quod alii ſunt ingenui, alii libertini, & hæc differentia conſtituit diverſam conditionem perſonarum *d* § *ult.* ergo multò magis debet exſtingui
13 legatum mutata conditione perſonæ.

Reſpondeo diverſam eſſe conditionem libertini, & ingenui; ſcilicèt ejus, qui ingenuus natus eſt, & verè ingenuus eſt, quia numquàm ſervitutem ſervivit: non verò ejus, qui verè eſt libertinus, & jus aureorum annulorum ab imperatore impetravit. Hic enim non eſt ingenuus, ſed pro ingenuo habetur *l. is qui* 5. & *l. ult. ff. de jur. aur. ann.* & quidem non in omnibus, nam quoad ad patronum non deſinit ejus eſſe libertus *l.* 1. *ff. eod. l. ſed ſi* 10. §. *ſed ſi jus ff. de in jus voc. l.* 3. *in princ. ff. de bon. libert.* Hic non mutat conditionem; *nam honor ejus auctus eſt, non conditio mutata*: ut ait J C. in *d. l. falſa.* §. *ſed ſi cui. Honor ejus auctus eſt*: nam ad equeſtrem ordinem promovebatur. Tacit. *hiſtor. lib.* 1. *c.* 13. *Icelo Galbæ liberto, quem annulis donatum equeſtri nomine Martianum vocitabant.* De hac etiam Sueton. in *Galba c.* 14. Id. in *Vitellio cap.* 12. *Ac primo imperii die* (Aſiaticum) *aureis donavit annulis ſuper cœnam, cùm manè rogantibus pro eo cunctis deteſtatus eſſet ſeveriſſime talem equeſtris ordinis maculam.* De eodem Tacit. *hiſt. lib.* 2. *cap.* 57. Non conditio mutata. Rectè: Nam hoc jus, *libertinitatis, quoad vivunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis præſtat*, *l.* 2. *C. de jur. aur. an.* Eſt quidem aliqua diverſitas conditionum *l. cùm ex oratione* 44. §. 1. *ff. de excuſ. tut.* non tamen, quoad patronum, cujus deteriorem conditionem non facit *l. ſi is qui* 42. *ff. ad leg. Jul. de adult.* adeòque, ſi hoc jus patrono non nocet: æquum non eſt, ut noceat liberto.

Videtur etiam contrarium reſpondiſſe Scævola in *l. prædia* 27. *ff. de inſtrum. leg. in princ.* Sed non eſt ita: nam ibi non erant legati ſervi piſcatores; ut dici poſſit eos tranſiſſe ab artificio ad officium; ſed legati erant *ſervi, qui ibi erunt & omne inſtrumentum &c.* Servi autem illi, de quibus quæritur, nec erant in prædiis tempore mortis teſtatoris: nec continebantur inſtrumento fundi; quia ſolebant in miniſterio teſtatoris eſſe, & ubicumque eum ſequi. Inſtrumento enim ſunt, qui agri gratiâ ibi ſunt *l. quæſitum* 12. §. *Alfenus* 2. *ff. eod.* Quocircà Scævola non ait legatum in ipſis exſtingui, ſed eos non eſſe legatos: neque enim quæſtio erat de mutatione miniſterii, & artificii; ſed an legato continerentur illis verbis expreſſo.

CAPUT XXVI.

Ad l. quid tamen 10. *ff. quib. mod. uſusfruct. amitt. & alias.*

SUMMARIUM.

1 *Mutatione rei legatæ faciliùs exſtinguitur legatum uſusfructûs quàm rei. Quæ mutatio illud exſtinguat.*
2 *Exempla & n.* 3. 4.
5 *Conciliatur l. qui uſumfructum* 36. *ff. de uſufr. cum l. quid tamen* 10. §. *agri, & l. ſi ager* 23. *ff. quemad. uſusfr. amitt.*
6 *Alia exempla. & n.* 7. 8. 9.

DIſcutienda nunc eſt altera pars propoſitæ quæſtionis: nempè cùm certa aliqua ſpecies legata eſt; eaque poſteà eſt immutata, adeò ut ei ampliùs non conveniat demonſtratio teſtatoris. Quâ in re ſecernendum eſt legatum uſusfructûs à legato ipſius rei.

Legatum uſusfructus faciliùs exſtinguitur, 1
quàm

quàm legatum ipſius rei. Uſusfructus, utpotè ſervitus, eſt jus, eſt qualitas inhærens rei ſervienti *l. qui fundum* 12. *ff. quemadmod. ſervit. amit.* qualitas autem ex philoſophorum ſententiâ adeò cohæret ſubjecto, ut de ſubjecto in ſubjectum transferri non poſſit. Quamobrem omnis mutatio, non ſolùm, quæ rem transformat, aut ſubſtantiam rei tranſmutat: ſed etiam quæ ipſam alterat, ut non ſit ampliùs talis, qualis anteà erat, exſtinguit uſumfructum, ejuſque legatum. Subobſcura definitio niſi exemplorum luce colluſtretur.

2 Legatus fuit uſusfructus areæ. In ea poſitum eſt ædificium: exſtinguitur legatum, quia non eſt ampliùs area, qualis erat cùm legata fuit: tunc erat area per ſe ſubſiſtens: nunc domus eſt, cujus pars eſt area: tunc area erat quid totum ipſa per ſe; nunc totum eſt domus, nec ab ea ſeparari poteſt area ſine deſtructione, & everſione totius domûs: propterea eò redacta eſt, ut ipſâ fructuarius ampliùs uti, fruique non poſſit. *l. repeti* 5. *§. ult. ff. quib. mod. uſusfr. amit. l. ſi eo loco* 9. *verſ. fructuarius ff. ſi ſerv. vindic.* Quid ſi vivo teſtatore decidit domus, vel deuſta eſt? debetur legatum: quia cùm conſtituendus eſt in area uſusfructus, ea talis eſt, qualis erat, cùm legaretur. *l. qui uſumfructum* 36. *in princ. ff. de uſufr.* Quòd ſi hæres ipſe poſuerit ædificium, licèt exſtinguatur uſusfructus, quia non eſt ampliùs area cui poſſit imponi, tenetur hæres actione ex teſtamento, quanti intereſt legatarii: vel ſi jam impoſitus erat, actione de dolo: & ſi vi, aut clam ædificavit, interdicto quod vi, aut clam *d. l. repeti* 5. *in fin. cum duab. ſeqq.* & *d. l. ſi eo loco* 9.

3 Legatus fuit uſusfructus inſulæ: diruta eſt, aut deuſta inſulà: ne areæ quidem uſusfructus debetur, quia non eſt ampliùs inſula: ſed tantùm area, quæ diverſa eſt ab inſula *l quid tamen* 10. *§.* 1. *ff. quib. mod. uſufr. amitt.* Omninò igitur exſtinguitur uſusfructus; atque adeò, ut non reviviſcat, etiamſi ex iiſdem cæmentis inſula fuerit iterum ædificata: quia nova eſt inſula; non vetus illa, quam teſtator in legato demonſtravit: illa enim non eſt ampliùs in rerum naturâ, cùm ruinâ, vel incendio fuerit abſumpta. *d. l. quid tamen §.* 1. & *§. pen.* & *l. qui uſumfructum* 36. *in princ. verſ. contrà ff. de uſufr.* Neque ad rem facit, quòd ſuperfuerit area, ſuperfuerint cæmenta; nam nec in area, nec in cæmentis manet uſusfructus *l. repeti* 5. *§. rei mutatione ff. quib. mod. uſusfr. am. l. ſervitutes* 20. *§. ſi ſublatum ff. de ſervit. urb. præd.* Separatis enim corporibus univerſitas ædium intelligi non poteſt *l. cum qui ædes* 23. *in princ. ff. de uſurp. & uſuc.* & aliud ſunt ædes, aliud ſingulæ res, ex quibus ædes conſtant *d. l.* 23. quocircà & ſi dirutis ædibus retineret uſumfructum areæ, & cæmentorum: ipſum amitteret ædibus de novo ædificatis; licèt ſuper illa area iiſdem cæmentis ædificarentur, ex legibus modò allegatis. Contrarium tamen dicendum eſſet, ſi ædes per partes reficerentur. *d. l. quid tamen §. pen.* Qui rem reficit, non eam deſtruit, ſed conſervat: ideòque ſemper manet eadem res, quamvis progreſſu temporis nihil ampliùs extet eorum, quæ olim ipſam componebant, ut eleganter multis exemplis probat Alfenus in *l. proponebatur* 76. *ff. de judic.* Quæ de inſula atque ædibus diximus, obtinent & ſervantur in navibus. Etenim legato navis uſufructu, ſi navis fuerit diſſoluta, legatum exſtinguitur: nec reviviſcit, etiam ſi navis iiſdem tabulis fuerit reſtaurata, nullâ prætereà additâ *d. l. quid tamen* 10. *§. pen.* Quòd ſi per partes reficiatur, non interit uſusfructus; quia manet ſemper eadem navis *d. §. penult.* & interemptâ, aut deſtructâ aliquâ parte, non interit uſusfructus, qui reſidet in totâ re, totamque afficit. Quare ſi legatus ſit uſusfructus fundi, non exſtinguitur diruta villa, & durat non ſolùm in reliquis fundi partibus, ſed etiam in eo ſolo, in quo fuit villa; ſive villa fuerit acceſſio fundi; ſive fundus acceſſio villæ *l. fundi* 8. *cum duab. ſeqq. ff. quib. mod.* Neque quem turbet, quòd diruto ædificio, nec areæ quidem uſusfructus debetur, ut diximus; nam fructuarius eo ſolo fruetur, non tamquàm areâ villæ jam dirutæ, ſed tamquàm ſolo ipſius fundi parte, in quo

Digitized by Google

ſubſiſtit, & manet integer uſusfructus.

4 Simile eſt, quod de maſſa aurea vel argentea traditur in *d. l. quid tamen* §. *ſi maſſa ff. quib. mod. uſusfr.* & in *l. qui uſumfructum* 36. *in princ. ff. de uſufr.* Legatus erat uſusfructus maſſæ argenteæ: ex ea conflata ſunt vaſa, ſcyphi, lances, vel alia hujuſmodi; exſtinctus eſt uſusfructus, exſtinctum legatum: deſiit enim eſſe maſſa: non convenit ampliùs ei nomen, & demonſtratio maſſæ. Legata eſt maſſa, non vaſa. Quid ſi iterum fuſa fuerint vaſa, & in maſſam redacta? Puto legatum & uſumfructum reviviſcere exemplo ejus,quod de area traditum eſt, cui jungitur & comparatur maſſa in laudatis legibus. Contrà legato uſufructu vaſorum, ſi ea in maſſam redigantur, maſſæ uſusfructus non debetur *d.* §. *ſi maſſa*: imò nec vaſorum, etiamſi iterum vaſa facta fuerint: *licèt enim priſtina qualitas ſcyphorum reſtituta ſit: non tamen illos eſſe, quorum uſusfructus legatus eſt* ait Africanus in *d. l. qui uſumfructum.* Rectè. Nam novi ſcyphi, etſi prioribus ſimiles, tamen illi non ſunt, quorum legatus fuit
5 uſusfructus. Neque contrarium eſt, quod de area diximus ab Africano traditum in laudata *l.* 36. *in princ.* & quod tradit Ulpianus & Pomponius in *l. quid tamen* 10. §. *agri*, & *l. ſi ager* 23. *ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* quod ſi ager flumine vel mari inundatus fuerit, amittitur uſusfructus; ſed eo recedente reſtituitur: nam ager, flumine vel mari recedente idem ager eſt, qui fuerat, antequàm inundaretur; & area ſimiliter diruto ædificio remanet eadem area, quæ anteà fuerat: at verò hîc nova ſpecies fit, & deſtructis ac fuſis priſtinis ſcyphis, novi conflantur, qui non ſunt iidem, ac illi, qui jam perierunt, & in maſſam, videlicèt in aliam ſpeciem tranſierunt, quemadmodùm ædificium, etſi poſt incendium aut ruinam iiſdem cæmentis iterum fabricetur, non eſt idem, ac vetus ædificium, quod dirutum fuit, aut deuſtum: illud enim jam periit, & deſtructum eſt, & aliud ejus loco conſtructum: quemadmodùm & navis iiſdem tabulis denuò compacta *l. quid tamen* §. *in navi.* & *d. l. qui uſumfructum* 36.

Occurrunt & aliæ mutationes, quibus fit, ut res in aliud nomen tranſeat, & ideò pereat legatum uſusfructûs, peremptâ ſpecie, in quâ erat conſtituendus. Ecce legatus eſt uſusfructus quadrigæ, mortuo uno equo, deſinit eſſe quadriga, & ideò non poteſt ampliùs conſtitui uſusfructus in quadriga, quæ nulla eſt: imò & jam conſtitutus exſtinguitur *d. l. quid tamen* §. *ult.* niſi alius ante diem legati cedentem fuerit ſubſtitutus *l. niſi* 11. *ff. eod.* Et hoc non eâ ratione, quòd videatur convenire voluntati teſtatoris, ut ſubſtituto equo in locum mortui eadem videatur quadriga: ſed quia re vera eadem eſt: quod enim reficitur per partes, ac reparatur, idem ſemper manet, ideòque non exſtinguitur uſusfructus *d. l. quid tamen* § *in navi.* Idem evenit in grege, cujus legatus fuit uſusfructus. Si ita diminuatur, ut non conſtet ampliùs eo numero ovium, qui requiritur ad conſtituendum gregem, exſtinguitur legatum, exſtinguitur uſusfructus. *l. ult. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* ſed ſi in locum demortuarum aliæ ſubſtituantur, ita ut non ſint pauciores decem, valet legatum, quia non deſiit eſſe grex *l. ult. in princ. ff. de abig. l. ſi grege* 22. *ff. de leg.* 1. Grex, armentum, equitium non aliter poſſunt conſervari, quam ſi in locum capitum demortuorum alia ſubindè ſubrogentur: idemque neceſſariò evenit in quadriga. Finge rurſùs aliam ſpeciem mutationis. Legatus eſt uſusfructus agri vel loci alicujus: ſi à flumine, vel mari ſit inundatus, non perit penitùs uſusfructus; nam aquâ recedente convaleſcit, ut diximus: ſed ſi fiat ſtagnum, vel palus, omninò perit, quia deſinit eſſe. Idem ex contrario ſi ſtagni vel paludis uſusfructus legatus fuerit, eaque exaruerint: atque illud ſtagnum eſſe deſierit: hæc deſierit eſſe palus. *d. l. quid tamen* §. *ſed etſi ſtagni.* Vel ſi cæſa ſit ſylva, cujus legatus erat uſusfructus, atque ibi ſationes factæ: ſecus ſi in arvo vinea poſita, vel contrà *d. l.* §. *non tamen.* Quid ita? undè hæc differentia? ſcilicèt *arvi* demonſtratio etiam vineam comprehendit: ſylva autem ſpecie differt ab arvo. Iſidor. *orig. lib.* 15. *cap.* 13. *Omnis autem ager, ut Varro docet,*

Digitized by Google

quadrifarius dividitur. Aut enim arvus eſt ager, id eſt, ſationalis: aut conſitus, id eſt, aptus arboribus: aut paſcuus, qui herbis tantum, & animalibus vacat: aut florens, quòd ſunt horti apibus congruentes, & floribus. Eadem verba refert Servius initio *Georgic. Virgilii*: eadem & Cerda *ibid.* Sed an ſint Varronis valdè dubito. Illud pro certo habeo, has quatuor ſpecies diverſas eſſe, atque inter ſe diſtinctas. Plaut. in *Truculent. ſc. 2. Non arvus hic, ſed paſcuus eſt ager.* Salluſt. *Numidæ pabulo pecoris magis, quàm arvo ſtudent.* Varro *lib. 1. de ling. Lat. Arvum, & arationes ab arando &c. Prata dicta ab eo, quòd ſine opere parata.* Erant etiam vineæ, arva: arabantur enim. Id. Varro *de re ruſt. lib. 1. c. 8. Vineæ altitudinis modus, longitudo hominis. Intervalla pedamentorum, quà boves juncti arare poſſunt.* Contrà ſylva toto genere differt ab arvo, ſive glandaria ſit: etenim hæ neque arabantur, neque colebantur. Varro ibid. *Quos agros non colebant propter ſylvas, aut id genus, ubi pecus poſſit paſci, & poſſidebant, ab uſu ſuo ſaltus nominarunt.* Sed ne abeamus à noſtris Juriſconſultis: Ælius Gallus, qui duos libros ſcripſit de Verborum Significatione quæ ad jus pertinent, ita ſcripſit in *lib. 2.* ut Feſtus refert in verbo *ſaltus*: *Saltus eſt, ubi ſylva, & paſtiones ſunt, quarum cauſâ caſæ quoque. Si qua particula in eo ſaltu paſtorum, aut cuſtodum cauſâ aratur, ea res non perimit nomen ſaltûs: non magis quàm fundi, qui eſt in agro culto & ejus causâ habet ædificium; ſi qua particula in eo habet ſylvam.* Obſerva; quòd ſi ſaltus araretur, & coleretur, nomen ſaltûs perimeretur: non eſſet ampliùs ſaltus. Multò magis id de ſylva dicendum. Sylva tota arboribus conſita. Saltus multa habet loca vacua, herbida, virgultis, ſentibus, dumis referta, quæ facilè arari, colique poſſunt ad pecorum paſtiones aptiſſima. Virg. *Georg. lib. 3. Saltibus in vacuis paſcunt.* Hinc ſaltus paſcuus in *l. ſed addes 19. §. 1. ff. loc. cond.* & ex multis ſaltibus paſtione fructus percipitur *l. ſi quis unas 32. ff. de uſufr. l. de grege 9. ff. de inſtr. vel inſtr. leg. l. penult. §. 1. ff. ſi ſerv. vind.* Cæterùm in *l. quid tamen*, exiſtimaverim agi de ſylva cædua: quod & verba illa *ſylva caſa*, & res ipſa indicat. Rarum enim eſt, ne dicam prorſùs inuſitatum, ut quis quercetum, aut caſtanetum, aut ejuſmodi ſylvam exſcindat, eruat, ut illic ſationes faciat. Sylva autem cædua, quæ à cædendo dicitur, in hoc habetur, ut cædatur; & ut reciſa rurſus ex ſtirpibus, aut radicibus renaſcatur *l. ſylva 30. in princ. ff. de V. S.* ubi renata fuerit, & adoleverit, utique cædi debet: hic enim eſt ejus fructus *l. divortio aliàs l. fructus 7. §. ſi fundum ff. ſol. matr.* Sunt autem hujus duo genera: alia eſt ſylva palaris: alia gremialis. Sylva palaris, ex qua pali, ac pedamenta ad fulciendas ac ſuſtinendas vites ſucciduntur: gremialis, quæ gremia producit, ſeu gremiales arbores, ad comburendum paratas. Sunt enim gremia, tenuia ligna, arbuſculæ, virgulta, faciendo igni deſtinata. Columel. *lib. 12. c. 19. Levique primùm igne, & tenuibus admodùm lignis, quæ gremia ruſtici appellant, fornacem incendemus. l. ligni 55. §. lignis cum ſeq. ff. de leg. 3. d. l. divortio §. ſi fundum ff. ſol. matr.*

Hæc in agris; idem in ædificiis. Balnei, 7
vel tabernæ uſufructu legaro; ſi poſteà teſtator ex balneo habitationem; ex taberna diætam fecerit, legatum exſtinguitur *l. ſi cui balnei 12. in princ. ff. quib. mod. uſufr. am.* Tabernæ nomen hîc accipi non debet, ut ſignificet omne ædificium utile ad habitandum; quemadmodùm Ulpianus definit in *l. taberna 183. ff. de V. S.* In hâc eâdem ſignificatione accepiſſe Ciceronem puto in *epiſt. 9. ad Attic. lib. 14. Tabernæ mihi duæ corruerunt: reliquæ rimas agunt: itaque non ſolùm inquilini, ſed mures etiam migraverunt.* Initio enim tabernæ dicebantur ædiculæ parvæ tabulis compactæ, plebeïorum hominum habitationes, ut rectè notat Iſidor. Orig. *lib. 15. cap. 2. in fin.* Atque hinc contubernium, & contubernales, & tabernaculum *l. indè 184. ff. de V. S.* Poſteà hoc nomen uſus extendit ad omne ædificium utile ad habitandum. *d. l. taberna ff. eod.* Propriè tamen accipitur pro ædificio, in quo ha-

bentur merees venales, negotiationis eausâ: cujuſquemodi illæ ſint. Ita omnes Latini Seriptores. Cic. 4. in *Catilin. Multo verò maxima pars eorum, qui in tabernis ſunt &c. quorum ſi quæſtus occluſis eabernis minui ſolet; quid tandem incenſis futurum eſt?* Alios omitto. Nam quid juris ſit quæritur; non quid poſtulet Latini ſermonis integritas. Ita etiam noſtri juriſconſulti ſemper aeceperunt: ut in *l. ſi pendentes* 27. *§.* 1. *ff. de uſufr. l. ſi ita teſtamento* 15. *in princ. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg. l. qui habebat* 13. *§. ult. ff. de inſtit. act.* Imò ſæpènumero accipiunt pro ipsâ mereium univerſitate, quæ apothecâ eontinentur, ut in *d. l. qui habebas.* & in *l. cùm tabernam* 34. *in princ. ff. de pignor.* Ulpianus in *l. inſtructam* 185. *ff. de verb. ſignif. Inſtructam autem tabernam ſic accipimus, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem paratis conſtat.* Pro loeo & apotheeâ aeeipitur in *l.* 2. *§.* 1. *ff. ſi quadrup. paup. fec. dic.* & in *l. ſicut autem* 8. *§. Ariſto ff. ſi ſervit. vindic.* & in *l. taberna* 13. *in princ. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Ibi: *ut taberna, non niſi loci inſtrumenta ſint.* & diſtinguit tabernam eauponiam à caupona; ut hoc ſit nomen negotiationis: illud loei: non aliter aeeipitur in *l. tabernam* 7. *ff. eod.* & in *l. palàm* 43. *in princ. ff. de ritu nupt.* Enimverò hoc diſcrimen inter cauponam, & tabernam eauponiam ſubtiliter magis, quàm ex veritate videtur à Paulo excogitatum. Etenim caupona non videtur à taberna eauponia differre: nec minùs hæe, quàm illa, locum ipſum deſignare, ubi negotiatio exercetur. Cauponam eſſe ædificium, loeumque, ubi caupo exercet negotiationem, evidenter demonſtrat *l.* 5. *§. ult. ff. de oblig. & act.* Ibi: *de damno, aut furto, quod in nave, cauponâ, aut ſtabulo factum ſit. l.* 3. *§.* 1. *in fin. verſ. Idem erit dicendum ſi in ſtabulo, aut in caupona &c. ff. nautæ caup. ſtabul. l.* 5. *in princ.* Ibi: *caupo ut viatorem manere in caupona patiatur.* & *l.* 6. *in princ.* & in *§. ſed ſi damnum,* & in *§. ſeq. ff. eod.* Cie. in *Piſon. Nonne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido?* & in *Philip.* 2. *Cùm hora diei decima ferè ad ſaxa rubra veniſſet, delituit in cauponula, atque ibi ſe occultans perpotavit ad veſperum.* Horat. *lib.* 1. *epiſt.* 11. *verſ.* 12. *volet in caupona vivere.* Plin. *lib.* 16. *c.* 36. *ſtrata cauponarum.* Conſtat igitur, non minùs loci nomen eſſe eauponam, quàm tabernam, lieèt utraque ſit etiam nomen negotiationis. Quare non apparet ratio, eur à ſententia Neratii Paulus receſſerit. Nee illud quidem compertum habeo, cur legato inſtrumento cauponio, neget eontineri miniſtros in *lib.* 3. *Sentent. cap.* 8. *de legat.* §. 64. Nam cauponium inſtrumentum, à caupona dieitur, non à taberna; eſt inſtrumentum eauponæ: ergo etiam admiſſo diſcrimine, de quo in *d. l. tabernæ*, verius videtur, quod Mæcianus ſtatuit in *l. pictoris* 17. *§. ult. ff. de inſtr. leg.* inſtrumento cauponio legato inſtitorem eontineri, quia ſine hoc, & ſine miniſtris eaupona uſum præbere non poteſt. Idipſum generaliter de taberna ſtatuit Ulp. in *l. inſtructam* 185. *ff. de V. S., inſtructam autem tabernam ſic accipiemus, quæ & rebus, & hominibus ad negotiationem paratis conſtat.* Neque ab Ulpiano nomine tabernæ indicari etiam eauponam dubitandum eſt, eùm tabernæ nomen præeipuè conveniat cauponæ, ſeeundùm uſum veterum Seriptorum: ac ſine adjuncto, tabernæ nomine intelligatur eaupona: ut notant eruditi. Quod & apud nos obtinet: *Taverna* enim nihil aliud ſignifieat, quàm cauponam: *Oſteria. Taverniere*, qui eauponas frequentat. Sed hæc in tranſeurſu: redeo in tabernam, quam teſtator transformavit in diætam.

Diæta, etiam zeta dicta fuit, non ſo- 8
lùm à Plinio in epiſtolis, & à Lampridio in Heliogabalo, ſed etiam à noſtris J C. Nam quos Ulpianus diætarios apppellat in *l. quæſitum* 12. *§. idem reſpondit, domo ita ut* 42. *ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* Paulus in *lib.* 3. *ſentent. tit.* 80. *de leg.* §. 61. zetarios appellat. Erat autem diæta habitatio, ſeu contiguatio, & conclave in ſuperiore domùs parte: aut in horis voluptatis eauſâ ædificata. Qui cænationem fuiſſe aïunt, non benè, ut arbitror: rectiùs, qui cœnaeulum. Nam lieèt cœnaeulum eſſet locus, ubi cœ-

nabant : tamen poſteà quàm in ſuperiore parte cœnitare cœperunt, ſuperioris domûs univerſa, cœnacula dicta : ut docet Varro *de ling. lat. lib.* 4. §. 33. & in hâc ſignificatione paſſim uſurparunt Latini Scriptores : & noſtri etiam, ut in *l. ſi verò* 5. §. 1. *&* 2. *ff. de his qui effuder. vel dejecer. l. ſi cujus* 12. *aliàs l. æquiſſimum §. ſed ſi domus ff. de uſufr. l. ſaccularii* 7. *ff. de extraord. crim.* Idem dicendum de diætâ. Diæta propriè eſt, in quâ cœnabant. Varro diætam dici putat, quòd in eâ, per diem edatur : ego potiùs à Græcis hanc vocem ſumpſiſſe Romanos exiſtimo, qui diætam dicunt moderatam victûs rationem. Sidon. Apoll. *lib.* 2. *ep.* 2. *Ex hoc triclinio fit in diætam ſeu cœnatiunculam tranſitus. l.* 1. §. *eodem autem* 27. *ff. de S C. Syllan.* Indè diætæ hypocauſtæ in *l. ligni* 55. §. *lignis ff. de leg.* 3. Cœnationem enim hybernam vel ſole, vel igne ſubjecto calefaciebant. Poſteà ſicut cœnaculi, ita & diætæ nomen latiùs patere cœpit, & pro habitatione accipi. In *l. codicillis* 34. *in princ. ff. de uſu & uſufr. leg. Pactiæ & Trophimæ diætas omnes, quibus uti conſuevit, habitet.* In *l. uxori* 41. §. 1. *ff. de leg.* 3. *diætam, quam habitabam ; item cellarium junctum eidem diætæ.* In *l. Lucius* 32. *ff de donat. ſuperioribus diætis omnibus utaris.* Imò latiùs patet diætæ, quàm cœnaculi nomen. Nam diætas etiam in hortis habebant amœnitatis & voluptatis causâ *l. ſenatus* 43. §. 1. *ff. de leg.* 1. *Seja* 66. §. 1. *ff. de don. int. vir. & ux. l. ſi cujus* 13. §. *ult. ff. de uſufr.* Hæc expoſui fortaſsè nimis copioſè, non tam ut ratio conſtaret, cur teſtatore tabernam transformante in diætam legatum uſusfructûs extinguatur : ſed etiam ne DD. temerè hæc producant ad conſequentias abutentes auctoritate *l. non poſſunt* 12. *cum ſeq. ff. de legib.*

9 Eſt aliud exemplum in laudatâ *l.* 12. §. 1. *ff. quib. mod. uſ. am. Proindè etſi hiſtrionis reliquerit uſumfructum, & eum ad aliud miniſterium tranſtulit, exſtinctum eſſe uſumfructum dicendum erit.* Ars hiſtrionica olim in pretio. Quantæ fuerint æſtimationis, Cicero declarat in *primo de Orat.* & alibi paſſim. Quibuſdam etiam ſtatuæ poſitæ. Auguſtus coërcitionem in hiſtriones magiſtratibus ademit : immunes verberum eſſe decrevit : quòd ſub Tiberio fuit à ſenatu confirmatum. Suet. in *Aug. c.* 45. Tacit. Ann. *lib.* 1. *c.* 77. & ibi Lipſ. Conviviis etiam adhibebat. Id. Suet. *c.* 74. ſed & privati. Marius apud Salluſt. in *Jugurth. ſordidum me & incultis moribus aiunt, quia parùm ſcitè convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quàm villicum habeo.* Vides, ſordidi hominis fuiſſe, hiſtriones in conviviis non adhibere. Hanc artem plerùmque ſervi, aut liberti exercebant, & aliquandò in manumiſſione jurejurando promittebant patrono. Dominus autem à ſervo, vel patronus à liberto operas exigebat: eaſque vel locabat, vel ſibi præſtare cogebat, etiamſi puer eſſet *l. ſervos* 73. §. *proinde ff. de leg.* 3. *l. ult. in. fin. ff. de liberali cauſ. l. ut jurisjurandi* 7. §. *adibitur ff. de oper. libert.* Itaque ſi dominus legaverit uſumfructum ſervi hiſtrionis, & poſteà eum tranſtulerit ad aliud miniſterium, veluti piſtoris, petit legatum, mutatâ rei legatæ qualitate.

CAPUT XXVII.

Ad l. ſervum 44. *ff. de leg.* 1.

SUMMARIUM.

1 *Legatâ areâ & impoſito poſteà ædificio non exſtinguitur area legatum.*
2 *Exponitur l. ſi eborus* 79. §. *penult. ff. de leg.* 3. *& conciliatur cum l. qui res* 98. §. *ult. ff. de ſolut. & n.* 3.
4 *Ædificio, quod areæ ſuperimpoſitum erat, diruto, vel exuſto, area legatario debetur.*
5 *Legatâ domo, eâque poſteà diſtructâ caſu vel vi majore, debetur area.*
6 *Si verò à teſtatore deſtructa ſit, perit legatum.*
7 *Legatâ nave & poſteà diſſolutâ legatum exſtinguitur ; quâ refectâ, ſi eadem maneat carina, legatum redintegratur.*
8 *Legatis poculis, ſi maſſa fiat, vel è contrà, manet legatum, & debetur id, quod ſupereſt.*

MUtatione rei faciliùs exſtingui legatum uſusfructûs, quàm legatum ipſius rei, diximus in ſuperiore. Cujuſmodi mutatio legatum uſusfructûs exſtinguat, exemplis ibi demonſtravimus. Modò eadem ferè exempla legatorum rei ipſius exponemus; ut in comparatione vis utriuſque legati cernatur.

1 Legata eſt area; poſteà ipſi fuit impoſitum ædificium: non exſtinguitur areæ legatum *l. ſervum filii* 44. §. *ſi area ff. de leg.* 1. Manet enim area, quæ pars eſt ædificii, & quidem maxima *l. qui res* 98. §. *ult. ff. de ſolut.* & potentior eſt. Trahit enim ad ſe ædificium, & qui dominus eſt areæ, fit etiam dominus ædificii: ædificium enim ſolo cedit. §. *cùm in ſuo* 29. *inſtit. tit. de rer. diviſ. l. adeò* 7. §. *cùm in ſuo* 10. *ff. de acquir. rer. dom. l. qui domum* 50. *ff. ad leg. Aquil. l. ſi ſolum* 39. *ff. de uſucap.* Quocircà non ſolùm legatario debetur area legata, ſed etiam ædificium ſuper aream exſtructum *l. ſi area* 39. *ff. de leg.* 2. Non ita res habet in ſtipulatione. Si areæ promiſſæ impoſitum ſit ædificium; non exſtinguitur quidem areæ ſtipulatio: non tamen debetur etiam ædificium impoſitum. Peti quidem poteſt area, & æſtimatio ejus debetur: ædificium non item *d. l. qui res* 98. §. *ult. ff. de ſolut.* Cur id tam variè? Legatum transfert rectà viâ dominium rei legatæ in legatarium. *l. à Titio* 64. *ff. de furt. l. legatum* 80. *ff. de leg.* 1. *l.* 1. *in fin. ff. de Publician. in rem act.* Tranſlato dominio areæ, transfertur etiam ædificii, ex ſuperiore regulâ *d.* §. *cùm in ſuo* 29. & aliis modò allegatis. Et hæc eſt natura legati; ad quam voluntatem ſuam conformaſſe teſtatorem, pro certo habendum; niſi aliter eſſe conſtet. Stipulatio parit tantummodò obligationem, non transfert dominium rei promiſſæ niſi per traditionem *l. traditionibus* 20. *C. de pact.* nec area tradi poteſt conſtructo ædificio: prohibente id lege XII. tab. *l.* 1. *ff. de tign. juncto.* Supereſt igitur ſola obligatio dandæ areæ, quæ nec poteſt ad ſe trahere dominium ædificii *l. qui res* 98. §. *aream ff. de ſolut.* nec poteſt extendi ad ædificium, quod promiſſum non fuit *l. quicquid* 99. *ff. de V. O.*

Sed repugnat Celſus in *l. ſi chorus* 79. 2
ff. de leg. 3. qui in §. *penult.* ait: *area legata, ſi inædificata medio tempore fuerit, ac rurſus area ſit: quamquàm tunc peti non poterat, nunc tamen debetur.* Durante igitur ædificio inutile fit legatum, cùm nec area, nec ædificium peti poſſit. Minùs hîc tribuit legato Celſus, quàm Paulus ſtipulationi in *d. l. qui res* 98. *ff. de V. O.* ac multò minùs quàm legato tribuat Javolenus in *d. l. ſi area* 39. *ff. de leg.* 2.

Conſtat inter omnes diſſidium hâc de re 3
fuiſſe inter Caſſianos, & Proculejanos. Javolenus ſcribit ex ſententiâ Caſſii. Liquet ex inſcriptione ipsâ legis: *Javolenus libro tertio ex Caſſio.* Celſus ex ſententiâ Proculi. Erat enim Proculejanus. Caſſius ingenii certamen exercuit cum Proculo. Hujus diſciplinam amplexus Pegaſus in Celſum patrem eam traduxit: hic in Celſum filium. Ex libro nono digeſtorum Celſi filii deprompta eſt *d. l. ſi chorus.* Hæc ſecundùm ſectam Proculi; illa Caſſii. Quænam igitur debet prævalere? Sanè Paulus in *d. l. qui res* §. *ult.* Celſi ſententiam acerrimè impugnat, ac reprobat: ſatius igitur eſt, eam & à nobis repudiari. Optimum autem eſt Ulpiani temperamentum, quod nobis exhibet in *l. ſi ſervum* 44. §. *ſi area ff. de leg.* 1. ut ſi probetur teſtatorem, ædificando ſuper areâ legatâ, mutaſſe voluntatem, exſtinguatur legatum, ac neutrum debeatur: ſin ſecùs, utrumque debeatur. Mutaſſe autem voluntatem hæres probare debet, qui recuſat ſolvere legatum *l.* 3. *ff. de probat. l. Statius Florus* 48. *verſ. reſcripſerant ff. de jur. fiſci.*

De eo nulla fuit inter veteres controver- 4
ſia: quòd diruto, aut exuſto ædificio, area legatario deberetur. Nam hoc & Caſſius, & ejus aſſecla Celſus probat in laudata *l. ſi chorus* §. *ſi area*: & non reprobat Paulus in laudata *l. qui res* §. *ult.* Solùm impugnat & confutat Celſum, quòd putaverit ſimilia exempla areæ diruto ædificio, quod in ea poſitum erat; & ſervi manumiſſi, ſi iterum in ſervitutem revocetur. Area, poſito ædificio, eoque

Digitized by Google

dein diruto ; eadem eſt area , quæ fuerat antequàm ædificium in ea poneretur. Servus qui manumittitur, & poſteà lege aliquâ ſervus effectus eſt , non eſt idem homo , idemque ſervus , qui anteà fuit : novus homo eſſe videtur *l. ſervus 27. in fin. ff. de adim. leg.* Nam & manumiſſio morti ſimilis eſt *l. ſi mihi alienum 22. ff. de ſolut.* Exſtinguitur enim ſervitus per manumiſſionem , per quam deſinit eſſe ſervus , & fit novus homo acquiſitâ libertate ; quæ ipſi tribuit caput , perſonam , ſtatum , jus , quæ non habebat , cùm ſervus erat *l. 3. in fin. ff. de capit. minut. §. ſervus. 4. inſt. tit. de capit. dimin. l. ſi Pamphilo* 10. *verſ. licèt enim ff. de opt. leg. l. non minùs* 31. *in princ. ff. de hered. inſt.* imò tribuit ipſi , ut ſit homo , quia priùs pro nullo habebatur *l. quod attinet 32. ff. de R. J.* & quadrupedibus comparabatur *l. 2. §. ut igitur ff. ad leg. Aquil.* Igitur ſervus qui manumittitur , quod attinet ad libertatem quam conſequitur , quodammodo naſcitur , & incipit eſſe homo : quod autem attinet ad ſervitutem , moritur , quia deſinit eſſe ſervus , & quidem in perpetuum , quia libertas ſemel data non poteſt ampliùs revocari , & adimi *l. ſi ſervo 16. §. 1. ff. de adim. leg. l. ſi cauſa 9. in fin. ff. de min. l. uxo em 29. in fin. l. Stichus 39. l. Imperatores 52. ff. de manum. teſt. l. liberos* 10. *C. de liber. cauſ.* Rectè igitur morti ſimilis dicitur manumiſſio : ſcilicèt quoad ſervitutem , quam penitùs tollit , interimit , exſtinguit. Rursùs moritur , cùm recidit in ſervitutem. Servitus enim morti aſſimilatur *l. intercidit 59. in fin. ff. de cond. & dem. l. ſervitutem 20. ff. de R. J. l. verum 63. §. ult. ff pro ſoc. princ. inſtit. quib. mod. jus patr. pot. ſolv. l. ſed ſi alia 5. in princ. ff. de bon. damn.* Bis igitur interiit , qui ex ſervitute ad libertatem pervenit : & iterum à libertate recidit in ſervitutem : ac propterea non poteſt videri idem homo , qui anteà fuerat , ſemel atque iterum mutatâ conditione , ſtatuque , atque perſonâ. Neque illud dici poteſt , eum ad priſtinum ſtatum rediiſſe , quemadmodùm area diruto & ſublato ædificio in priſtinum reſtituitur. Nam ſervitus ſuperveniente libertate , penitùs tollitur , & exſtinguitur : ideòque ſervitus , quæ supervenit amiſſâ libertate , eſt nova ſervitus , non illa ipſa , quæ per libertatem ſublata omninò fuit , ac perempta. Novus igitur ſervus eſt , & novus homo. Aliud dicendum ſi ſervus non fuerit manumiſſus , ſed ab hoſtibus captus , & poſtliminio revertatur : hic enim poſtliminio reverſus recidit in eamdem ſervitutem, quæ ceſſaverat per captivitatem , non exſtincta , ſed pendens , & manens in ſuſpenſo , quamdiu apud hoſtes fuit : eo autem reverſo recuperatur à domino omne jus & poteſtas in eum , perindè ac ſi numquàm apud hoſtes fuiſſet *§. ſi ab hoſtibus 5. inſt. quib. mod. jus patr. poſt. ſolv. verſ. ipſe quoque l. in bello 12. §. cætera 6. ff. de capt. & poſtlim. rev.* Imò etſi apud hoſtes fuiſſet manumiſſus ; eumque dominus nactus eſſet intra præſidia Romanorum , quamvis non fuiſſet reverſus animo ibi permanendi , ſed ad hoſtes revertendi : tamen dominus tamquàm ſuum ſervum poteſt retinere , & abducere : quia manumiſſio apud hoſtes facta , non potuit tollere jus dominii , quod habet verus dominus , quantùmvis captivitate ſuſpenſum. *d. l. in bello 12. §. manumittendo 9. verſ. certè.* Atque hæc dicta ſint ad defendendum Paulum , qui de his ſcitè , copioſèque diſputat tum in *d. l. qui res. §. ult.* tum in *l. inter 83. §. ſacram ff. de V. O.* Modò veniamus ad legatum domûs & navis.

Legata fuit domus ; eaque poſteà deſtructa 5
eſt : an debeatur area , quæritur. Non convenit ampliùs illi nomen , & demonſtratio domûs , quemadmodùm eam teſtator nominavit , ac deſignavit in dando legato : nam domus deſtructa , non eſt amplius domus : nec legata eſt area , ſed domus. Diſtinguendum tamen eſt. Si domus caſu corruerit , vel incendio combuſta ſit , vel vi majore dejecta : debetur area , quæ ſupereſt , quæque erat maxima pars domûs legatæ *l. ſi grege 22. ff. de leg. 1.* Etenim quodcumque ſupereſt ex re legatâ ; licèt ejuſmodi eſſe deſierit , cujuſmodi erat cùm legata fuit , debetur. Argumento eſt legatum gregis : ſi grex ad unam ovem vel unum bovem redactus ſit , ſic deſinit eſſe grex *d. l. ſi grex verſ. quamvis. l. ult. in princ.*

ff. de abig. nihilominùs ovis illa, quæ ſupereſt, aut bos vindicari poteſt à legatario *d. l. ſi grege* 22. Quo argumento dicendum eſt, domo dirutâ non ſolùm aream, ſed etiam cæmenta deberi. Contrarium reſpondit Paulus de animali mortuo in *l. mortuo bove* 49. *in princ. ff. de leg.* 2. *mortuo bove, qui legatus eſt, neque corium, neque caro debetur.* Etenim bos mortuus, non eſt bos. Bos eſt animal; & qui bovem legat, animal legat: bos mortuus non eſt animal, cùm animâ careat: habet idem nomen, non eamdem eſſentiam, ac formam. Figura externa eadem propè eſt, aut quodammodo ſimilis, propter quam eodem modo nominatur. Non aliter bovem, aut hominem dicimus etiam marmoreum, aut æreum: ut Alexandrum Lyſippi, Venerem Phidiæ, & Praxitelis, & alia, de quibus latè Plin. *lib.* 34. *c.* 8. & *lib.* 36. *c.* 5. quia eorum imaginem referebant. Non eadem eſt ratio gregis, & domûs. Bos unus, utique grex non eſt: ſed ab eo differt tantummodò numero, ac nomine, non ſubſtantiâ. Numerus autem arbitrio hominum, non naturâ conſtitutus eſt, *l. ult. in princ. ff. de abig.* Plurimùm refert, utrum res hominum arbitrio, an naturâ definiatur & circumſcribatur; ut liquet exemplo legati hominis, & domûs aut fundi, jungendo *l. ſi domus* 71. *in princ. ff. de leg.* 1. & *l. cum poſt* 69. §. *gener. verſ. quod fundo ff. de jur. dot. cùm l. hæredes* 25. §. *ſi incerto* 17. *ff. fam. herciſc.* & *l. cùm incertus* 13. *ff. de leg.* 1. Gregis nomen plures boves continet: ſed ſubſtantiâ, formâque, & naturâ, plures ab uno non differunt: ſicut differt bos vivus à mortuo. Hæc mutatio ſubſtantialis eſt; illa accidentalis: propterea hæc perimit legatum, illa non item. Mors non ſolùm naturalis, quæ animal omninò deſtruit; ſed etiam civilis, quæ naturam & formam hominis non mutat, legatum perimit; ut paulò antè ex Paulo docuimus in ſervo, qui liber factus, denuò recidit in ſervitutem. Notandum tamen eſt, quòd ſi bos perierit, poſtquàm legatarius ejus dominium acquiſivit: ad eum pertinent etiam corium, & caro; & quicquid ex bove ſupereſt, vindicare poteſt, ejus enim ſunt. *l. ſi ſervus* 14. §. *boves ff. de condict. furt. l. ſolum* 49. §. 1. *ff. de rei vindic.* Multò difficilius eſt explicatu, quod Papinianus ſcripſit in *l. peculium* 65. §. *quadrigæ ff. de leg.* 2. Sed quia lex illa à nemine adhuc ſatis enucleata longiorem requirit diſputationem: ſeparatim eam exponemus.

6 Modò regredior domum. Si domus deſtructa fuerit ab ipſo teſtatore, perit legatum, quia domum legatam deſtruendo videtur mutaſſe voluntatem, & adimere voluiſſe legatum. *l ſi ita legatum* 65. *in fin. ff de leg.* 1. Verumtamen cùm quæſtio ſit voluntatis: ſi legatarius probaverit teſtatorem non mutaſſe voluntatem, non abjeciſſe animum legandi; & debebitur area domo deſtructa; & debebitur novum ædificium, ſi eidem areæ domum inædificaverit *d. l. ſi ita legatum* 65. & *l. ſervum* 44. *ſi area ff. eod.* Aliud receptum in pignore *l. Paulus reſpondit* 29. §. *domus ff. de pigner. & hypoth. l. domo ff. de pign. act.* quia in pignus non cadit quæſtio voluntatis: neque enim poteſt debitor, aut quilibet alius revocare jus pignoris quæſitum creditori: ſicut poteſt teſtator revocare legatum, non ſolùm expreſsè; ſed etiam tacitè. *l.* 3. §. *ult.* & *l. ſicut* 5 *ff. de adim. leg.*

Nave legatâ, & poſteà diſſolutâ, legatum 7
exſtinguitur *l. lana* 88. §. *nave ff. de leg.* 3. ſed eâdem manente carinâ, ſi navis refecta fuerit, legatum navis redintegratur *l. quod in rerum* 24. §. *ult. ff. de leg.* 1. quia navis carinæ cauſam ſequitur *l. Minicius* 61. *in fin. ff. de rei vindic.* ſicut domus area, vel ſuperficies ſoli. *l. qui res* 98. §. *ult. verſ. non eſt his ff. de ſolut. l. ſi ſolum* 39. *ff. de uſucap.* Quid ſi navis refecta non fuerit; debebiturne legatario carina, quæ ſupereſt ex nave diſſolutâ? Non puto deberi, ſi à teſtatore ipſo fuit diſſoluta; argumento domûs dirutæ à teſtatore, de qua modò diximus. Verùm quia & hîc eſt quæſtio voluntatis: ſi legatarius probaverit teſtatorem diſſolviſſe navim non animo adimendi legati: ſed ut quaſſatam, vel ad navigandum incommodam reficeret, carinam vindicare poterit; ut de area diximus. Quod faciliùs admitti debet in navi, quàm in domo.

Digitized by Google

mo. Nam quid cauſæ eſt cur carinam etiam non diſſolverit, ſi eâ uti noluit ad reficiendam navim? Deſtructâ domo neceſſariò ipſa per ſe manet area, & ex natura ſua, non ex voluntate teſtatoris: cæmentis enim non eſt compacta, ut ſimul cum ſuperficie deſtrui poſſit. Propereà areæ conſervatio nullum præbet argumentum, voluiſſe teſtatorem domum deſtructam rurſùs inædificare; quod rectè deſumitur ex conſervatione carinæ, quæ tabulis eſt compacta, ſicut navis, eâdemque facilitate diſſolvitur. Quòd ſi tota navis fuerit diſſoluta, diſtinguendum eſt. Aut, teſtator eam diſſolvit eâ mente, ut iiſdem tabulis ipſam reficeret; & legatum non perit. Aut eâ mente diſſolvit, ut tabulas in alios uſus converteret: deindè mutato conſilio, ex illis navem rurſùs ædificavit: & tunc legatum exſtinguitur; quia hæc alia navis eſt, non ea, quæ legata fuit. Habetur hæc diſtinctio à Paulo in *l. qui res* 98. §. *ult. ff. de ſolut.* & in *l. inter* 83. §. *ſacram verſ. ſed ſi navem ff. de V. O.* Cui verò incumbat onus probandi mutatam, vel non mutatam fuiſſe voluntatem teſtatoris, ita diſtinguendum puto. Si teſtator ex iiſdem tabulis navem refecerit: hæres probare debet diſſolutam fuiſſe navem animo convertendi tabulas in alios uſus, & deindè mutato conſilio navem refeciſſe. Præſumptio enim eſt contra hæredem, eaque provenit ex facto refectionis. Contra hæredem pariter eſt regula juris, quâ definitur eamdem eſſe navem, quæ refecta & compacta fuit iiſdem tabulis *l. qui res* 98. §. *ult. verſ. ut ſi navem ff. de ſolut.* Quòd ſi non refecerit ante mortem; aut non refecerit ex iiſdem tabulis; legatarius probare debet eum habuiſſe animum reficiendæ navis; & nave diſſolutâ non abjeciſſe animum conſervandi legati: nam præſumptio: & regula juris eſt contra legatarium *l. lana* 88. §. *nave ff. de leg.* 3.

8 Alia ejuſmodi legata habentur in *l. ſervum filii* 44. §. *ſi pocula, & ſeqq. ff. de leg.* 1. Maſſa argenti, vel auri legata eſt: poſteà teſtator ex ea fecit pocula, vel lances. Item contrà legatum eſt, vel poculum vel lanx, eaque poſteà à teſtatore conflata, & in maſſam redacta. Rurſùs legatâ lance, ex ea facta eſt maſſa: tum ex maſſa poculum. Julianus ſcripſit, *legatum in omnibus ſupraſcriptis conſiſtere, & deberi, quod extat.* Sed obſtat regula juris à Marcello tradita in *l.* 6. §. 1. *in fin. ff. de aur. & arg. leg. Nam qui fieri poteſt, ut legatum, vel fideicommiſſum durare exiſtimetur; cùm id, quod teſtamento dabatur, in ſua ſpecie non permanſerit?* Cui & aliam ſubjicit: *quòd diſſolutione, ac permutatione voluntas videatur mutata.* Obſtant etiam exempla in hâc lege à Marcello propoſita: obſtat *l. ſi cui lana* 70. *ff. de leg.* 3. obſtat *l. lana* 88. *ff. eod.* Si omnes hæ leges inter ſe conferantur, perſpicuè apparebit, non conveniſſe inter veteres J C. & Julianum in hâc controverſia multò remiſſiorem fuiſſe, quàm poſteriores, qui eam accuratiùs, & exquiſitiùs diſputarunt. Quamobrem Ulpianus in hâc opinionum diſcrepantia ad voluntatem teſtatoris, refugit & Juliani ſententiam veram putavit; *ſi modò non mutaverit teſtator voluntatem.* Actus quidem diſſolvendi, mutandi, pervertendi rem legatam, indicat teſtatorem mutaſſe voluntatem: atque adeò revocaſſe legatum *d. l.* 6. §. 1. *in fin. ff. de aur. & arg. leg.* Sed ſi legatarius probaverit, teſtatorem non habuiſſe animum revocandi legatum, nec à priori voluntate receſſiſſe; ſed in ea permanſiſſe; utique legatum conſiſtet. Legatarius autem probare debet, contra quem eſt juris regula, atque præſumptio. Judex autem pro qualitate mutationis, leviores, aut potentiores probationes exiget. Finge: teſtator maſſam legavit: poſteà confecit ex ea poculum; cùm maneat idem aurum, vel argentum, modica mutatio eſt, quæ nec dominio quidem officit, *l. in omnibus* 24. *ff. de acquir. rer. dom.* leves etiam probationes non mutatæ voluntatis admittet. Sed ſi lancem legavit: poſteà conflavit: tum deindè poculum fecerit: evidentes probationes erunt exigendæ. Hoc ampliùs obſervandum, quòd in *d. l.* 6. *ff. de aur. & arg. leg.* duæ regulæ diſtinctæ, ac ſeparatæ conſtituuntur. Prima, *quòd non poteſt durare legatum, cùm res legata in ſua ſpecie non permanſerit.* Altera, quod *diſſolutione, ac permutatione voluntas mutata*

videatur. Prima eſt multò valentior: nam deficiente re legatâ, ipſum per ſe legatum deficiat, & exſtinguatur neceſſe eſt. *l. ſi ex legati* 23. *ff. de V. O.* Itaque non eſt exquirenda voluntas teſtatoris peremptâ re legatâ, cùm legatum, ſeclusâ etiam voluntate teſtatoris, ſuapte naturâ corruat. Verùm quia ſpecie non permanente, & in aliam ſpeciem translatâ, res omninò non perit; ſed ſpecies dumtaxat: veluti ſi ex lana legatâ facta fuerit veſtis; vel ex tabulis, navis: idcircò poteſt admitti voluntatis quæſtio. Sed evidentes probationes requiruntur: lana enim, & tabulæ exſtinctæ ſunt §. *ſi tamen* 26. *inſt. tit. de rer. diviſ.* & ideò vindicari non poſſunt *d.* §. Nec peti poteſt veſtis, aut navis, quia legata non fuit. Probandum eſt igitur, non ſolùm non mutaſſe voluntatem, ſed eam extendiſſe ad veſtem, & navem: probanda ſcilicèt eſt quodammodo nova voluntas; nempè, quòd cùm veſtem aut navem fecit, voluerit veſtem, aut navem legato contineri: quod probatu difficillimum eſt. Propriè igitur voluntatis quæſtio cadit in ſecundam regulam: atque adeò in hâc potiſſimum de voluntate quærendum eſt; & leviores probationes ſufficient, maximè ſi res ad priorem ſtatum reduci facilè poſſit, ut poculum, vel lances ad maſſam.

CAPUT XXVIII.

Ad L. ſi cui lana 70. ff. de leg. 3.

SUMMARIUM.

1 Legatum lana exſtinguitur, ſi ea tincta fuerit, & ſi ex ea veſtis fuerit facta.
2 Expenditur l. pediculis 32. §. Labeo 6. ff. de aur. & arg. leg.
3 Exponitur ead. l. pediculis §. Titia. 7.
4 Paulus & Ulpianus inter ſe contrarii.
5 Pauli ſententia probatur, quòd lanâ legatâ, verſicoloria legato cedit.
6 Sententia Ulpiani locum habet ex voluntate teſtatoris.
7 Expenditur textus noſter, & probatur Ulpianum à ſe ipſo non diſſidere & n. 8.
9 Lino legato, continetur, quod tinctum eſt, quodque in tela eſt, & quare.

Superſunt alia duo legata, lanæ, & quadrigæ: de quibus ſeparatim agere conſtituimus, & luculenter explicemus duas leges perdifficiles & obſcuras, indiligenter hactenùs expoſitas.

Lanâ legatâ, ſi poſteà facta ſit, vel neta, 1 veluti ſtamen vel ſubtemen factum; legatum non exſtinguitur: quia legato lanæ tam lota, quàm ſuccida, tam facta, quàm infecta: tam neta, quàm non neta, continetur: & eatenùs extenditur, quoad telam pervenerit *l. ſi cui lana* 70. §. 1. *&* 4. *ſeqq. ff. de leg.* 3. Duobus caſibus mutatione lanæ hujuſmodi legatum exſtinguitur: ſi lana tincta fuerit; & ſi ex ea veſtis facta. Si tincta fuerit à teſtatore, videtur ab eo revocatum legatum; quia legato lanæ, quæ tincta eſt, non comprehenditur; ſed ea tantùm, quæ nativum retinet colorem *d. l. ſi cui lana in princ.* & §. *& ſciendum* 4. Si texta fuerit; multò magis. *l. lana* 88. *in princ. ff. de leg.* 3. Sed his caſibus exſtinguitur legatum ſolummodò, ſi teſtator mutaverit voluntatem; quam mutaſſe præſumitur lanam tingendo; aut ex ea veſtem faciendo: quo facto lanam redigit ad eum ſtatum, in quo exempta à legato. Cæterùm ſi probetur eum non mutaſſe voluntatem; debebitur & lana tincta, & tela detexta. *l. ſervum* 44. §. *ſi pecula ff. de leg.* 1. Probandi autem voluntatem non fuiſſe mutatam onus incumbit legatario, contra quem eſt præſumptio, & regula juris *d. l. lana* 88. *in princ.*

Satis plana hæc, & certa videntur; ſed 2 magnis ſunt obſita difficultatibus. Videtur enim Ulpianus tum à Paulo, tum à ſe ipſo diſſidere. A Paulo apertè diſſentit. Hic enim in *l. pediculis* 32. §. *Labeo* 6. *ff. de aur. & arg. leg.* ait, teſtatorem non neceſſariâ verborum multiplicatione uſum, qui, cum *lanam* legaſſet, addidit, *verſicoloria: quaſi deſierit lana tincta, lana eſſe: detractoque verbo verſicolorio, nihilominùs etiam verſicoloria debebuntur.* Legatâ lanâ debentur etiam verſicoloria, quia lana tincta non deſinit eſſe lana. Nihil verius. Confugiunt interpretes ad vim verborum generalium, quibus non ſemper æquipollent indefinita. Et hùc intrudunt

quæſitionum, an oratio indefinita æquipolleat univerſali; quâ nihil eſt ab hâc lege alienius. Non enim hoc agitur à Paulo, qui potiùs reprehendit teſtatorem, quòd tot verbis ſuperfluis expreſſerit voluntatem ſuam, de quâ ſatis conſtabat ex ſolo verbo *lanam*, cùm etiam lana tincta, ſit lana; & ideò lanæ nomine contineatur. Illud potiùs quæritur à Paulo, an denominatio ſpecierum reſtringat genus; & reſpondet: non mutare ſubſtantiam rerum, multiplicationem verborum non neceſſariam. Cæterùm, quod ad rem attinet, Paulus ait legato lanæ tinctam contineri, quia lana eſſe non deſinit: quod negat Ulpianus in *l. ſi cui lana 70. in princ. ff. de leg. 3.* Nec dubitari poteſt in eâ fuiſſe ſententiâ Paulum, cùm ipſemet eamdem in ſententiam ſcripſerit *lib. 3. ſent. rec. tit. 8. §. 86. Lana legata, ſive ſuccida, ſive lota ſit, ſive pectinata, ſive verſicoloria, legato cedit. Purpura verò, aut ſtamen ſubtemenve hoc nomine non continentur.* Lana *verſicoloria*; eſt lana tincta: ita accipitur ab eodem Paulo in *d. l. pediculis 32. §. Labeo*: & in *l. quaſitum 78. §. coccum ff. de leg. 3.* & ab Ulpiano in *d. l. ſi cui lana 70. §. verſicoloribus ff. eod.* Atque hoc nomine veteres J C. reprehenduntur à Valla *eleg. lib. 6. c. 53.* quia verſicolor apud Latinos eſt, quod colorem mutat, ut plumæ columbarum. Cic. 3. *de fin. bon. & mal. mulli morientes.* Plin. *lib. 9. c. 17. Mullum expirantem verſicolori quâdam & numeroſâ varietate ſpectari proceres gula narrant; rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem: utique ſi vitro ſpectetur incluſus.* Aut diverſos habet colores, ut apud Virgil. *Æneid. 10. verſicoloribus armis*, id eſt, depictis: & apud Plinium ſæpènumero. Sed obſervandum, quòd apud noſtros verſicolor dicitur lana, quæ tincta eſt, quia colorem nativum mutavit, ac convertit in eum, quo tincta eſt: cùm in lanam non cadat illa varietas & mutatio colorum, de quâ modò diximus. Cæterùm cùm agunt de tela, aut veſte, quæ illam varietatem colorum recipere poteſt,
3 in eodem ſenſu hoc verbum accipiunt. Ita interpretor Pauli verba in *d. l. pediculis §. Titia ff. de aur. & arg. veſtem tam coloriam, quàm verſicoloriam*: coloriam, quæ unius tantùm coloris: *verſicoloriam*, quæ varii coloris. Animadverto enim ibi agi de legato mundi muliebris à matrona relicto: matronæ veſtibus coloratis utebantur. Legendus Ovidius *lib. 3. de art. aman.* qui à *verſ.* 168. uſque ad 200. puellas inſtruit, quibus coloribus imbutas veſtes induere debeant in publicum procedentes ad conciliandum amorem. Septicia igitur legato mundi muliebris putabat contineri veſtem tam coloriam, quàm verſicoloriam. Cujac. *ad Paul. recept. ſentent. colorias* putat eſſe veſtes non tinctas: nativi coloris: quo nomine reprehenditur à Salmaſ. in *Vopiſc. in vita Aureliani.* Salmaſio aſſentior: neque enim adduci poſſum, ut credam coloria dici, quæ tincta non fuere: & coloreas veſtes, quæ nullo colore fuerunt imbutæ. Certè nos dicimus: *veſti colorate*: *veſti di colore*, quæ colore aliquo infectæ fuerunt. In eo auſim ab eo diſſentire, quòd putat colorea eſſe, quæ ſunt varii coloris ποικίλα, ποικιλόχρωμα; idem enim ſignificaret *coloria*, & *verſicoloria*: quæ diſtinguuntur in noſtra lege. Atque abſurdè diceremus, ut arbitror, veſtis *coloria* legato comprehendi veſtem varii coloris: *verſicoloria* autem, quæ unius eſt coloris; repugnat enim uſus Latini ſermonis. Nec me movent verba teſtamenti Auguſti: *gauſapes lodices purpureas, & coloreas meas*: quæ, ut ait, maniſeſtò oſtendunt *coloreas* eſſe, quæ ſunt varii coloris: *aliter enim non video* (inquit) *quare debuerit Auguſtus purpurearum gauſaparum meminiſſe; nam coloreas dicendo, utique & purpureas complexus eſſet.* Sanè ego video, aut videre puto: nam coloreæ purpureas non continebant; aut ſaltem dubitari poterat, an continerentur. Etenim etiam in legato, verſicolorium, quod apud J C. ut diximus, omnem lanam tinctam quocumque colore comprehendebat, tamen purpuram non complectebatur ex ſententia Pauli *d. lib. 3. ſent. tit. 8.* Non ſine cauſâ igitur purpurearum gauſaparum meminit Auguſtus; quia propter excellentiam purpuræ, & immane pretium mentio ejus facienda erat. Auguſti tempore, ut notat Plin.

Digitized by Google

lib. 9. c. 39. dibapha Tyria mille denariis in libras emi non poterat : & Ovid. loco laudato.

> *Cùm tot prodierint pretio leviore colores :*
> *Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuo ?*

Præterquàm quòd tum à Julio Cæſare, tum ab ipſo Auguſto purpuræ uſus fuerat privatis interdictus. Sueton. in *Jul. Cæſ. c.* 43. Dio in *Auguſto*. Quocircà mentio purpuræ erat propè neceſſaria ; purpureæ enim veſti colorea opponebatur. Vopiſcus in *Aureliano*. *Idem conceſſit, ut blatteas matronæ tunicas haberent, & cæteras veſtes ; cùm anteà coloreas habuiſſent, & ut multùm oxypæderotinas.* An verò non habuerunt veſtes unicolores ? Hoc facillimè probari poſſet ; ſed non eſt hujus loci hæc accuratiùs examinare : hoc tantùm dico ; in noſtro §. *Titia* : in quo veſtes coloriæ diſtinguuntur ac ſecernuntur à verſicoloribus, prorſùs abſurdè perverti verborum ſignificationem exponendo colorias eſſe verſicolorias:& contrà verſicolorias eſſe uni colores.

4 Redeo ad diſſidium Pauli & Ulpiani. Multa ſunt in quibus diſcordant.

I. *Lanà legatâ, id legatum videtur, quod tinctum non eſt, ſed αὐτοφυὲς*, ait Ulpian. in *l. ſi cui lana* 70. *in princ. & §. & ſciendum ff. de leg.* 3. *Lana legata, verſicoloria legato cedit.* ait Paulus *lib.* 3. *rec. ſent. tit.* 8. §. 86. & confirmat in *l. pediculis* 32. §. *Labeo ff. de aur. & arg. leg.*

II. Legatâ lanâ ſtamen, ſubtemenve contineri, ait Ulpianus ex ſententia Sabini in *d.l.*70. §. *quæſitum.* Negat Paulus in *d.* §. 86. *Stamen, ſubtemenve hoc nomine non continentur.*

III. Verſicoloribus legatis, *purpuram & coccum quoniam nihil nativi coloris ſunt, contineri arbitror* ait Ulpian. in *d. l. ſi cui* 70. §. *verſicoloribus.* Contrà Paulus in *d.* §. 86. *Lanâ legatâ, verſicoloria legato cedit, purpura verò non continetur.*

Non ſolùm à Paulo, ſed etiam à ſe ipſo diſſidet, ſecumque diſcordat Ulpianus in laudata *l. ſi cui* 70. Initio legis ait, lanâ legatâ, id quod tinctum non eſt, legatum videri. Contrà in §. *verſicoloribus ejuſ. l.* ait, lanæ appellatione ea omnia videri legata, quæ tincta ſunt, & neta. Illud quoque ipſum arguit inconſtantiæ, quod ait in §. *lino quidem ſi tinctum linum ſit, credo, lino continebitur.* Si lana tincta non continetur legato lanæ : cur linum tinctum continetur legato lini ? Nec ipſe rationem attulit : nec, ut arbitror, ſatis idonea poteſt afferri. Rurſus linum, quod in tela eſt, ait contineri : lanam autem, quæ in tela eſt, non contineri ait in ſuperiore §. *lanæ appellationem.*

Quomodò ſcopuloſa hæc & abrupta præ- 5
tervehemur ? Enimverò diſſidium inter Paulum & Ulpianum diſſimulari componique non poteſt. Et quidem quantùm attinet ad ea, quæ ſecundo & tertio loco ſunt expoſita, non eſt neceſſe ingenii nervos intendere ad conciliandas contrarias utriuſque ſententias. Nam cùm ſola Ulpiani ſententia in noſtras leges fuerit relata, ea ſola vim legis habet, utpotè à legiſlatore probata ; exploſâ rejectâque contrariâ. Quantùm autem attinet ad primum ; cùm utraque ſententia Pandectis inſerta ſit ; videndum, quæ ſit probabilior. Planè probabiliorem eſſe Pauli ſententiam nullus dubito : cùm ab eo evidenti ratione confirmetur ; quòd lana tincta non deſinit eſſe lana. Tinctura non mutat lanæ formam : non transfert in aliam ſpeciem : igitur juxta regulam juris non perimit legatum. Porrò mirari ſubit Ulpianum, qui lanæ appellatione putavit contineri lanam netam, ſtamen, ſubtemen, pelles lanatas : & hoc ampliùs, lanam leporinam, & anſerinam, & lanuginem ligno decerptam ; nempè goſſipium, ſeu xylon, negare contineri lanam tinctam, quæ verè lana eſt : cùm illæ per quamdam ſimilitudinem lanæ dicantur. Ἐριόξυλον *lana lignea* verè lana non eſt : lino ſimilior eſt ; imò lino maximè ſimilem dicit Pollux ; eamque inter lina recenſet *lib. 7. cap.* 17. itemque Plin. *lib. 19. cap.* 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui goſſipium, plures xylon, & ideò lina indè facta xylina* : & *lib.* 12. *c.* 11. *Juba circà frutices lanugines eſſe tradit ; linteaque ea Indicis præſtantiora.* Arrianus in *Indicis* : ἐσθῆτι δὲ Ἰνδοὶ λινέῃ χρῶνται, &c. λίνου τοῦ ἀπὸ τῶν δενδρέων. *Veſte lineâ utuntur Indi : ex lino quod ex arboribus colligunt.*

Digitized by Google

Curtius *lib.* 8. *cap.* 9. in deſcriptione Indiæ: *Terra lini ferax: inde pleriſque ſunt veſtes*; & deindè. *Corpora uſque pedes carbaſo velant*. Rursùs de Rege. *Diſtincta ſunt auro & purpura carbaſa, qua indutus eſt*. Hinc Propert. *lib.* 4. *eleg.* 3. *propè fin. Raptaque odorato carbaſa lina Duci*. Philoſtratus quoque linum vocat, quo Indi utuntur. De hoc lino Plin. *d. c.* 1. *Veſtes indè ſacerdotibus Ægyptii gratiſſima*. Appellanturque *linigeri* dicebantur, & hoc nomine deſignabantur. *Linigeros* dicit Martialis *lib.* 12. *ep.* 29. *linigeram turbam* appellat Ovid. Metam. *lib.* 1. Iſidis ſacerdotes: & linigeram Iſim *lib.* 2. *Amor. eleg.* 2. *verſ.* 25. alii legunt *niligenam*. Gregem linigerum vocat Juven. *Satyr.* 6. *verſ.* 534. Ulpianus noſter *erioxylon* nominavit, & hujus nominis ſignificatione ſeductus tradidit eam quoque legato lanæ contineri; nam *erion* à græcis lana dicitur. Neque curavit, quòd Græci etiam linum non rarò *erion* dicunt. Heſych. λῖνον ἔριον linum erion. maximè cùm de goſſypio agunt, quod promiſcuè linum, & lanam vocant, quia utrique ſimile eſt; lino autem ſimilius. Suidas in verbo Πάμβαξ ait vulgò à Græcis vocari βαμβάκιον: undè nos diximus *bambagia*, vel à bombyce. Plin. *lib.* 19. *cap.* 1. *cujus ex interiore bombyce lanugo netur*. Id. *lib. c.* 12. *Ferunt mali cotonei amplitudine cucurbitas, quæ maturitate rupta oſtendunt lanuginis pilas, ex quibus veſtes pretioſo linteo faciunt*. Hinc ad nos derivatum eſt nomen *Cotone*. Lanuginem non netam dicimus *cotone*: netam verò *bambagia*. Nemo tamen cùm lanam nominat ſentit de *cotone*, aut *bambagia*. Uſus ſcriptorum, & conſuetudo loquendi ſemper hæc à lanâ diſtinguit. Itaque legato lanæ apud nos hæc non continerentur. Multò minùs contineretur lana anſerina, quæ certè lana non eſt, ſed pluma anſerum, aut anatum. Pluma ſemper appellatur, ut à Plin. *lib.* 10. *c.* 22. Atque haud ſcio, an ullus veterum umquàm lanam vocaverit: nam neque netur, neque veſtes ex eâ fieri poſſunt. Tomentum tantummodò præſtat ad farciendas culcitas, pulvinaria, pulvinos. Tomentum autem nomine lanæ non continetur auctore ipſo Ulpiano in *d. l. ſi cui §. lanæ appellatione*. Eadem ferè dici poſſunt de lanâ leporinâ, quæ pilus eſt, non lana. Si pilus leporum lanæ appellatione continetur; multò magis pilus cuniculorum, qui mollior eſt, & lanæ ſimilior: cur non & vulpinus? Sed hi omnes pili dicuntur, non lana: & potiùs capilli, ut poeticè Catullus: *epigr.* 25. *mollior cuniculi capillo*.

6 Quò confugiendum? Lex enim ita ſcripta eſt. Unicum perfugium eſt teſtatoris voluntas, ad quam confugit ipſe Ulpianus in §. *verſicoloribus in fin.* Ibi: *niſi aliud ſentit teſtator*. Sed illud quæritur, cuinam incumbet onus probandi voluntatem teſtatoris. Si legata fuerit lana, & legatarius petat etiam goſſypium, pilum leporinum, plumam anſerinam: dici poteſt eum probare debere, teſtatorem ea quoque legare voluiſſe; neque enim ex verborum ſignificatione continentur. Verùm, quia lex ipſi favet, leves etiam probationes ſufficere crediderim. Quòd ſi legatâ lanâ hæres recuſet dare lanam tinctam, ipſe probare debebit teſtatorem hanc noluiſſe comprehendere: obſiſtit enim hæredi & verbi ſignificatio, & auctoritas Pauli in *d. l. pediculis §. Labeo ff. de aur. & arg. leg.* Quemadmodùm legatis verſicoloribus, ſi hæres neget purpuram contineri: ipſe probare debet aliud ſenſiſſe teſtatorem. Non diffiteor, in his quædam occurrere, quæ aliquo modo generalibus juris regulis repugnant: ſed ut ſyrtes oppoſitas prænavigemus, hæc mihi videtur eſſe via tutiſſima.

7 Venio ad ea, in quibus à ſeipſo diffidere videtur Ulpianus. Initio legis ait, lanam tinctam legatâ lanâ non contineri: in §. *verſicoloribus* ait lanæ appellatione ea omnia videri legata, quæ tincta ſunt & neta. Sunt hæc contraria. Doctiſſimus Petrus Faber putat textum eſſe corruptum, eumque ita emendat: *& conſtat apud veteres lanam appellatione verſicolorum non contineri; ſed ea omnia &c.* Probatur à Cujacio: nec quicquam poteſt ſententiâ Ulpiani convenientius excogitari. Verùm ſi quis ab omni legum emendatione abhorreat, poterit commodè legem ita explicare.

8 In laudato §. Ulpianus duas quæſtiones

Digitized by Google

de verſicoloribus ſuſcipit explicandas : quando in legato contineantur : & quid ipſa contineant. Proponit enim generaliter videre de verſicoloribus. De his autem hæ duæ occurrunt quæſtiones. Ad primam reſpondet : *conſtare apud veteres lanæ appellatione verſicoloria non contineri.* Ad ſecundam : legatâ lanâ verſicolori *ea omnia videri legata, quæ tincta ſunt & neta, quæ neque detexta neque contexta ſunt.* Subjicit deindè quæſtionem de purpura : & eam quoque hoc legato contineri putat contra Paulum ; ut diximus. Animadvertendum autem eſt, Ulpianum loqui de lana verſicolori, ut demonſtrant illa verba : *quæ tincta ſunt, & neta, quæ neque detexta, neque contexta ſunt.* Si ageret in genere de legato verſicolorum, etiam detexta aut contexta continerentur. Senſus igitur ejus legis eſt. Lanæ appellatione verſicoloria non contineri ; ſed lanæ verſicoloris appellatione ea omnia videri legata, quæ tincta ſunt, & neta. Conciſâ brevitate, ut ſolent JCC. non repetit verba illa : *lanæ verſicoloris*, quæ ſuppleri facilè poſſunt ex antecedentibus ; ex quibus apertè conſtat eum agere de lana, & ſpeciatim de lana verſicolori.

9 Multò difficilius eſt explicare, cur legato lino debeatur etiam, quod tinctum eſt, quodque in tela eſt *d. l. ſi cui* 70. §. *lino autem ff. de leg.* 3. cùm in legato lanæ ſuprà fuerit contrarium conſtitutum. Planè videtur confugiendum ad *l. non omnium* 20. *ff. de legib.* niſi dicamus Ulpianum, qui lanæ legatum reſtrinxit ad lanam non tinctam contra multorum opinionem ex Sabini ſententiâ, noluiſſe eam ad linum producere, de quo fortaſsè Sabinus non loquebatur ; eâ ipſâ ratione, quâ movetur Paulus in *d. l. pediculis* : quòd linum tinctum, linum eſt. Quæ ratio etſi non minùs lanæ, quàm lino conveniat : tamen apud Ulpianum plus quàm ratio, valuit auctoritas Sabini, cujus commentarios illuſtrabat, & exponebat in ea lege. Nec arbitror improbabile, linum à lana ſeparaſſe propter aſſiduum lanæ in veſtibus uſum, eamque mille coloribus inficiendi conſuetudinem : lanificium omnium feminarum opus. Notat Sueton. in *Auguſto c.* 64. *Filiam, & neptes ita inſtituit, ut etiam lanificio aſſuefaceret.* De colorum varietate quibus lana tingatur, ſuprà dixi. Nunc ſubjicio verſus Ovid. *lib.* 3. *de art. am.*

Quot nova terra parit flores : cùm vere tepenti
Vitis agit gemmas : pigraque fugit hyems :
Lana tot, aut plures ſuccos bibit : elige certos ;
Nam non conveniens omnibus unus erit.

In his multi erant pretioſi. Pretium igitur & ingens copia potuit adducere Ulpianum in ſententiam Sabini ; legato non comprehendi, niſi eſſet expreſſa. Non ita ſe res habet in lino. Rarus in veſtimentis lini uſus. Vide Ferrar. *de re veſt. lib.* 3. *cap.* 3. *part.* 1. & *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. Triplex erat communis lini uſus. Ad vela navium. Latè Plin. in *Præfat. lib.* 19. Ad retia. Hinc tam Latini quam Græci Scriptores lina pro retibus dixere. Virgil. 1. *Georg. verſ.* 142.

——— *pelagoque alius trahit humida lina.*

Ad loricas & thoraces. Corn. Nep. in *Iphicrate : Genus loricarum mutavit, & pro ferreis atque aeneis lineas dedit : quo facto expeditiores milites reddidit.* Sueton. in *Galba c.* 19. *Loricam tamen induit lineam quamquàm haud diſſimulans, parum adverſus tot mucrones profuturam.* Plin. *lib.* 19. *c.* 1. Virg. *Æneid. lib.* 10. *verſ.* 784. Sil. Ital. *lib.* 4. *verſ.* 292. Quomodò eas compingerent, inter doctos eſt magna diſſenſio. Vide Ferrar. *de re veſt. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. Quod ad nos attinet, apparet veteres raró linum tinxiſſe : nam & tunica interior, quæ nudis carnibus admovebatur, tincta non erat. Itaque nulla causa erat ipſum excludendi à legato lini.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

Ad l. peculium 65. §. quadrigæ ff. de leg. 2.

SUMMARIUM.

1 *Quadrigæ legatum perit mortuo equo, qui quadrigam demonſtrat.*
2 *In quadrigis Circenſibus unus equus præcellebat, & toti quadrigæ nomen dabat.*
3 *Equi Curules proprium nomen habebant.*
4 *Ex nomine, patriâ, & genealogiâ æſtimabantur.*

1 PRomiſſa jam abſolvamus. Expoſitâ hâc lege promiſſi munus omne confecero. Sed ea multò difficilior eſt, quàm plerique fuerint opinati. Verba Papiniani ſunt hæc. *Quadrigæ legatum, equo poſteà mortuo, perire quidam ita credunt; ſi equus ille deceſſit, qui demonſtravit quadrigam: ſed ſi medio tempore deminuta ſuppleatur, ad legatarium pertinebit.* Quis eſt equus, qui demonſtrat quadrigam? In Baſilicis dicitur equus præſtantiſſimus. Sed cur equus præſtantiſſimus demonſtrat quadrigam? Quid ſignificat iſtiuſmodi locutio? Quid eſt demonſtrare quadrigam? Cur equus, qui quadrigam demonſtrat cæteris præſtantior eſt? Cur eo mortuo perit quadrigæ legatum? An legatum equitii exſtinguitur mortuo equo præſtantiſſimo, vel legatum gregis mortuo bove optimo, ac pinguiſſimo? Minimè verò *l. grege legato 21. & ſeq. ff. de leg. 1. §. ſi grex 18. inſt. tit. de legat.* Quid cauſæ fuit, cur id ſingulariter conſtitueretur in quadriga? Hæc omnia ad explicandum impeditiſſima expediam, ut ſpero, commodiſſimè; paucis præmiſſis, & animadverſis.

2 I. Hæc lex intelligenda, non de omni quadrigâ, ſed de quadriga Circenſi: de quadriga, quæ in ludis Circenſibus curſu decertabat. At proponitur à Papiniano generatim legatum quadrigæ. Ita profectò. Sed non ait exſtingui legatum mortuo uno equo quadrigæ: imò indicat mortuo uno equo, non exſtingui legatum quadrigæ, ſicut non exſtinguitur legatum equitii per mortem unius equi. Et hoc verum eſt generatim in quâcumque quadrigâ. Verùm quia in quibuſdam quadrigis præcellit unus inter omnes, iſque demonſtrat quadrigam: eo caſu per mortem ejus equi legatum quadrigæ diſſolvitur. Hoc autem eveniebat in quadrigis Circenſibus, quas unus equus demonſtrabat, cùm toti quadrigæ nomen daret: ut mox dicemus. Quòd ſi & inter quadrigas militares ejuſmodi equus fuerit, qualem modò deſcribemus, vel in quadriga triumphali: ſi quis velit eam quoque hâc lege comprehendi; non repugnabo. Sed in his ejuſmodi equus à ſcriptoribus non memoratur; ſed ſolùm in Circenſibus, in quibus erat propè neceſſarius. Etiam hoc ampliùs; quadrigæ nomine κατ' ἐξοχὴν plerùmque Circenſibus quadriga à ſcriptoribus ſignificatur: ut à Sueton. in *Tib. Claudio c. 21.* & in *Domitiano c. 4.* à Symmacho *epiſt. 21. lib. 9.* & aliis. Sicut equi curules dicuntur equi Circenſes, ut in *rubr. & tit. C. Theod. de equis curul.* & in *d. ep. 21.* Excellebant enim ſupra omnes, ex quàcumque orbis parte, quæ veloces ac generoſos equos produceret, Romam traducti, ab imperatoribus & magiſtratibus diſtribuebantur quatuor factionibus; à quibus nec poterant ad vicinos populos tranſmitti; nec ad alios uſus transferri *l. 2. C. Theod. de equ. Curul. l. 6. de Scenic. l. 19. de prætor. & quæſt. eod. C.* Symmach. *lib. 9. ep. 20. & 22.* Nec poterant à magiſtratibus donari niſi permittente imperatore. Capitolin. in *Gord. de Gordiano Seniore Conſule. Equos Siculos centum: Cappadoces centum, permittentibus Imperatoribus, factionibus diviſit*: Et per hæc populo ſatis charus, qui ſemper talibus commovetur. Ita ſanè de populo Romano Juven. *Sat. 10. v. 80,*

> —— *atque duas tantum res anxius optat*
> *Panem, & Circenſes.* ——

Tam anxiè autem, tam avidè, tam curioſè quadrigarum curſum ſpectabat, ut Martialis *lib. 7. ep. 7.* ad exaggerandum amorem, ac

deſiderium populi erga Domitianum abſentem, ita fuerit ipſum allocutus.

Adeòque mentes omnium tenes unus :
Ut ipſa magni turba neſciat Circi :
Utrumne currat Paſſarinus, an Tigris.

Paſſarinus, & Tigris tum temporis duæ celebres quadrigæ, ut paulò poſtà dicemus. Tantus autem erat populi favor aliis ad alios equos, factioneſque propenſis, atque eò temeritatis, ac furoris aliquandò proceſſit, ut ſeditiones conciverit. Vide Caſſiod. *lib.* 1. *ep.* 20. 27. 31. & 32. imò & bellum civile. Paul. Diacon. *lib.* 4. *cap.* 11. *Hujus* (Phocæ Imperatoris) *tempore Praſini, & Veneti per Orientem & Ægytum civile bellum fecerunt, ac ſe mutuâ cæde proſtraverunt.* De equorum curulium gloriâ, nobilitate, laude in *lib.* 6. *C. Th. de Scenic.* & apud Symmach. *lib.* 4. *ep.* 60. & *ſeq.* & *ep.* 65. De cura, maximâque ſollicitudine tum Imperatorum, tum magiſtratuum circa ludos circenſes, equoſque curules paſſim Suetonius, & hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores; necnon Symmach. in *epiſtolis modò laudatis*, itemque Caſſiodorus & Cod. Theodoſ. in *tot. tit. de Equis Curul.* & in *l.* 1. *& tribus ſeqq.* & aliis ferè omnibus *tit. de Prætor. & Quæſt.* & *l.* 6. *de Scenic.* Quocircà non mirum, ſi equorum curulium & quadrigarum nomen ad Circenſes ſæpenumero referatur.

II. Singuli equi curules, ad certandum in Circo deſtinati, proprium nomen habebant, ipſis inditum vel à velocitate, vel à colore, vel à patria, vel à natura ipſius equi, vel à celeberrimis apud Poetas equis, vel ab aliis rebus arbitrio domini, vel aurigæ. A velocitate dicti: Tigris, Volucris, Incitatus. A colore: Phœnix, Badius, Nitidus, Floridus. A patria: Caucaſus, Pelorus, Tuſcus, Maurus. A natura equi: Pertinax, Petulans, Faſtidioſus, Hilarus. Ab equis veteribus: Arion, Pegaſus, Cyllarus. Alia propè infinita nomina recenſentur in inſcriptione, quam edidit doctiſſimus Panvinius in *lib.* 1. *de Lud. Circenſ. cap.* 13. ad cujus explicationem adjecit catalogum equorum: alia à poëtis, Statio *lib.* 6. *Thebaid.* Silic. Ital. *lib.* 16. *Punicor.* Auſon. in *Epit. p.* 35.

Hæc equorum curulium nomina mutari vetuerunt imperatores in *l.* 1. *de equis Curul. C. Theodoſ. Illud quoque ſinceritas Tua præcipiat obſervari, ne Græcorum Equorum nomini, qui hinc miſſi fuerint, commutentur.* Prohibitio eò ſpectat, ne emptores, aurigæ, factiones, in fraudem illicerentur. Ex nomine enim tum ipſius equi; tum ejus patriæ & originis æſtimabantur; populi favorem aucupabantur; præmia conſequebantur. Itaque in hâc lege Palmatiis, & Hermogenianis equis ex horreis fiſcalibus alimonia decernitur. Simmach. mandat Patruino *adhibere cuſtodiam, ne quâ eos* (equos curules) *fraus avara Commutet.* Sil. Ital. *lib.* 16. *verſ.* 330.

Hos patria favor: hos accendit nobile nomen
Antiqui ſtabuli.

Stat. *lib.* 5. *Sylv.* in *Protrep. ad Criſpin. verſ.* 12.

—— *Romulei qualis per jugera Circi*
Cum pulcher viſu, titulis generoſus avitis
Exſpectatur equus, cujus de ſtemmate longo
Felix emeritos habet admiſſura parentes.

Scitè dixit *emeritos*: certabant enim uſque ad viceſimum annum: *poſt viceſimum annum mittebantur ad ſobolem reparandam.* Plin. *lib.* 8. *c.* 42. Equorum genealogias non minoris æſtimabant; quàm hominum, & familiarum. Etenim, ut ait Horatius, *eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus*; eaque pravâ educatione non depravatur; ut ſæpenumero contingit in hominibus. Quamobrem poëtæ in diſcribendis ludis Circenſibus, præter nomen equorum, patriam etiam & originem, & genus adjiciunt. Hinc apud Silium *Callaïcus Lampon*: *Aſtur Panchates.* Plin. *lib.* 8. *c.* 48. *In eadem Hiſpania Gallaïca gens & Aſturica, equini generis &c.* Et de Peloro Sil. Italic. *verſ.* 365.

Nullus erat pater: ad Zephyri nova flamina campis
Vectonum eductam genitrix effuderat Harpe.

De

Digitized by Google

De hâc geniturâ Plinius loco laudato. *Conſtat in Luſitania circa Olyſipponem oppidum, & Tagum amnem, equas Favoniâ ſlante obverſas animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri, & gigni perniciſſimum, &c.* & fuſiùs Virg. *lib.* 3. *Georg. verſ.* 273. *Conſtat*, inquit Plinius: ne quis eum reprehendat: communis enim erat, & antiquiſſima opinio ab Homero uſque deducta, qui *lib.* 16. *Iliad.* Achillis equos ex Zephyro vento genitos ait Homerum ſecutus eſt Calaber *lib.* 3. *lib.* 4. & *lib.* 8. Id. Sil. *lib.* 3. *verſ.* 379. & quod magis mirere, etiam Philoſophi, Hiſtorici, & ſcriptores Geoponici id retulerunt. Ariſtot. *Hiſt. Animal. lib.* 6. *c.* 18. ſiquidem id voluit ſignificare verbo ἐξανεμοῦσθαι, ut quidam putant. Solin. *cap.* 45. & *cap.* 23. Martian. Capella *lib.* 5. Columel. *lib.* 6. *c.* 26. ubi ait id eſſe notiſſimum. Varro *de Re Ruſt. lib.* 2. *c.* 1. ubi ait rem incredibilem eſſe, ſed veram. Nec abnuunt noſtri. Lactant. *lib.* 4. *c.* 12. *Quòd ſi animalia quædam vento, & aurâ concipere ſolere omnibus notum eſt.* Puto huic commento cauſam dediſſe quorumdam equorum ſingularem velocitatem, qui curſibus auras anteire dicuntur: propereà apud Sil. *verſ.* 427. auriga Pelorum incitat:

> *—— Genitore, Pelore,*
> *Te Zephyro eductum, nunc nunc oſtendere tempus.*

Multò antiquiorem originem Caucaſi narrat ibi Silius *verſ.* 369.

> *Ipſum, Ætola vago Diomedi condita Tyde*
> *Miſerat: exceptum Trojanâ ab origine equorum*
> *Tradebant: quos Æneæ, Simoentis adundas*
> *Victor Tydides magnis abduxerat auſis.*

Quos verſus perperàm exagitat Salmaſius in Exercitationibus Plinianis. Majore apparatu & exuberanti quâdam redundantiâ ad faſtidium uſque perſequitur cutulium equorum genealogiam Statius *Thebaïd. lib.* 6. à verſu 230. Tanti faciebant nomina, ſtirpemque & genus equorum non ignorare. Hæc ad explicationem laudatæ legis ſatis. Redeo jam undè diſceſſi.

5 III. Quamvis ſinguli proprium nomen haberent, ut oſtendimus; tamen quadrigæ proprium nomen non habebant: ſed illud mutuabantur ab equo præſtantiſſimo, qui quadrigæ dux erat, & auctor victoriæ cenſebatur. Erant quidem quatuor Romæ factiones à coloribus nominatæ: Praſina à viridi: Ruſſea vel Ruſſata à rubeo: Veneta à cæruleo: Albata, ab albo: eaſque ad quatuor anni tempora refert Caſſiodorus *lib.* 3. epiſt. 51. & ab his factionibus tum equi, tum quadrigæ nomen accipiebant. Sed hoc erat nomen generale: nam omnes quadrigæ, omnes equi factionis albatæ dicebantur *albati*: ut apud Plin. *lib.* 8. *c.* 42. *excuſſo in carceribus aurigâ albati equi palmam occupavere*: item *Ruſſati*, qui erant factionis ruſſatæ, atque ita cæteri. Imò etiam Aurigis hoc nomen communicabatur. Plin. *lib.* 7. *c.* 53. *in fin. Invenitur in actis Felice ruſſato aurigâ elato, in rogum ejus unum è faventibus jeciſſe ſeſe.* Igitur nomen generale dabat quadrigæ factio: nomen ſpeciale equus, à quo potiſſimùm victoria pendere credebatur. Hujus nomine totam quadrigam deſignabat Auriga: hunc compellabat, hortabatur, incitabat ad curſum: huic palmæ gloriam acceptam referebat. Quis autem eſſet in quadrigâ equus demonſtrator, ac deſignator quadrigæ; operæ pretium eſt explicare.

In quadrigis veterum, cùm omnes ad latera jungerentur, ut æquatâ fronte procederent; duo interiores, qui jugo juncti erant, *jugales* dicebantur: duo autem exteriores, qui hinc, & indè funibus aut loris à dextrâ, lævâque jugalibus adnectebantur, *funales* appellabantur. Funales digniores, ac præſtantiores jugalibus: quoniam plurimùm ad victoriam conferebant. Ad funem enim locabant equos, qui exercitatione, diſciplinâ, robore, velocitate præcellebant: quia ipſi & curſum circumflectere & adverſariis ſe opponere, æmulos effundere, currus evertere, excutere aurigas: atque his artibus victoriam debebant adipiſci. Funalium præſtantiſſimus erat ſiniſter: quia in ipſo maximum erat ad victoriam momentum. Ipſe enim appoſitè metam ſtringere debebat; ita ut nec in eam impingeret; nec ab ea longiùs deflecteret, adeòque longiorem curſum conficere cogeretur. In hoc ma- 6

ximum, ac penè unicum ad vincendum momentum eſſe veteres exiſtimabant. Neſtor apud Homerum Iliad. *lib.* 23. *verſ.* 319. cum multis ſequent. Theocr. *Idyll.* 24. *verſ.* 117. Nonn. *Dionyſ. lib.* 37. *verſ.* 201. *&c.* Non puto tamen hoc perpetuum fuiſſe: nam ſi equus primarius eſſet nimio plus ardentior, verberum, frænique impatiens, ferus, indocilis, cujuſmodi eſt Arion apud Statium, perverſè locatus fuiſſet ad lævam funalis. Neceſſe enim eſt, ut ſiniſter funalis docilis ſit fræni, & docilis parere Aurigæ regenti, quemadmodùm deſcribitur Pelorus à Silio *verſ.* 359. Quamobrem apud Homerum Neſtor filio præcipit, ut dextrum quidem equum laxatis habenis, & ſtimulis, & voce incitet ad curſum: ſiniſtrum verò inflectat ad metam cautè; ne, ſi præceps feratur, in eam impingat, & currum frangat, & equos debilitet. Apud Nonnum quoque pater admonet filium, ne utrumque ſtimulet, & pungat, ſed dextrum tantummodò impellat. In flexu enim dexter multò velociùs currere debet, cùm longius iter ab eo ſit peragendum, ſiniſter autem lentare curſum, ac leniter ſe torquere debet, ne aut hæreat currus ad metam, aut ab ea longè divertat. Quocircà, meâ ſententiâ ſcitè Statius Arionem ferum, indocilemque, & fervore ac ferocitate exultantem equum (ut ipſe narrat à *verſ.* 301. uſque ad 310.& infrà à *verſu* 501.) collocavit inter jugales, ut ab aliis circumjunctis effrænus ejus impetus reprimeretur, ardorque reſtingueretur. Eâdem de causâ & à Neptuno fuerat locatus inter jugales auctore eodem Statio *verſ.* 306.

Sæpè per Jonium, Lybicumque natantibus ire
Interjunctus equis.

Scilicèt in medio inter utrumque funalem junctus ad jugum. Planè cùm hæc non animadverterit Salmaſius, in maximas anguſtias conjectus à Statio ſe expedire non potuit. Scidit nodum, non ſolvit. Sanè quòd equi illi primarii & duces quadrigæ in medio collocarentur aliquandò ad jugum, conſtat ex veteri tabulâ & inſcriptione à Panvinio editâ. Ibi: *duobus introjugis equis Cotyno & Pompeïano*: & infrà: *Pompeiano & Lucido duobus introjugis.* Notat hoc inſcriptio quaſi ſingulare in eo curſu, quia Pompeïanus ſolebat ad funem currere. *In Pompeïano victor fuit* CLII. ergo Pompeïanus funalis. Item: *in Abigejo Victor eminuit.* Abigejus funalis: & tamen in certaminibus quibus ſeptem junxit equos, Abigejus & Pompeïanus inter jugales poſiti: Ibi: *Cotyno, Galatâ, Abigejo, Lucido, Pompeïano, introjugis quinque.*

Invitus etiam admitto arbitrariam ejuſdem 7
Salmaſii correctionem verſuum Auſonii in *epitaph.* 35. cùm etiam retentâ vulgatâ concludi poſſit, quod Salmaſius intendit, hoc ordine conſtituto. Phoſphorus eſto ſiniſter funalis: huic ſuccedat ad dextram Pegaſus jugalis: tertius Arion, quartus Cyllarus equus Caſtoris funalis dexter, ad cujus lævum latus junctus eſt Arion: ideòque dicitur *Lævus Arion*: Lævus Cyllaro, non Phoſphoro, aut Pegaſo, quibus nonniſi dexter eſſe poteſt. Diſtinguendo equos, quemadmodùm ab ipſo temone diſtincti ſunt, ac ſeparati, duo ſunt ad lævam temonis: duo ad dextram, ad lævam Phoſphorus funalis, atque ipſi dexter Pegaſus jugalis: ad dextram autem Cyllarus dexterior funalis, eique lævus Arion alter jugalis.

Quòd ſi quis opinaretur primarium equum interdum fuiſſe dextrum, non lævum funalem, poſſet tueri opinionem ſuam illis Silii verbis *verſ.* 356.

Tertius æquatâ currebat fronte Peloro
Caucaſus.

Si Caucaſus eſt funalis ſiniſter, neceſſe, ut Pelorus, qui æquat cum eo frontem, ſit funalis dexter. Niſi dicamus, quòd nomine Caucaſi, non ſolùm equum Caucaſum, ſed tertiam quadrigam intelligit: itemque nomine Pelori quartam. Illud certè falſum eſt, quod ſcripſit Salmaſius, Caucaſum, & Pelorum ejuſdem quadrigæ funales fuiſſe; alterum ſiniſtrum, alterum dextrum. Duæ erant quadrigæ, Caucaſus, & Pelorus. Pelori Auriga Durius: Caucaſi Atlas. Manifeſtè Silius *verſ.* 366.

Digitized by Google

Nobilis hunc Durius ſtimulabat in æquore currum
Caucaſus antiquo fidebat Atlante magiſtro.

Hunc, nempè *Pelorum*, quem paulò antè nominaverat, & *verſ.* 378.

At poſtremus Atlas: ſed non & ſegnior ibat
Poſtremò Durius: pacis de more putares
Æquatâ fronte, & concordi currere fræno.

En! duos aurigas, duos currus, qui æquatâ fronte currebant. Sentio jam cum Arione me à meta deflexiſſe, & exerraſſe: nunc ad metam redeo. Uter fuerit equus primarius, ſiniſter, an dexter, funalis, an jugalis, ad rem noſtram nihil attinet. Illud magni refert, quod certum eſt, & non controverſum, ab illo equo præcipuo ac primario, demonſtratam fuiſſe quadrigam: ejuſque nomine totam quadrigam ſolitam comprehendi.

Quamvis de hoc nulla ſit inter doctos controverſia, tamen id probare ad explicationem noſtræ legis plurimùm conferet. Silius Ital. laudato *lib.* XVI. *Punic.* in ludis Circenſibus à Scipione celebratis quatuor quadrigas, ut moris erat apud Romanos, inducit in Circum: & ſingulas deſignat nomine ejus equi, qui in ea primas agebat: primam nomine *Lamponis* equi: ſecundam *Panchatis*: tertiam *Caucaſi*: quartam *Pelori*. Et cùm ſecunda quadriga viciſſet, *Panchati* victoria tribuitur: *verſ.* 441.

Intereà metis certus jam laudis agebat
Seſe Panchates, & præmia prima petebat
Arduus.

Haud aliter Stat. *lib.* 6. *verſ.* 527.

Forſitan & victo prior iſſet Arione Cygnus
Sed vetat æquoreus vinci pater: hinc vice juſta
Gloria manſit equo.

Auſonius *epitaph.* 35.

Phoſphore clamoſi ſpatioſa per æquora Circi
Septenas ſolitus victor obire vias.

Martialis quoque nomine Tigris, & Paſſerini præſtantium equorum, duas quadrigas deſignat *lib.* 7. *ep.* 6.

Ut ipſa magni turba neſciat Circi,
Utrumne currat Paſſerinus, an Tigris.

Antiqua tabula Romæ inventa, quâ Dioclis celeberrimi aurigæ epitaphium, & acta deſcribuntur: ſæpè nomen equi victoris uſurpat pro ipsâ quadrigâ, veluti: in Victore Tuſco: in *Bubalo* vicit: in *Pompeiano* victor fuit: in *Abigejo* victor eminuit, & ſine flagello: vide Panvin. *de Lud. Circen. lib.* 1. *cap.* 14.

His præmonitis clara res eſt; & manifeſta Papiniani ſententia. *Mortuo equo qui demonſtravit quadrigam:* ait Papinianus. Hic eſt equus princeps, & dux quadrigæ; in quo ſita erat ſpes victoriæ; in quo vincere agitator quadrigæ dicebatur. Is enim quadrigæ nomen dabat, quo ab aliis quadrigis diſtinguebatur. Finge: legata erat quadriga, *Tigris* vel *Paſſerinus*: mortuo equo *Tigri*, vel equo *Paſſerino* legatum exſtinguitur; non eâ de causâ, quòd deſinat eſſe quadriga: nam deſinit eſſe quadriga etiam mortuo alio quocumque equo, qui quadrigam componeret. Quemadmodùm autem non exſtinguitur legatum domûs, eâ dirutâ aut exuſtâ, licèt deſinat eſſe domus; non exſtinguitur legatum gregis eo ad unam ovem redacto, licèt grex eſſe deſierit, ut ſuprà expoſitum eſt: ita non exſtinguitur legatum quadrigæ, licèt uno equo mortuo deſierit eſſe quadriga. Igitur hæc ſola cauſa non ſufficit ad tollendum legatum; niſi illud quoque accedat, ut moriatur equus, qui quadrigam demonſtravit. Hoc interempto, videtur quodammodo tota interiiſſe quadriga, quaſi fuerit ſpiritus, & anima totius quadrigæ: ejuſque contemplatione teſtator quadrigam legaſſe videatur: ſicut mortuo bove neque corium, neque caro debetur, quia ſublato ſpiritu animâque, & immutatâ formâ, non eſt ampliùs bos, quem voluit legare teſtator. Ab illo equo pendebat victoria: causâ autem vincendi quadrigæ comparabantur, & alebantur.

Digitized by Google

Victorum maxima erant præmia. Martial. *lib.* 10. *ep.* 74. *ad Romam.*

> *Cùm Scorpus unâ quindecim graves horâ*
> *Ferventis auri victor auferat ſaccos.*

Scorpus celeber Auriga cujus epitaphium idem Mart. *ep.* 50. & laudes ſcripſit *ep.* 53. ejuſd. libri. Juven. *Satyr.* 7. *v.* 114.

> ——— *veram deprendere meſſem*
> *Si libet : hinc centum patrimonia cauſidicorum*
> *Parte aliâ ſolum ruſſati pone Lacernæ.*

Sed & equo præmia. Capitolin. in *Vero. In hujus equi gratiam* (Volucris) *primùm cœperunt equis aurei, vel bravia poſtulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo Praſinianorum ſæpè modius aureorum poſtularetur.* Idem narrat Dio in *Caracalla*, & in *Nerone lib.* 61. *Propoſuit Nero equis præmia, & peractus eſt curſus Circenſis.* Qui plura volet, adeat ſuprà laudatam tabulam à Panvinio editam & explicatam, ex qua apparet, Dioclem Agitatorem immenſas opes coëgiſſe.

11 Accedebat immoderata, & ſæpè ad inſaniam uſque provecta dominorum affectio. Caligula *Incitato equo præter equile marmoreum & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis; domum etiam, & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautiùs nomine ejus invitati acciperentur : conſulatum quoque traditur deſtinaſſe.* Hæc & plura vide apud Sueton. in *Caligula c.* 55. & Dionem *lib.* 59. *in fin.* ubi addit, hunc equum collegam ſibi in ſacerdotio, ſui ipſius cooptaſſe. Commodus etiam Pertinacem equum efflictim amavit. Dio *lib.* 73. *in Pertinace.* De Vero cœtera optimo Imperatore Capitolin. *Nam & Volucri equo Praſino aureum ſimulacrum fecerat, quod ſecum portabat. Cui quidem paſſas uvas, & nucleos in vicem hordei in præſepe ponebat : quem ſagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad ſe adduci jubebat, cui mortuo ſepulcrum in Vaticano fecit.* Adrianus quoque Auguſtus & alii multi equis ſepulcra poſuere. Spartian. in *Adrian.* Auſon. *epitaph.* 35. Plin. *lib.* 8. *c.* 42. Ælianus, & alii. Accedebat gloria immortalis & fama, quam victores conſequebantur. Notum eſt illud Horatii. *Metaque fervidis evitata rotis terrarum dominos evehit ad Deos.* Pro omnibus ſit Pindarus.

His obſervatis manifeſta eſt ratio, cur quidam crediderint, mortuo equo, qui quadrigam demonſtrabat, quadrigæ legatum exſtingui. Quòd ſi diminutâ quadrigâ medio tempore ſuppleatur, ad legatarium pertinebit : ſcilicèt ex voluntate teſtatoris, qui ſupplendo quadrigam, tacitè declarat, ſe velle deberi legatum.

Iis, quæ hactenùs diximus, conſequens eſſe videtur, non facilè hanc legem ad alia legata eſſe producendam : quandoquidem vix eſt, ut in allo legato his ipſis ſimilia concurrant.

CAPUT XXX.

Ad l. ſi filiusfamilias 16. *ff. de liber. & poſt.*

SUMMARIUM.

1 *Suus hæres accepto vulgari ſubſtituto, non fit voluntarius, ſed manet neceſſarius.* Exponitur *l. ex contractu* 44. *ff. de re jud.*

2 Exponitur *l. Lucius* 45. *ff. de vulgar. & pup. ſubſtit.*

3 *Neceſſarius, ſi inſtituatur ſub conditione, ſi volet, fit voluntarius.*

4 *Inſtitutio ſub conditione* ſi volet, *longè differt ab inſtitutione, cui ſubjecta eſt ſubſtitutio vulgaris.*

5 *Conditio* ſi volet *longe differt à conditione, ſi hæres non erit.*

6 *Subſtitutio non eo animo fit, ut adeundi neceſſitas tollatur inſtituto.*

7 *Prætor dando liberis beneficium abſtinendi non facit eos voluntarios.*

8 *Prætor vult liberos ab oneribus non ſpontè ſuſceptis liberare, non defunctorum voluntates evertere.*

9 *Hæredem ſuum inſtitui ſub conditione poteſtativâ idem non eſt, ac ei dari vulgarem ſubſtitutum.*

10 *Suus hæres non fit voluntarius, ex quo ſub poteſtativâ conditione inſtitutus ſit.*

11 *Subſtitutio vulgaris non eſt inutilis, etſi ſuus hæres inſtitutus maneat neceſſarius.*

12 *Exponitur l. 1. §. ſi proponatur ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*
13 *Explicatur textus noſter. & n. 17. 18. 19. 20. 21.*
14 *Hæreditatem antequàm deferatur, neque ſuus neque extraneus acquirere poteſt.*
15 *Momentum mortis vitæ tribuitur.*
16 *Conditionum poteſtativarum aliæ impleri poſſunt ultimo vitæ momento, aliæ non poſſunt.*

QUæſtio quæ hâc in lege ab Africano Proponitur, aliam quæſtionem excitavit perdifficilem, ac ſubobſcuram: an ſuus hæres, cui datus eſt vulgaris ſubſtitutus, de neceſſario fiat hæres voluntarius. Quæſtio nata ex perversâ hujus legis interpretatione; quâ nullam in toto Infortiato difficiliorem ſe inveniſſe Bartolus profitetur. Antequàm hanc legem interpretemur, eamque non eſſe adeò difficilem oſtendamus, pauca de propoſitâ quæſtione ſunt delibanda.

1 Quòd ſuus hæres accepto vulgari ſubſtituto non fiat hæres voluntarius, ſed maneat neceſſarius, & ſtatim à morte patris ipſo jure acquirat hæreditatem, probatur auctoritate Scævolæ in *l. ex contractu* 44. *ff. de re judic.* Pupilla tutore auctore ex contractu paterno condemnata, eodem auctore abſtinuit bonis paternis; & ita bona defuncti ad ſubſtitutum, vel cohæredes pervenerunt. Reſpondit Scævola, eos ex cauſâ judicati teneri, atque in eos dandam actionem. Duo hîc ſunt animadvertenda. Primum, quòd pupilla judicium ſuſcipiendo adversùs creditorem paternum hæreditati paternæ ſe immiſcet: nam ſuus pro hærede gerendo ſe immiſcet hæreditati *l. pro hærede* 20. *in princ.* & §. 1. *& per tot. ff. de acquir. vel om. her. l. cùm quidam* 14. *in fin. ff. de bonor. poſſeſſ.* Pro hærede autem geſſit pupilla, quia id citrà jus, & nomen hæredis facere non potuit: conventa enim fuit tamquàm hæres patris, neque enim alio titulo potuiſſet à patris creditore conveniri: tamquàm hæres judicium tutore auctore ſuſcepit, tamquàm hæres fuit à judice ad ſolvendum condemnata. Pro hærede igitur geſſit, ſeque immiſcuit hæreditati. Verùm quia hoc in pupillis eſt ſingulare, ut poſſint abſtinere, etiam poſteà quàm ſe immiſcuerunt *l. neceſſariis* 57. *ff. de acq. vel omit. hæred.* ideò opportunè monuit Scævola hæredem fuiſſe pupillam, neque enim aliter potuiſſet poſt immiſtionem ampliùs abſtinere. Prætereà obſervandum, quòd ait pupillam abſtinuiſſe hæreditate: non eam repudiaſſe. Repudiant hæredes voluntarii: abſtinent neceſſarii *d. l. neceſſariis.* Hæc omnia, quæ hâc lege continentur, propria ſunt hæredis neceſſarii; repugnant hæredi voluntario. Hæres enim voluntarius aditam hæreditatem ampliùs repudiare non poteſt *l.* 4. *C. de repud. hæred.* Neceſſarius abſtinere dicitur hæreditate, non voluntarius: ſolis enim neceſſariis Prætor dedit abſtinendi beneficium, non voluntariis §. *ſui autem in fin. inſtit. tit. de hæred. qual. & diff. l. impuberibus* 11. *& ſq. l. neceſſariis* 57. *ff. de acquir. vel omit. hæred.* Item abſtinendi hæreditate poſtquàm ſe immiſcuerint privilegium ſolummodò pupillis hæredibus neceſſariis datum eſt *d. l.* 11. & *l.* 57. non autem voluntariis, qui niſi impetraverint reſtitutionem in integrum, aditam hæreditatem repudiare non poſſunt *l. ult. C. de repud. hæred.* His animadverſis patet in eâ lege pupillam fuiſſe hæredem neceſſarium, licèt ei datus fuiſſet ſubſtitutus. Illud etiam demonſtrat hoc ipſum, quòd Scævola nullum diſcrimen conſtituit, ſive pupilla habuerit ſubſtitutum, ſive cohæredem. Atqui ſi cohæredem habeat ſuus hæres, non deſinit eſſe neceſſarius *l.* 3. *C. de jure de lib.* neque quiſquam dixerit ſuum hæredem pro parte inſtitutum, non eſſe hæredem neceſſarium: quod nemo umquàm vel juriſconſultorum vel Imperatorum dixit. Et quamvis aliqui exiſtiment, dato cohærede filio inſtituto, per ipſum non confirmari ſecundas tabulas juxta opinionem Juliani, quam refert, & probat Ulpianus in *l. apud Julianum* 11. §. *idem Julianus ff. ad S C. Trebell.* tamen id falſum eſt *l. ita tamen* 17. §. *qui ſuſpectam* 2. *ff. eod.* quæ eſt ejuſdem Juliani. Neque contrarium eſt, quod ex eodem Juliano refert Ulpianus in *d. l.* 11. Nam id intelligendum de filio exhæredato, de quo agit Julianus in hâc eâdem *l. ita tamen* §. *quòd ſi duo* 5. Hoc autem ſilentio prætermiſit Ulpianus, quia id expreſſerat manifeſtè Julianus, cujus ſententiam re-

Digitized by Google

ferebat. Suus autem exhæredatus non poteſt ſecundas tabulas confirmare, cùm hæres non ſit.

2 Secundò comprobatur auctoritate Pauli in *l. Lucius* 45. *ff. de vulgar.* Titius duos filios reliquit, Titianum impuberem legitimum in poteſtate exiſtentem: Titium filium naturalem. Ambo hæredes inſtituit, & invicem ſubſtituit. Titianus anniculus erat moriente patre, & poſt mortem patris mortuus eſt. Titius petebat ejus hæreditatem tamquàm ei ſubſtitutus: mater eamdem petebat tamquàm hæres filii ab inteſtato. Reſpondit Paulus hæreditatem legitimi filii ad matrem pertinere: quia vulgaris eſt ſubſtitutio, quæ locum habet ſolummodo in primum caſum: ſi inſtitutus hæres non erit. *princ. tit. inſt. de vulg. ſubſt. l.* 1. §. 1. *ff. de vulg. & pupill.* Ideò autem vulgaris eſt; quia cùm in filio naturali, qui non erat in poteſtate, non poſſit eſſe niſi vulgaris; in utroque vulgaris eſt *l.* 4. §. *ſed ſi alter ff. eod.* Ergo Titianus fuit hæres patris; neque enim excluderetur ſubſtitutus, niſi hæres fuiſſet. Hariolantur interpretes, qui ut vim hujus reſponſi declinent, aïunt Titianum adiviſſe hæreditatem, & ideo excluſum fuiſſe ſubſtitutum. Enimverò non ferendam negligentiæ notam inurunt Paulo, qui in facto referendo fuit diligentiſſimus. Non prætermiſit nomina hæredum, non eorum qualitatem: ætatem etiam filii defuncti deſcripſit. Expoſuit etiam paulò verboſiùs rationem, cur verbum commune *ſubſtituo* ſolam vulgarem contineret: quod erat fortaſsè minus neceſſarium, cum hâc de re extaret Severi, & Antonini conſtitutio, de qua in *l.* 4. §. *ſed ſi alter ff. eod.* Imprudentiſſimè autem id, quod erat maximè neceſſarium in facti narratione prætermiſit: puerum anniculum adiviſſe hæreditatem. Verùm meo judicio prætermiſit prudentiſſimè, cùm puer anniculus hæreditatem adire non poſſet *l. pupillus* 9. *ff. de acquir. vel omit. hæred.* Illud etiam prudentiſſimè ſignificavit, puerum anniculum, ut intelligeremus eum fuiſſe hæredem neceſſarium, & hoc ipſo excluſum fuiſſe ſubſtitutum, nec ad eum excludendum neceſſariam fuiſſe aditionem *l. in ſuis* 14. *ff. de ſuis & legit. hæred.*

Quibus contraria arridet ſententia, hoc 3
ſe tuentur argumento. Neceſſarius hæres ſub conditione, *ſi volet*, inſtitutus, de neceſſario fit voluntarius. *l. Cornelius* 69. *in fine l. jam dubitari* 86. *in princ.* & in §. 1. *ff. de hæred. inſtit. l. verba* 12. *ff. de condit. inſtit.* Atqui in vulgari ſubſtitutione, quæ fit ſub conditione: *ſi ſuus hæres non erit*, continetur illa conditio ſi voluerit hæres eſſe: ergo in ejus poteſtate poſitum eſt, utrum velit an nolit ſuſcipere hæreditatem: ejus enim eſt nolle, qui poteſt velle *l.* 3. *ff. de R. J.* Ac ne quis eò confugiat: conditionem *ſi vellet* continere voluntatem expreſſam: conditionem verò, *ſi hæres non erit* tacitam tantummodò voluntatem comprehendere: propterea idem juris non eſſe in unâ atque aliâ conditione, ut notat Modeſtinus in *l. nonnumquàm* 52. *ff. de cond. & demonſt.* Nullum eſt hâc in re hujuſmodi perfugium: nam etiam conditio poteſtativa facit voluntarium *d. l. jam dubitari in fin.* & ſi pareat conditioni, hæres erit: ſin minùs hæres non erit *l. ſuus* 4. *in princ. & in fine ff. de hæred. inſtit.* Quamvis in hâc conditione nominatim non ſit expreſſa voluntas, ſed tacitè contineatur *d. l. nonnumquàm ff. de cond. & dem.*

Hoc argumentum, quod adeò firmiter 4
corroboratum, videtur eſſe fortiſſimum, pro nihilo habendum. Etenim nihil commune habet inſtitutio facta ſub conditione *ſi volet* cum inſtitutione, cui ſubjecta eſt ſubſtitutio vulgaris. Primùm enim illa eſt conditionalis; hæc autem pura, quoniam conditio, *ſi volet* adjecta eſt inſtitutioni, conditio autem *ſi hæres non erit* adjicitur ſubſtitutioni. Et quamvis conditio *ſi volet* adjecta inſtitutioni extranei non faciat inſtitutionem conditionalem, ſed ſupervacua ſit, quia extraneus hæres non eſt, niſi voluerit; ac propterea hæc conditio etiam non adjecta ineſt ex natura ſua *l. Cornelius* 69. *ff. de hæred. inſtit. l. verba* 12. *ff. de cond. inſtit.* tamen in inſtitutione hæredis neceſſarii non eſt ſupervacua: tollit enim neceſſitatem, quâ ſuus adſtringitur, ut velit, nolit, hæres eſſe cogatur à lege duodecim tabularum §. *ſui autem inſtit. tit. de hæred. qual. & differ.* ne-

Digitized by Google

que enim neceſſitate adſtrictus eſt & obligatus, qui facere aliquid debet, ſi voluerit *l. ſub hác* 8. *ff. de oblig. & act.* Prætereà inſtitutio adjectam habet conditionem affirmativam *ſi volet*: ſubſtitutio autem conditionem negativam, *ſi hæres non erit*. Non eſt autem utriuſque conditionis eadem vis, non idem effectus, etiam ſi in utrâque voluntas exprimeretur. Ecce tibi fideicommiſſum ſub conditione, *ſi hæres voluerit*, neque conditionale eſt, neque ſubſiſtit *l. fideicommiſſa* 11. §. *quamquàm* 7. *ff. de leg.* 3. Ratio petenda eſt ex laudata *l. ſub hác ff. de oblig. & act.* Fideicommiſſum autem relictum ſub conditione: *niſi hæres noluerit*: & valet, & conditionale eſt *d. l. fideicommiſſa* 11. §. *ſic fideicommiſſum* 5. At enim apud latinos duæ negationes affirmant. Ita ſanè: ſed in primo legato teſtator dirigit judicium ſuum ad voluntatem hæredis, nempè debitoris, quod repugnat ſubſtantiæ obligationis, quæ eſt vinculum, quod adſtringit neceſſitate, *princ. tit. inſtit. de obligat.* adeòque deſtruit, & evertit obligationem *d. l. ſub hác* & *l. in vendentis* 13. *C. de contr. empt. l. ſtipulatio* 17. *l. à Titio* 108. §. 1. *ff. de V. O. l. Senatus* 43. §. *penult. ff. de legat.* 1. In ſecundo legato judicium ſuum teſtator directò non confert in voluntatem hæredis, ſed in actum nolendi, in repugnantiam hæredis: quocircà ut legatum debeatur, non exigitur, ut hæres velit: ſed ſufficit ſi non repugnet, ſi cùm primùm poterit, non declaraverit ſe nolle legatum ſolvere: ſi id omiſerit confeſtim obligatur *d. l. fideicommiſſa* §. 5. Si non cenſetur remiſſa ac ſublata neceſſitas à lege impoſita, per conditionem *niſi noluerit*, quantò minùs per conditionem *ſi hæres non erit*, in quâ non ſolùm teſtator non dirigit judicium ſuum ad meram voluntatem hæredis, ſed ad ſubſtitutionem, & ſubſtituendo ſolùm cogitat de habendo hærede, ſi deficiat ſubſtitutus, qui multis de cauſis deficere poteſt., ut modò dicemus.

5 In conditionibus quoque nihil ferè eſt unius cum alterâ commune. Altera enim adjecta eſt inſtitutioni: altera ſubſtitutioni. Altera meram voluntatem continet: altera complectitur multa à merâ voluntate diversâ. Altera affirmat: altera negat: altera voluntatem requirit: altera excludit. Dicam clariùs. Multis modis fieri poteſt, ut filius à patre inſtitutus non ſit hæres, ita ut locus fiat ſubſtituto. Poteſt mori ante patrem: poteſt fieri incapax: poteſt abſtinere patris hæreditate. Licèt enim etiam ſi abſtinuerit, hæres maneat jure civili inſpecto, & oneribus hæreditariis ſit obnoxius *l. neceſſariis* 57. *in princ. ff. de acquir. vel omit. hæred. l.* 2. *ff. de condict. furt.* tamen jure prætorio, & re ipsâ atque effectu, & quoad bona hæreditaria, quæ abſtinendo dimittit, pro hærede non habetur: ea enim ad ſubſtitutum deferuntur, aut à creditoribus diſtrahuntur nomine ipſius patris, non verò filii, cujus famæ parcitur *l. paterfamilias* 28. *ff. de reb. auctor. jud. poſſid.* §. *ſui autem in fin. inſt. tit. de hæred. qual. & differ.* Quamobrem in quocumque caſu admitteretur ſubſtitutus, ſi filius inſtitutus, eſſet hæres voluntarius, admittitur etiam ſi ſit neceſſarius. Imò in neceſſario occurrit ampliùs quartus caſus, ſi à patre poſt conditum teſtamentum emancipetur, & patri ſupervixerit; tunc enim poterit, ſi velit, hæreditatem repudiare, & locum facere ſubſtituto. Igitur verba ſubſtitutionis eâdem vi atque effectu potiuntur ſive ſit neceſſarius, ſive voluntarius; & etiam teſtator idem conſequitur, ac ſi eſſet voluntarius. Quorsùm igitur dicendum eſt, eum voluiſſe efficere de neceſſario voluntarium? quæ cauſa illum impellere debuit, ut tolleret neceſſitatem injunctam à lege? planè nulla.

At enim qui ſubſtituit, vult admitti ſubſti- 6
tutum, ſi hæres inſtitutus vel non potuerit, vel non voluerit hæres eſſe. Sanè non diffiteor. Sed hoc ipſum conſequitur teſtator, etiamſi filius maneat neceſſarius. Nam cùm abſtinet, hæres eſſe non vult. Voluntarius declarat ſe nolle hæredem eſſe repudiando: neceſſarius abſtinendo. Quid inter hæc duo intereſt? Scitè Julianus in *l. nam nec emancipatus* 89. *ff. de legat.* 1. *prætor enim permittendo his, qui in poteſtate fuerint, abſtinere ſe hæreditate paternâ, manifeſtum facit, jus ſe in perſona eorum tribuere, quod futurum*

Digitized by Google

eſſet, ſi liberum arbitrium adeundæ hæreditatis habuiſſent. Quid attinet igitur ſine ullâ cauſâ conjectare teſtatorem ſubſtituendo filio voluiſſe neceſſitatem à lege injunctam tollere; ſi hoc ipſum ei præſtat ipſe Prætor ſuo beneficio, quo liberos ab oneribus hæreditariis liberat. Porrò teſtator ad ſubſtituendum inducitur, vel honorandi ſubſtituti gratiâ: vel ut certior ſit hæredis habendi: vel vitandæ ignominiæ cauſâ, ne ſuo nomine bona à creditoribus diſtrahantur §. 1. *inſt. tit. de hæred. qual. & differ.* §. 1. *inſt. tit. quib. ex cauſ. manum. non licet.* Non autem eo conſilio ſubſtituit, ut hæredem de neceſſario voluntarium faciat. Argumento eſt, quòd hæredibus etiam voluntariis teſtatores ſubſtituunt, & quidem ſæpiſſimè.

7 Ampliùs dico: ne prætor quidem, quamvis ipſi propoſitum eſſet ſublevare liberos ab onere, quod eis leges injunxerant, ipſos de neceſſariis voluntarios fecit. Qui contrà ſentiunt, magno in errore verſantur. Propoſuit quidem ipſis beneficium abſtinendi, quo ſi utantur, ab oneribus hæreditariis liberantur, ſicut illi, qui, cùm neceſſarii non ſint, hæreditatem repudiarunt: & ideò dicitur ipſis tribuere jus, quod habituri fuiſſent, ſi liberum arbitrium adeundæ hæreditatis habuiſſent in *l. nam nec emancipatus* 89. *ff. de legat.* 1. In hoc tamen differunt, quòd voluntarii antequam adeant hæreditatem, neque eam acquirunt, neque in ea jus ullum habent, neque hæredes ſunt: ſed habent ſolummodò jus deliberandi, & adeundæ hæreditatis. Contrà neceſſarii ſunt hæredes ipſo jure ſtatim à morte teſtatoris, & acquirunt hæreditatem etiam ignorantes, & inviti, & in eos dominium continuatur, non autem de novo ipſum acquirunt. Atque hæc non ſunt ſublata Prætoris edicto, eaque retinuerunt etiam poſtquàm à Prætore fuit introductum beneficium abſtinendi, & neceſſarii hæredes manſerunt §. *ſui autem inſtit. tit. de hered. qual. & differ.* §. *ſui autem* 3. *de hæredit. quæ ab inteſt. l. neceſſariis* 57. *ff. de acquir. hæred. l. in ſuis* 11. *ff. de liber. & poſt. l. in ſuis* 14. *ff. de ſuis & legit. hæred.* & ſexcentis aliis locis. Quæ leges conditæ fuerunt poſt edictum propoſitum de beneficio abſtinendi. Optimè Ulpianus in *l.* 1. §. *qui ſunt* 7. *ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam. Qui ſunt in poteſtate ſtatim hæredes ſunt ex teſtamento: nec quòd ſe abſtinere poſſunt, quicquam facit.* Igitur Prætor concedendo ipſis beneficium abſtinendi non impedit, quominus ſtatim, & ipſo jure hæredes fiant: & quidem inviti *l. lege Corneliâ* 12. *ff. de teſtam.* Ibi: *invitus hæreditati obligatur. l. ſi filius* 12. *ff. de vulg.* Ibi: *jus dicenti propoſitum eſt liberos ab oneribus non ſponte ſuſceptis liberare: non invitos ab hæreditate removere.* Ergo ſui hæredes non ſpontè ſed inviti ſuſcipiunt onera hæreditaria, à quibus eos liberat prætor, cùm abſtinent: abſtinent autem ſi velint, neque enim invitos removet ab hæreditate. Imperator in §. *ſui autem in fin. Neceſſarii verò ideò dicuntur, quia omninò ſive velint, ſive nolint, tam ab inteſtato, quam ex teſtamento ex Lege XII. tabularum hæredes fiunt. Sed his Prætor permittit volentibus abſtinere &c.* Igitur volentes abſtinent, nolentes etiam fiunt hæredes. Hoc ipſum demonſtrant etiam effectus: nam hæredes manent etiam poſtquàm abſtinuerunt, & manent obligati, etiam ſi Prætor in eos actiones non det *l.* 2. *ff. de condict. furt. l. cum quaſi* 30. §. *ſed etſi ſuus* 10. *ff. de fideicom. libert.* Ibi: *tametſi non eſt ſine hærede, qui ſuum hæredem habet licet abſtinentem ſe.* Ergo etſi eo animo ſit ſuus hæres, ut nolit hæreditatem; atque adeò abſtineat, tamen hæres eſt: igitur etiam invitus. Si prætor (ut ad rem redeam) quantumvis eo conſilio liberis dederit beneficium abſtinendi, ut eos liberaret ab oneribus hæreditariis, tamen de neceſſariis non facit eos voluntarios: quantò minùs id efficiet teſtator, qui non eo propoſito ſubſtituit, ſed ſolum eo animo, ut ipſe hæredem habeat inſtituto deficiente? deficit autem inſtitutus, ſi abſtineat hæreditate. Licèt, quoad ſuſtinendum teſtamentum pro hærede habeatur, quod attinet ad libertates *d.* §. *ſed & ſi ſuus*, ad fideicommiſſum *l. ita tamen* 27. §. *ſi pater ff. ad S C. Trebell.* ad ſubſtitutionem pupillarem *l. ſi pupillus* 42. *ff. de acquir. vel omit. hæred. l. paterfam.* 82.

ff. de

Digitized by Google

ff. de reb. auct. jud. poſſid. tamen quod attinet ad ſubſtitutionem vulgarem, pro hærede non habetur, & ſuccedit ſubſtitutus *l. filius 42. ff. de acquir. vel omit. hæred.*

8 Cur hæc tam variè? nempè ut defuncti voluntas ſuſtineatur. Prætori enim propoſitum eſt liberos ab oneribus non ſponte ſuſceptis ſublevare: non evertere voluntates defunctorum *l. ſed filius 12. ff. de vulg. & pup.* Quocircà cùm ſubſtitutio pupillaris fiat ſub conditione: *ſi heres erit*, prætor eum pro herede habet, etiamſi abſtinuerit, ut ſubſtitutio ſuſtineatur. Et in hoc legem ſequitur, & voluntatem teſtatoris, ut ſolet *l. cùm ſponſus 12. §. ſi res ff. de Public. in rem act. l. factum 63. §. ſi ſub conditione ff. ad S C. Trebell.* Etenim teſtator eum heredem eſſe voluit, ſi heredem inſtituit, & voluit teſtamentum, quod pro ipſo fecit, valere: lex autem ipſum heredem facit etiam invitum, ut diximus, & etiam abſtinens heres manet, quia qui ſemel heres, numquàm heres eſſe deſinit *l. cùm quaſi 30. d. §. 10. ff. de fideicom. libert. l. ei qui ſolvendo 88. in fine ff. de hered. inſtit. l. ait prætor 7. §. ſed quod Papinianus in fine ff. de minor.* Contrà ſubſtitutio vulgaris fit ſub conditione, *ſi heres non erit*: ac propterea ad eam ſuſtinendam neceſſe eſt, ut pro herede non habeatur. Prætor igitur, qui ſuum abſtinentem in aliis omnibus pro herede non habet, in hoc maximè non habet pro herede, ut voluntatem defuncti tueatur, qui voluit ſibi cavere ſubſtituendo, ne ſine herede decederet, & ne bona ſuo nomine à creditoribus diſtraherentur: & ſimul ne ſubſtitutus excluderetur, qui ad hereditatem vocatus eſt, à teſtatore ſimiliter pro herede habetur, ne intercidat fideicommiſſum *l. ita tamen 27. ſi pater ff. ad S C. Trebell.* & prætor ipſe cogit eum ſe miſcere hereditati, ut poſſit illam reſtituere *l. recuſare 6. §. ſed & ad filium ff. eod.* Item pro herede habetur, ne intercidant libertates *d. l. cùm quaſi §. 10.* Et hæc Senatuſconſulto fuerunt conſtituta, ut habetur in laudatis legibus. Dum enim curamus commodum libertorum, non debemus omninò negligere commodum & voluntatem teſtatoris, quæ nititur legis auctoritate.

Ad id, quod diximus de ſuo herede inſtituto ſub eâ conditione, quæ in ejus poteſtate 9
eſt, facilè reſpondetur; neque enim quicquam commune habet cum ſubſtitutione. Qui heredem inſtituit ſub conditione, vult eum heredem eſſe, ſi conditionem impleverit: & cùm id pendeat ab ejus voluntate, quodammodo ponit in ejus voluntate hereditatis acquiſitionem: atque ea ſuſpenditur ab ejus voluntate, ſi enim noluerit eam implere, numquàm heres fiet. Hæc eſt propria natura conditionis, actum ſuſpendere *§. ſub conditione inſtit. tit. de V. O. l. cedere diem 213. ff. de V. S.* quando autem eventus pendet à voluntate ejus, qui debet eam implere, ſuſpendit quamdiù ipſe voluerit: & ſi ſtatim impleverit, ſtatim poterit hereditatem conſequi: ſi numquàm impleverit, numquàm heres fiet. Nihil ſimile in ſubſtitutione: nam conditio: *ſi heres non erit* non ponit in voluntate ac poteſtate hereditatis acquiſitionem; reſpicit enim perſonam ſubſtituti, & in ejus perſonâ fortuita eſt, & à caſu pendet, videlicèt à facto heredis inſtituti. Hoc autem factum ne à voluntate quidem inſtituti pendet, poteſt enim non poſſe, etiamſi velit: imò fieri poteſt, ut non habeat voluntatem, ac nequeat velle, aut nolle, ut oſtendimus, & poteſt velle, etiamſi ſit neceſſarius, beneficio Prætoris. Quid ſi quis negaverit ſuum hæredem inſtitutum ſub conditione poteſtativâ de neceſſario fieri voluntarium. Ego ſanè 10
id pro certo non auſim affirmare. Moveor auctoritate Marcelli in *l. ſi ejuſmodi 6. ff. de hered. inſtit.* & Papiniani in *l. ult. ff. de condit. inſtit.* Statuunt ambo ſuum heredem ſub eâ conditione inſtitutum, quæ ultimo vitæ momento impleri non poteſt, patri hæredem eſſe ab inteſtato. Falſum hoc: ſiquidem pater adſcribendo conditionem fecit ipſum hæredem voluntarium: neque enim ultimo vitæ momento poteſt adire hæreditatem. Voluntarii autem ſine aditione hæreditatem non acquirunt. *§. extraneis inſt. tit. de hæred. qual. & differ. l. ſi is 22. & paſſim ff. de acquir. hæred. l. 3. l. quoniam ſororem 7. l. ſi infanti §. ſin verò C. de jur. delib.* Quomodò igitur acquirit hæreditatem, ſi eo momento, quo

moritur, nihil agere poteſt? nempè juris neceſſitate, quæ non requirit ejus voluntatem, ſed velit, nolit, hæredem facit §. *ſui autem in fin. inſt. eod.* Ac ne quis putet in ſolum fundo conſtiturum deficiente conditione, cum ſuus ab inteſtato ſuccedit; id ipſum reſpondit Paulus expletâ conditione in *l. 5. ff. de cond. & dem.* Ibi: *nec quem moveri, quòd expletâ conditione neceſſarius hæres aliquando eſſe poteſt: nam hoc jure poteſtatis fieri non expletæ conditionis.* Et eſt adeò neceſſarius, ut nec beneficio quidem abſtinendi gaudeat *l. jam dubitari 86. in fine ff. de hæred. inſtit.* Conditio igitur non tollit neceſſitatem fundatam in jure patriæ poteſtatis: ſed eam ſuſpendit, quamdiu pendet. Non fit igitur hæres voluntarius, ſed ſolùm in ejus voluntate ponitur implere, vel non implere conditionem. Neque enim teſtator inſtitutionem contulit in voluntatem filii, ſed in factum, quod poſuit in conditione. Argumento eſt, quòd etiamſi filius hæres eſſe voluerit, tamen hæres non fiet, niſi fecerit id, quod teſtator poſuit in conditione: ergo conditionem non implet voluntate, ſed facto §. *ſub conditione inſt. tit. de V. O.* Quocircà rectè ibi dicitur ſub conditione fieri, cùm in caſum defertur obligatio. Hæc quoque conditio in caſum differt acquiſitionem hæreditatis; multa enim accidere poſſunt, ut non faciat id, quod facere debet, ut impleat conditionem, etſi factum illud ſit in ejus poteſtate. Quamobrem ſupervacua eſt conditio; *ſi volet: uter volet* adjecta inſtitutioni *l. Cornelius 69. in princ. ff. de hæred. inſt. l. verba 12. ff. de condit. inſtit.* at conditio poteſtativa utiliter adjicitur, eâque non impletâ nihil debetur *l. ei qui 13. ff. eod. & per totum tit.* Ita etiam non valet legatum ſub conditione: *ſi Mævius volet*; valet autem ſub conditione *ſi in capitolium aſcenderit l. nonnumquàm 52. ff. de cond. & dem.* Non eſt igitur eadem vis, non idem effectus utriuſque conditionis.

11 Reliqua jam proſequamur. Aïunt, quòd ſi ſuus eſſet hæres neceſſarius ita cùm accepit ſubſtitutum, inutilis eſſet ſubſtitutio, quia ſtatim ac hæres inſtitutus acquirit hæreditatem, ſubſtitutio vulgaris expirat *l. poſt aditam 5. C. de impub. & al. ſubſtit.* Nugæ. Suus hæres fit hæres ipſo jure, velit, nolit; nec tamen inutilis eſt ſubſtitutio, quia poteſt beneficio Prætoris abſtinere, quo caſu admittitur ſubſtitutus: ſicut admittitur cùm hæres voluntarius repudiat hæreditatem. Præterea etiam omnes caſus impotentiæ, ut noſtri aïunt, ſunt communes neceſſario æquè ac voluntario. Quocircà iiſdem caſibus in utroque ſubſtitutus admittitur, ut paulò antè luculenter oſtendimus. Non eſt igitur inutilis ſubſtitutio.

Opponi rursùs poteſt Ulpiani reſponſum 12 *l. 1. §. ſi proponatur ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Si *proponatur idem & inſtitutus, & ſubſtitutus, & prætermiſerit inſtitutionem: an incidat in edictum, quæritur: & non puto incidere, quaſi teſtator hanc ei dederit facultatem, qui eum ſubſtituit.*

Nihil ad rem attinet. Neque agitur hîc de ſuo hærede: neque de inſtituto, cui datus ſit vulgaris ſubſtitutus: ſed de eo, qui ſibi ipſi fuit à teſtatore ſubſtitutus. Explicat in hâc lege Ulpianus edictum Prætoris, quo ſubvenit legatariis, & fideicommiſſariis, & libertatibus, cùm hæres inſtitutus, ut hos fraudaret; omiſit, & repudiavit hæreditatem ex teſtamento, ut ſibi deferatur hæreditas ab inteſtato, quâ aditâ non teneatur præſtare, quæ relicta ſunt in teſtamento *l. eam quam C. de fideicom.* Quærit igitur, an is, qui à teſtatore inſtitutus eſt & ſubſtitutus, incidat in edictum, ſi omiſſâ inſtitutione adeat ex ſubſtitutione: & reſpondet non incidere: neque enim hic omittit cauſam teſtamenti, cùm adeat hæreditatem ex teſtamento: neque fraudat legatarios, aut fruſtratur voluntatem teſtatoris, qui ei dedit hanc facultatem, cùm ipſum ſubſtituit. Quid hæc ad rem noſtram? Aſinus ad Lyram.

Supereſt reſponſum Africani in *l. ſi filius* 13 *16. ff. de liber. & poſthum.* quòd eſt Achilles pro contrariâ opinione pugnantium. Quamobrem paulò accuratiùs, & luculentiùs eſt exponendum, eâdemque operâ explicabimus *l. ult. ff. de condit. inſtit.* quam crucem ſtudioſorum eſſe aït doctiſſimus Cujacius. Ut autem utraque lex perſpicuè explicetur, ita, ut ab omnibus vel leviter tinctis poſſit comprehendi, tria ſunt præmittenda.

Digitized by Google

14 Primùm, quòd nemo ſive ſuus hæres ſit, ſive extraneus, acquirere poteſt hæreditatem antequàm ei deferatur *l. delata ff. de V. S. l. is qui hæres* 18. *ff. de acquir. hæred. l. liber homo* 59. §. *ſi ita ſcriptum* 6. *ff. de hæred. inſtit.* In hoc ſui differunt ab extraneis: quòd ſui eodem momento acquirunt hæreditatem, quo ipſis defertur: extranei non item: tempus delationis diſtinguitur à tempore acquiſitionis: neque enim eam acquirunt, niſi adeant: aditione, & pro hærede geſtione extraneis hæreditas acquiritur. De ſuis in *l. in ſuis* 14. *ff. de ſuis & legit. hæred.* De extraneis in *l. is qui hæres* 13. *in princ. junctâ l. is poteſt* 18. *l. pro hærede* 20. *& toto tit. ff. de acquir. vel omittendâ hæred.*

15 Secundum eſt, quòd licèt apud Platonem in controverſiam vocetur, vivine, an mortui moriamur: tamen in jure noſtro pro certo habetur, nos mori cùm adhuc vivimus; & momentum illud, quo morimur, vitæ tribuendum eſſe, non morti, ſæpenumero fuit conſtitutum *l. qui duos* 18. §. 1. & *l. ult. ff. de manum. teſt.* & ideò poteſt hæres inſtitui ſub conditione, cùm morietur *l. extraneum C. de hæred. inſtit.* & poteſt eodem modo legatum relinqui *l. hæres meus* 78. §. 1. *ff. de cond. & dem. l. hujuſmodi ff. quan. di. leg. ced.* Quocircà conditionem, quæ impletur aut deficit ultimo tempore vitæ, in vitâ impleri, aut deficere certum eſt *d. l. hæres meus*, & *l. ſi ejuſmodi* 5. *ff. de hæred. inſt.*

16 Tertium, quòd duo ſunt genera conditionum, quæ ſunt in poteſtate ejus, cui adjectæ ſunt, quique eas implere debet. Aliæ impleri poſſunt etiam ultimo vitæ momento: aliæ non poſſunt *d. l. ſi ejuſmodi* 5. & *l. ult. ff. de condit. inſtit.* Ultimo vitæ momento impleri poſſunt, quæ in dando conſiſtunt; ut conditio illa: *ſi decem dederit*: Ea enim dari poſſunt etiam ab alio, atque adeò, cùm dari poſſint ab eo, etiam eo momento, quo moritur; etiam tum impleri poteſt conditio. Quæ verò conſiſtunt in faciendo, non itidem, veluti: *ſi Alexandriam ierit*: neque enim moriens Alexandriam ire poteſt. Hæc omnia in modò laudatis legibus. Quocircà prima ſpecies conditionis deficit poſt mortem; quia quandiu vivit poteſt implere. Altera ſpecies deficit in vita, quia ultimo vitæ tempore ampliùs impleri non poteſt, adeòque vivente eo, qui debebat implere, deficit; vivit enim cùm moritur. Ultrà progrediamur. Suus hæres poteſt inſtitui ſub quâlibet conditione, quæ ſit in ejus poteſtate *l. ſuus* 4. *ff. de hæred. inſtit. d. l. ult. ff. de cond. inſtit.* Si ſui hæredis inſtitutioni fuerit adjecta conditio ex prima ſpecie, quæ deficit poſt mortem, ille numquàm fuit hæres, quia eo vivente conditio numquàm exiſtit. *l. un.* §. *ſin autem aliquid ſub conditione C. de caduc. toll. l. liber homo* 59. §. *ſi ità ſcriptum* 6. *in fine ff. de hæred. inſtit.* & hæreditas ad ſubſtitutum defertur, ſi ei datus ſit ſubſtitutus *d. l. unic.* §. *ſin autem aliquid in fine.* & *d. l. ult. ff. de condit. inſtit.* Si non habeat ſubſtitutum, ſuccedunt hæredes legitimi *d. l. ult. ff. de cond. inſt.* In ſecunda ſpecie conditionis, quæ deficit vivente filio, quia in ipſo mortis articulo impleri non poteſt: defectâ conditione deſtituitur teſtamentum *princ. tit. inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. l.* 1. *ff. de injuſt. rupt.* Deſtituto teſtamento defertur hæreditas ab inteſtato, eaque ſtatim filio acquiritur licèt ignoranti, cùm ſit ſuus, & neceſſarius hæres patri *l. in ſuis ff. de ſuis & legit. l. in ſuis* 11. *ff. de liber. & poſt.* Quòd ſi filio datus eſt ſubſtitutus, cùm vivente adhuc filio appareat eum ex teſtamento hæredem eſſe non poſſe, eo vivo admittitur ſubſtitutus, cui hæreditas relicta eſt, ſi inſtitutus hæres non erit *d. l. ult. verſ. nam ſuperior.*

His præmiſſis, ac probè conſtitutis, noſtræ 17
legis explicatio facilis eſt, & expedita. Africanus in ea duas quæſtiones proponit. Prima eſt hujuſmodi. Pater qui filium habebat, & ex eo nepotem, necnon etiam uxorem prægnantem, præterito poſthumo inſtituit hæredem filium, eique ſubſtituit nepotem. Nondum nato poſthumo filius moritur. Ait Africanus nepotem tam patri, quàm avo ſuum hæredem futurum. Altera eſt. Pater præterito poſthumo filium jam natum inſtituit: nec quemquam ei ſubſtituit. Moritur filius nondum nato poſthumo. Ait Africanus, filium cùm moritur ab-inteſtato patri ſuccedere, & hæ-

Digitized by Google

reditatem ad nepotem tranſmittere. In utraque ſpecie eadem omnia; niſi quòd in prima filio ſubſtitutus eſt nepos: in ſecunda non item. Quâ de cauſâ Bartolus adductus fuit ad credendum, dato ſubſtituto filium de neceſſario hærede factum fuiſſe voluntarium: atque adeò non acquiſiviſſe hæreditatem, quam ultimo vitæ tempore non potuit adire: & ſine aditione non poterat hæres fieri, utpotè voluntarius. Sed quominùs hanc interpretationem amplectar, facit ipſe Africanus, qui longè aliam rationem affert. Quis autem melior interpres poteſt deſiderari ipſo Africano, qui ſui ipſius interpres, cur ita ſentiat, dilucidè explicat his verbis. *Tunc quia eo tempore, quo is moriatur, certum eſſe incipit, neminem ex eo teſtamento hæredem fore, ipſe filius in eſtato patri hæres exiſtat: ſicut evenire ſolet, cùm ſub eâ conditione, quæ in ipſius poteſtate erit, filius hæres inſtitutus, priuſquàm ei pareret, moriatur.* Hæc verba perſpicuè demonſtrant, quæ cauſa, quæ ratio moverit Africanum, ut in utrâque ſpecie idem non reſponderit, ſed omninò contrarium. Seilicèt in ſecunda ſpecie certum eſſe incipit moriente filio, hoc eſt, eo adhue vivo, neminem ex eo teſtamento hæredem eſſe poſſe: ſecùs autem in prima. Sed hæc uberiùs, & clariùs explicanda.

18 In prima ſpecie viventi filio inſtituto numquàm delata fuit hæreditas, neque ex teſtamento, neque ab inteſtato: adeòque nec eam acquiſivit, nec potuit tranſmittere. Non fuit ei delata hæreditas ex teſtamento, quia quandiu teſtamentum rumpi poteſt agnatione poſthumi, deferri nequit hæreditas ex teſtamento *l. ventre præterito* 84. *ff. de acquir. vel omit. hæred. l. cùm quidam* 30. §. 1. & 2. *ff. eod.* Non ab inteſtato, quia quandiu poteſt ex teſtamento deferri, non defertur ab inteſtato *l. quandiu ff. eod.* Non potuit igitur filius hæres eſſe, dum vixit, quia poſthumus naſci potuit ultimo vitæ momento: adeòque conditio, quâ filius excluditur ab inſtitutione patris, ultimo vitæ tempore poterat impleri *l. ſi ejuſmodi* 5. *ff. de hæred. inſtit. l. ult. in fin. ff. de condit. inſt.* Filius igitur excluditur ab hæreditate, non quia accepto ſubſtituto evaſerit voluntarius, eique neceſſaria fuerit aditio, quam ultimo vitæ momento implere nequiverit: ſed quia ei, dum viveret, delata non fuit hæreditas, quam ipſo jure poſſet acquirere, & ad nepotes tranſmittere.

In ſecunda ſpecie, in qua nullus filio fuit 19 ſubſtitutus, nec datus cohæres, *ſed ſolus ipſe inſtitutus fuit*; ultimo vitæ momento fit hæres patris ab inteſtato, quia tunc certum eſſe incipit neminem patri ex teſtamento hæredem fore. Quid ita? quia aut naſcetur poſthumus, aut non naſcetur. Si naſcetur, rumpet teſtamentum patris, in quo fuit præteritus §. 1. *inſtit. tit. de exhæred. liber. l.* 1. *C. de poſt. hæred. inſt. l.* 1. *ff. de injuſt. rupt.* Si non naſcetur, teſtamentum deſtituetur moriente filio, qui ſolus fuit inſtitutus, & irritum conſtituetur *d. l.* 1. *in fin. ff. de inj. rupt.* Certum igitur eſt filio moriente ex eo teſtamento neminem hæredem eſſe poſſe; adeòque defertur hæreditas ab inteſtato eidem filio morienti, quia, eùm moritur, vivit, ut diximus. Quemadmodùm ſi inſtitutus fuiſſet ſub conditione, quæ ultimo vitæ momento impleri non poteſt. Cùm enim eodem momento certum fiat, eum ex teſtamento hæredem eſſe non poſſe; fit hæres ab inteſtato. Laudatâ *l. ſi ejuſmodi* 5. *ff. de hæred. inſt.* & *l. ult. ff. de cond. inſt.* Etenim ſtatim ac certò ſcimus id aliter evenire non poſſe, defertur hæreditas perindè ac ſi eveniſſet. Elegantiſſimum exemplum proponit Celſus in *l. liber homo* 59. §. *ſi ita ſcriptum ff. de hæred. inſtit. Titius ex parte tertiâ, Mævius ex parte tertiâ hæredes ſunto: Titius, ſi intra tertias calendas navis ex Aſia venerit, ex reliqua parte hæres eſto.* Reſpondit Celſus Titium ſtatim ex ſemiſſe hæredem futurum: licèt enim incertum ſit, an ventura ſit navis ex Aſia, tamen certum eſt ſextantem, hoc eſt dimidium reliquæ partis, quæ ſub ea conditione Titio relicta fuit, ad eum perventurum. Etenim ſi conditio exſtiterit, integrum trientem Titius habebit ex inſtitutione, in quo & ſextans continetur: ſi verò defecerit, ſextantem habebit jure accreſcendi. Igitur ille ſextans, ſive exiſtat, ſive deficiat conditio, ad Titium certò perventurus eſt: eapropter ſta-

Digitized by Google

tim ei defertur, licèt interim pendeat conditio. Idem in ſpecie ſuperiore.

20 Concludamus igitur. Inter primam, & ſecundam ſpeciem hoc intereſt, quòd in prima ſpecie à ſubſtituto teſtamentum ſuſtinetur, quia ſubſtitutus impedit, ne per mortem filii teſtamentum deſtituatur, & fiat irritum; quoniam ſi non naſcatur poſthumus, ſubſtitutus admittetur ex ſubſtitutione. Propterea, cùm teſtamentum à nepote ſubſtituto ſuſtineatur, non potuit filius hæres eſſe ab inteſtato: ſed nec ex teſtamento, ut diximus, obſtante poſthumo, qui ſi naſcatur rumpit teſtamentum. In ſecunda ſpecie, in qua neque ſubſtitutus, neque cohæres teſtamentum ſuſtinet, cùm filius moritur apparet teſtamentum ſubſiſtere non poſſe, quod poſthumo non nato fit irritum, eo verò nato ruptum. Quocircà filius eo momento fit hæres legitimus patris *l. ult. verſ. qui ſi neminem & verſ. qui ſubſtituti ff. de cond. inſtit.*

21 His efficitur, in prima ſpecie nepotem & patri & avo ſuum hæredem fore, ut ait Africanus. Patri, quia eſt in poteſtate & proximum locum tenet §. *ſui autem inſtit. de hæred. qual. & differ. l. 1. §. 2. ff. de ſuis & legit. hæred.* Avo, quia pater non videtur ei obſtitiſſe, poſt cujus mortem avi teſtamentum eſt deſtitutum *l. ult. verſ. neque enim filius ff. de cond. inſtit. §. cùm autem inſt. tit. de hæred. quæ ab inteſt. l. 1. §. ſciendum ff. de ſuis & legit. hæred. l. ſcripto 7. ff. ſi tab. nul. extab.*

CAPUT XXXI.

Ad l. qui duos 9. in princ. ff. de reb. dub.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum adverſùs aditam hæreditatem quando fuerit conceſſa.*
2 *Adverſùs omiſſam hæreditatis aditionem nemini data, niſi Reipublica causâ abſenti.*
3 *Explicatur textus noſter. & n. 9.*
4 *Ei, qui hæreditatem adire non potuit, ſubvenitur per reſtitutionem in integrum.*
5 *Ei, qui adire poteſt, non datur reſtitutio in integrum ad conſequendam hæreditatem.*
6 *Inductâ reciprocâ pupillari inter fratres impuberes, alter alteri fit hæres neceſſarius.*
7 *In inſtitutione & ſubſtitutione directâ requiritur expreſſa voluntas teſtatoris.*
8 *Teſtator hæredes neceſſarios ab inteſtato non facit, ſed lex.*
9 *Subſtituens poſtremo morienti ſubſtituit omnibus, qui ſupremi obierunt.*
10 *Exponitur l. ſi fuerit 10. in princ. ff. de reb. dub. & n. 11.*
12 *Explicatur l. ejus qui 34. ff. ad SC. Trebellian. & n. 13.*
14 *Subſtitutione factâ ei ex filiis, qui primus morietur, ſi ſimul moriantur, an ſubſtitutio valeat. & n. 15.*
16 *Exponitur l. ſi iis qui 26. ff. de mort. cauſ. donat.*
17 *Explicatur l. ſi inter. 8. ff. de reb. dub.*

Doctores reſtitutionem in integrum adverſùs aditam, vel omiſſam hæreditatem facillimè indulgent: veteres Juris noſtri conditores non item. Reſtitutionem adverſùs aditam hæreditatem, emergente poſtmodùm grandi ære alieno, quod antè latebat, Divus Adrianus cuidam dedit: ſed hoc ſpeciali beneficio, ut ait Imperator in §. *extraneis 5. inſt. tit. de hæred. qual. & differ.* Itaque id non egreditur perſonam ejus, cui fuit indultum, & ad exemplum trahi non debet *l. 1. §. ult. ff. de conſt. princ.* Poſteà Divus Gordianus militibus id conceſſit *d. §. extraneis*. Verùm non ut poſſent aditam hæreditatem repudiare: hoc enim nemini permittitur *d. §. extraneis & l. ei, qui ſolvendo 88. in fin. ff. de hæred. inſtit.* exceptis pupillis, & minoribus *l. neceſſarii 57. ff. de acquir. vel omit. hæred.* ſed ut tenerentur ſolùm intra vires hæreditarias *l. ult. in princ. C. de jur. delib.* Hoc autem beneficium protendit ad omnes Imperator, dummodò conficiant inventarium ſervatâ formâ, quam accuratè præſcribit in laudata *l. ult.* Quamobrem hodiè veniâ digni non ſunt, qui damnoſam adiverunt hæreditatem, contempto Imperatoris indulgentiſſimi beneficio. Profectò mirandum eſt, judices ad concedendam reſtitutionem adeò eſſe propenſos. 1

Porrò, multò digniores ſunt auxilio prætoris, qui omiſerunt adire ſibi delatam hæ- 2

reditatem, cùm ipſis objiceretur inſuperabile aliquod impedimentum. Nihilominùs veteres unicum impedimentum abſentiæ Reip. causâ penſi habuerunt. Idque humanitatis causâ *l. cùm quidam* 30. *in princ. l. Pannonius Avitus* 86. *ff. de acquir. vel omit. hæred.* Præter has cauſas ne infantia quidem prodeſt: ita ut Juſtinianus, qui ſemper ad lenitatem ſolet eſſe propenſior, hæredes infantis omninò excludat ab hæreditatibus infanti delatis, ſi tutor eas adire neglexerat; imò & ſi tutorem infans, cùm viveret, non habebat: ac jubeat eas devolvi ad eos ipſos, ad quos devolutæ fuiſſent, ſi minimè fuiſſent infanti delatæ *l. ſi infanti §. ſin verò C. de jure deliber.* ſolummodò ſuis hæredibus permittitur, ut etiam poſtquàm ſe abſtinuerint, impetrare poſſint tempus ad deliberandum, *l. ſi quis ſuus* 8. *ff. de jure deliber.* quam explicat, & latiùs promovet Juſtinianus more ſuo in *l. ult. C. de repud. hæred.* Sui enim hæredes etiam poſteaquàm paternæ hæreditati ſe immiſcuerunt, abſtinere poſſunt: impuberes quidem abſolutè, minores autem ope reſtitutionis in integrum *l. neceſſarii* 57. *ff. de acquir. vel omit. hæred.* Quoniam verò in integrum reſtitutio tranſit ad hæredes *l. non ſolùm* 6. *ff. de in integr. reſt.* ſi moriantur illi, qui omiſerunt adire hæreditatem, eorum hæredes poterunt eamdem agnoſcere non jure tranſmiſſionis, ut quidam putant, ſed ope reſtitutionis in integrum, quam impetrare debent, antequàm adeant, & acquirant hæreditatem.

3 Hanc eamdem reſtitutionem nobis obtrudunt non pauci, ut ſe explicent & expediant graviſſimâ difficultate, in quam incurrunt in explicatione *l. qui duos* 9. *ff. de reb. dub.* Species ejus legis hæc eſt. Titius habens duos filios impuberes, utrumque hæredem inſtituit: eique, qui ſupremus moreretur, Caïum ſubſtituit. Ambo ſimul in eâdem navi perierunt. Quæritur, an ſubſtitutus ad hæreditatem admittatur, & ad cujus hæreditatem. Diſputat de hoc accuratè Tryphoninus in ea lege, & tandem concludit utriuſque hæreditatem ex ſubſtitutione Caïo obvenire. Diſcruciantur interpretes, ut oſtendant, quî fieri poſſit, ut ad utriuſque hæreditatem ſubſtitutus admittatur. Non potuit frater fratris antè defuncti hæreditatem adire, & acquirere ſine tutoris auctoritate *l. pupillus* 9. *ff. de acquir. hæred. l. obligari* 9. *§. hæreditatem ff. de auctor. tut.* Nec tutor in navi præſens fuiſſe ſupponitur in ea lege: nec ſi præſens fuiſſet, de adeundâ hæreditate potuiſſet deliberare, eaque diligenter expendere, de quibus in *l.* 4. *in fin. ff. S. C. Trebell.* Et ut omnia fingamus, quis putet in maxima tempeſtatis perturbatione, imminente morte, fractâ, ſubmersâve navi, de adeundâ hæreditate quemquam potuiſſe cogitare. Præterquàm quòd utrumque ſimul periiſſe proponit Tryphoninus. Non potuit igitur alter alterius hæreditatem adire. Hæreditas autem non adita non tranſmittitur *l. quoniam ſororem C. de jur. deliber. l. unic. §. in noviſſimo C. de caduc. tol. l. ſi infanti §. ſin verò C. de jure delib.*

Tres ſunt interpretum hâc de re ſententiæ hujuſque legis explicationes. *Bartolus*, aliique quàm plures putant ad ſubſtitutum utriuſque impuberis hæreditatem pervenire beneficio reſtitutionis in integrum. Cùm enim alter alterius hæreditatem adire non potuerit ſæviente tempeſtate, & fluctibus navem abſorbentibus, ei qui poſtremò mortuus fuit, ſubveniendum fuiſſet ope reſtitutionis in integrum, ſi ſupervixiſſet *l.* 1. & 2. *C. ſi ut omiſ. hæred.* quam reſtitutionem tranſmittit ad ſubſtitutum *l. non ſolùm ff. de in integr. reſtit.* Itaque ſubſtitutus obtinebit hæreditatem ultimò defuncti, tamquàm ex teſtamento à patre impuberis utriuſque vocatus: hæreditatem autem primò defuncti jure reſtitutionis, ultimò competentis. 4

Sed hæc interpretatio tum regulis juris, tum verbis legis omninò repugnat. Regulis juris: quia frater ultimò defunctus, ſi viveret, nullam haberet reſtitutionem ad conſequendam hæreditatem, quia poſſet eam adeundo conſequi: ergo non poteſt eam ad hæredes transferre *l.* 1. *C. de reſtitut. milit. l. non ſolùm ff. de in integr. reſtit.* & in ſpecie noſtrâ id conſtitutum à Juſtiniano in *l. ſi infanti §. ſin verò C. de jure deliber.* Verbis legis: quia lex proponit utrumque ſimul pe- 5

riiſſe, & alterum alteri non ſupervixiſſe. Non potuit igitur fratri ſuperviventi deferri hæreditas fratris præmortui. Hæreditas autem non delata neque adiri poteſt *l. is qui hæres* 13. *junctâ l. is poteſt* 18. & *l. qui hæreditatem* 19. *ff. de acquir. vel omit. hæred. l. delata ff. de V. S.* neque tranſmitti *l. liber homo* 59. *§. ſi ita ſcriptum in fin. ff. de hæred. inſt. l. un. §. ſin autem aliquid ſub conditione C. de caduc. toll. l. cùm in antiquioribus. C. de jur. delib.*

6 Succedit altera non magis congrua interpretatio, quamvis ſit propè omnium communis. Cajus ſubſtitutus eſt in tota hæreditate impuberis, qui ſupremus moreretur. Hâc ſubſtitutione inducitur reciproca pupillaris inter duos fratres impuberes. Non poteſt enim ſuccedere in tota hæreditate ultimi morientis, niſi hic fratri ſuo præmorienti ſucceſſerit, & tota hæreditas pervenerit ad ultimum, cui Cajus ex ſubſtitutione ſuccedit, argumento text. in *l. Titia Sejo* 87. *§. Seja libertis ff. de leg.* 2. Inductâ autem inter fratres reciprocâ pupillari alter alteri ſuccedit ipſo jure, alter alterius fit hæres neceſſarius *l.* 2. *§. prius autem l. ſi plures* 10. *§. quos poſſum.* 1. *ff. de vulg.* Itaque ſtatim ipſo jure ſine aditione frater, qui ſupervixit, hæreditatem præmorientis acquiſivit *l. in ſuis* 14. *ff. de ſuis & legit. l. qui in aliena §. interdum* 5. *ff. de acquir. vel om. hæred.* ac propterea ultimo moriente utriuſque hæreditas, videlicèt tota hæreditas teſtatoris obvenit ſubſtituto.

7 Hæc quoque interpretatio incurrit in eaſdem difficultates: repugnat enim verbis, & ſententiæ legis. Primùm enim in lege noſtrâ non proponitur Cajum fuiſſe ſubſtitutum in tota hæreditate: in inſtitutione autem, & ſubſtitutione directâ, expreſſa voluntas teſtatoris requiritur *l. jubemus.* 29. *C. de teſtam.* licèt fideicommiſſaria etiam ex conjecturis inducatur *l. cùm proponebatur* 64. *ff. de leg.* 2. Nec ſimile eſt exemplum fundi ductum à laudata *l. Titia Sejo* quia (præterquàm, quòd ibi agitur de fideicommiſſo) qui ſubſtituit in fundo, vult totum fundum ad ſubſtitutum pervenire: aliud enim eſt fundus, aliud pars fundi: & cùm legatarios partes ſuas vendere vetuiſſet, utique voluit eas ad cæteros pervenire, ac denique totum fundum ad ſubſtitutos *l. ſi mihi* 21. *ff. de ſervit. præd. ruſtic. l. qui uſumfructum* 50. *ff. de V. O. junctâ l. ſi Titio fundus* 10. & *l. ſi alii* 19. *ff. de uſufr. leg. l. Mævius* 66. *§. in fundo* 4. *ff. de leg.* 2. Hæreditas autem, ſive aucta, ſive diminuta, ſemper eſt eadem hæreditas, videlicèt ſucceſſio in univerſum jus defuncti *l. nihil eſt aliud* 24. *de V. S.* & *l. hæreditas* 62. *ff. de R. J.* Item hæreditas vel ex teſtamento, vel ab inteſtato defertur *§. ult. inſtit. tit. per quas perſon. cuiq. acq.* Quamobrem quòd teſtator voluerit hæreditatem fratris ad fratrem pervenire, non conſequitur illum fratres reciprocè ſubſtituiſſe, cum invicem alter alteri ſuccedat etiam ab inteſtato. Hoc autem voluiſſe teſtatorem apertè tradit J C. in *l. vel ſingulis* 37. *ff. de vulg.* Ibi: *vel ſingulis, qui eorum noviſſimus morietur hæres ſubſtitui poteſt, &c. noviſſimo ſi jus legitimarum hæreditatum integrum eis cuſtodiri velit.* Ergo, qui ſubſtituit noviſſimo ex liberis ſuis, non ipſos inter ſe reciprocè ſubſtituit, ſed vult inter eos conſervari jus legitimarum hæreditatum. Quod maximè obtinere debet in ſpecie noſtræ legis, in qua ſuperflua eſſet ſubſtitutio reciproca. Cùm enim impuberes neque teſtamentum condere poſſint, neque liberos habere, frater fratri præmortuo tum temporis ab inteſtato ſucceſſurus erat, etiam ſeclusâ reciprocâ ſubſtitutione; atque adeò, deficientibus verbis aptis ad eam inducendam, temerè à nobis induci non debet *l. item apud Labeonem* 15. *§. hoc edictum* 26. *ff. de injur.* Prætereà hæc reſponſio eſt contra expreſſa legis verba. In illis enim ait J C. utrumque ſimul periiſſe in hâc alterum priùs, alterum poſteriùs obiiſſe. Tum maximè, quia Tryphoninus ait, quòd ſi alter poſt alterum deceſſiſſet, poſterior fratris præmortui fuiſſet hæres ab inteſtato: quo perſpicuè excludit reciprocam pupillarem, per quam alter alteri ſuccedit ex teſtamento, non ab inteſtato. *l. mater* 27. *ff. ſi quis omiſſ. causâ teſtam.* Pupillaris enim ſubſtitutio eſt teſtamentum, quòd pater filio facit *l.* 2. *in princ. ff. de vulg.*

8 Supereſt doctiſſimi Antonii Fabri interpretatio *lib. 13. conject. cap. 14.* qui putat eos ſibi invicem ab inteſtato ſuccedere: & nihil minùs eſſe hæredes neceſſarios, & poſtremo defunctum ipſo jure fieri hæredem fratris præmortui, & per eum totam hæreditatem ad ſubſtitutum pervenire.

Hæc quoque pugnat cum verbis, & ſententia legis, in qua ſubſtitutus, non ſuccedit uni tantùm, qui alterius hæreditatem obtinuerit; ſed utrique. Cùm enim ſimul perierint, aut utrique, aut neutri ſuccedere debet. Prætereà nuſquam in jure noſtro traditum eſt, teſtatorem facere poſſe neceſſarios hæredes ab inteſtato. Sola lex hanc poteſtatem habet. Sola enim lex defert inteſtatam hæreditatem *l. 2. §. ult. ff. unde legit.* Sola lex facit hæredes neceſſarios, & ipſo jure, ſine ullo facto transfert in eos dominium omnium rerum hæreditariarum *l. in ſuis 14. ff. de ſuis & legit. hered. l. in ſuis 11. ff. de liber. & poſt. l. qui in aliena 5. §. interdum 6. ff. de acquir. vel om. hered.* Hoc autem ab homine fieri non poteſt *l. traditionibus. C. de pact.* Prætereà, teſtator ſubſtituendo ultimò morienti, vult inter liberos conſervare jus legitimarum hæreditatum *d. l. vel ſingulis*: atqui legitima hæreditas fratris non defertur invito fratri: quocircà nec ex voluntate teſtatoris eſt hæres neceſſarius.

9 Ego ingenuè dicam, quod ſentio. Mihi videntur nodum in ſcirpo quærere, nec ſatis cepiſſe quæſtionem à Tryphonino propoſitam. Quæritur ibi, an, cùm ſimul perierunt, ſubſtitutus utrique ſuccedat, an neutri: videretur dicendum neutri ſuccedere, quia poſtremo morienti ſubſtitutus eſt, neuter autem poſtremus mortuus eſt, quia ſimul uterque deceſſit. Priuſquàm autem ſolvat hanc quæſtionem propoſitam, ſolvit alteram, quando alter poſt alterum obit naturali morte præreptum: quo caſu ait fratrem ſuperſtitem hæredem eſſe ab inteſtato fratris antè defuncti: ac deinceps ſubſtitutum moriente ultimo ad ejus hæreditatem admitti, in qua habebit etiam primi hæreditatem, quæ ad hunc ſecundum jam fuit devoluta. Hoc evincit omninò falſam eſſe opinionem eorum, qui fingunt hîc reciprocam pupillarem. Solutâ hâc quæſtione ad primam revertitur, quàm initio propoſuit de utroque impubere ſimul moriente. Ibi: *in propoſita autem.* Ait igitur, quòd cùm neuter alteri ſuperſtes fuerit, aut utrique ultimi deceſſerunt, aut neutri: quia comparatio ultimi decedentis ex facto prioris mortui ſumitur. Si dicimus utrumque poſtremum obiiſſe, utrique ſuccedet ſubſtitutus: ſi neutrum, neutri ſuccedet. Statuit autem priorem ſententiam potiùs admittendam: videlicèt, quòd uterque poſtremus videatur: atque adeò utrique ſuccedat ſubſtitutus. Probat hoc duobus exemplis. Qui unicum filium habet, ſi ſubſtituat ei, qui ſupremus morietur, non inutiliter ſubſtituit. Non videtur ſupremus mori, ſi eum nemo anteceſſit. Sed tamen ſupremus dicitur, quem nemo ſequitur *l. 1. §. 1. ff. de bon. poſſeſ. ſec. tab. l. ex duobus 34. ff. de vulg. l. proximus 92. ff. de V. S.* Sicut primus dicitur, quem nemo antecedit *d. l. 34.* Quamobrem in noſtra lege rectè ait Tryphoninus, quòd cùm neutri eorum alter ſuperſtes fuerit, utrique ultimi, primique obierunt. His verbis indicât idem juris eſſe, ſi quis primo morienti ſubſtituiſſet. Alterum exemplum eſt de proximo agnato. Proximus intelligitur etiam, qui ſolus eſt, & neminem antecedit *d. l. proximus 92. ff. de V. S.* & *l. proximi 155. ff. eod.* Ad rem aptius videtur exemplum legis XII. tab. quæ vocat ad hæreditatem proximum agnatum, & quamvis ſingulari numero uſa ſit, tamen dubium non eſt, quin ſi plures ſint ejuſdem gradûs, omnes admittantur *§. ſi plures 5. inſtit. tit. de legit. agnat. ſucceſ. l. 2. §. hereditas & §. legitima 4. ff. de ſuis & legit. hered.* Idem in edicto Prætoris, quo vocavit ad bonorum poſſeſſionem proximum cognatum: vocatus enim intelligitur, quicumque proximum locum obtinet *l. 1. §. ſi quis igitur 7. ff. unde cognati.* Sic & in caſu noſtro cùm teſtator ſupremo morienti ſubſtituerit, omnibus, qui ſupremi obierunt ſubſtituiſſe intelligitur. Facilis igitur eſt, & expedita, & nullis difficultatibus involuta definitio Tryphonini in hâc noſtrâ lege.

Sed contrarium definit Ulpianus in *l. ſi* 10

fueris

Digitized by Google

fuerit 10. *in princ. ff. de reb. dub.* quæ hanc ſubſequitur: ubi ait, quòd ſi legatum relictum fuerit ex cognatis ei, qui primus capitolium aſcenderit: ſi ſimul duo veniſſe dicantur, nec appareat, quis prior venerit: neutri legatum debetur, quod & in legato libertatis ait obtinere. Cùm enim non apparet, cui datum ſit legatum, neutri legatum debetur: idem Ulpianus in *l.* 3. §. *ſi duobus* 7. *ff. de adim. leg.*

Reſpondetur, in hoc legato longè aliam eſſe rationem, cùm longè diverſa ſit voluntas teſtatoris. Qui legat ei, qui primus capitolium aſcenderit, uni tantùm legare vult, eique totum id, quòd legat, deberi: neque enim vult ſcindi legatum inter duos, qui uni legat: neque vult hæredem onerare duplici legato, qui ſemel tantùm legat, qui unum tantummodo legatum relinquit. Incerta igitur eſt perſona legatarii à teſtatore deſignata, ideòque legatum valere non poteſt *l. qui plures* 18. *ff. de uſufr. leg. l. Paulus reſpondit* 4. & *l. ſi quis de pluribus* 27. *ff. de reb. dub.* Sicut non valet inſtitutio, ſi non appareat, quis fuerit hæres inſtitutus *l. in tempus* 62. §. 1. *ff. de hæred. inſtit.* Et aptiſſimè quadrat, quod ſtatuit Julianus in *l. qui ſolvendo* 42. *ff. eod.* Qui ſolvendo non erat, duos Apollonios liberos hæredeſque eſſe juſſerat. Lex Ælia Sentia unum tantummodo ſervum hæredem inſtituere permittit §. *licèt autem inſtit. tit. quib. ex cauſ. man. non lic.* Ibi: *liber fiat, hereſque ei ſolus, & neceſſarius l. qui ſolvendo* 60. *ff. de hæred. inſtit.* Non poteſt igitur uterque Apollonius liber & hæres eſſe; nec unus tantùm, ut in *d. l.* 60. quia uterque ſimul nominatus eſt, neuter primus eſt, aut ſecundus. Sequitur, ut neuter ſit hæres. Ita in ſpecie propoſitâ ambo ſimul venerunt, teſtator unum tantùm ad legatum voluit admitti: conſequens eſt neutrum admitti.

11 Multò aliter atque in legato, res eſt propoſita in ſubſtitutione. Non duo ſunt ſubſtituti, ſed unus ex duobus, iiſque ita ſubſtitutus eſt à teſtatore, ut velit utriuſque hæreditatem ad ipſum pervenire. Si primo morienti ſubſtituiſſet, & ut ſolet evenire, alter poſt alterum mortuus eſſet, ejus tantummodò, qui primus mortuus fuiſſet, hæreditatem ad ſubſtitutum pervenire voluiſſet: ſed cùm ſubſtituerit ultimo morienti, voluit inter eos conſervare jus legitimarum hæreditatum *d. l. vel ſingulis*; ac propterea ad ſubſtitutum pervenire totam ſuam hæreditatem; videlicèt non ſolùm partem ultimi, ſed etiam partem primi, quæ per ejus mortem ad ultimum jam fuerat devoluta. Quocircà cùm ultimus, quando moritur, poſſideat totam patris hæreditatem, totam quoque ſubſtitutus obtinebit. Totam quoque obtinere debebit utroque ſimul moriente. Nam ipſi ſuffragatur voluntas teſtatoris, & verba ſubſtitutionis minimè refragantur, argum. *l. ab omnibus* 104. *in fine princ. ff. de leg.* 1.

Sed iterum opponi poteſt, quod ait Mar- 12
cianus in *l. ſi ejus qui* 34. *ff. ad S C. Trebell.* Pater ei, qui noviſſimus ex filiis ſuis mortuus eſſet, mandavit, ut partem hæreditatis propinquo ſuo reſtitueret, ambo ſimul perierunt: propinquus ad nullam partem hæreditatis admittitur, niſi oſtenderit, quis noviſſimus obierit.

Facilis eſt & expedita reſponſio. Si non conſtet quis noviſſimus obierit, non conſtat de parte, quæ reſtituenda eſt ex fideicommiſſo; & cùm incertum eſt, quid relictum fuerit, non poteſt valere diſpoſitio teſtatoris *l. ſi ſic legatum* 75. §. 1. *ff. de leg.* 1. *l. quoties* §. *& ſi in re ff. de hæred. inſtit. l. legavi* 25. *verſ. contrà autem ff. de liberat. leg. l.* 1. §. *ſed etſi dotem* 7. *ff. de dot. præleg.* §. *Sed ſi uxori* 15. *inſtit. de legat. l.* 2. §. 1. & *in fin. ff. de hæred. inſtit. l. Clemens* 81. §. 1. *ff. eod.* & ad rem noſtram maximè conveniunt exempla propoſita in *l. Clemens* 81. §. 1. in *l. ex facto* 19. in *l. item, quod Sabinus* 17. *ff. eod.*

Aliter reſpondent gloſ. & Bartol. Primò, 13
quòd in *l. qui duos* agitur de ſubſtitutione directâ: hîc de fideicommiſſariâ. Obvia, & expoſita omnibus ſolutio, ſi itidem obvia eſſet ratio differentiæ. Secundò, quòd ideò non valet, quia mater eſt in medio ſecundùm Dynum. Planè nihil abſurdius; meritò eam reprobat Bartolus, ſed futili ratione: tamen primam putat eſſe veriorem: ſed de hoc ſemper ſe dubitaſſe profitetur. Rectè: utraque

enim longè abeſt à veritate. Illud à veritate alienum non eſſe exiſtimarem: quòd ſi pater ex æquis partibus eos hæredes inſtituiſſet, ita ut certa eſſet pars obnoxia reſtitutioni; ac præctereà unus, & idem utrique ſuccederet, eum teneri ad teſtituendam partem illam propinquo. Etenim hoc caſu nec repugnat ſignificatio verborum, quia uterque noviſſimus mortuus eſt *l. qui duos ff. de reb. dub.* ut paulò antè diximus, & voluntas teſtatoris congruit, qui voluit partem illam propinquo ſuo reſtitui. Ergo admittenda eſt hæc ſententia, ut ait Julianus in *l. ab omnibus* 104. *in princ. ff. de legat.* 1.

14 Ad uberiorem noſtræ legis explicationem non abs re erit examinare: an ſi teſtator ſubſtituerit, non ei, qui ſupremus, ſed ei, qui primus morietur, æquè ſubſtitutio ſuſtineatur. Et quidem in noſtra *l. qui duos* videtur indicari, hoc verba ſuadere, cùm utrique & ultimi, & primi mortui fuiſſe dicantur. Ibi *in fine principii.* Sicut igitur utriuſque hæreditas obvenit ſubſtituto, quando is ſubſtitutus eſt ſupremo morienti, eâ ratione, quia uterque ſupremus mortuus eſt *d. l. qui duos* & *l. ex duobus* 34. *ff. de vulg. & pupil. l. penult. in princ. ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* ita & quando ſubſtitutus eſt primo, quia uterque primus pariter mortuus eſt.

15 Contrarium tamen veriùs puto; quia licèt non repugnet ſignificatio verborum, refragatur tamen voluntas teſtatoris, qui cum primo morienti ſubſtituit, vult ſubſtitutum admitti ad hæreditatem primi, non ad hæreditatem utriuſque. Qui poſtremo ſubſtituit, vult conſervare jus legitimarum hæreditatum inter liberos *l. vel ſingulis* 37. *in fin. ff. de vulg. & pup.* videlicèt hæreditatem primi morientis ad poſtremum pervenire: & poſtremi, in cujus hæreditate etiam primi continetur, ad ſubſtitutum. Qui verò ſubſtituit primo morienti, vult ad ſolam hæreditatem primi ſubſtitutum admitti. Non conſtat autem, quis prior deceſſerit: nec igitur conſtat, ad quam hæreditatem vocatus fuerit ſubſtitutus: ad neutram igitur admitti poteſt; ut de legato reſponſum eſt in *l. ſi fuerit* 10. *ff. de reb. dub.* de ſubſtitutione fideicommiſſariâ in *d. l. ſi ejus* 34. Non dubito tamen hanc quoque ſuſtineri poſſe ſaltem in vim fideicommiſſi, ſi concurrant conditiones modò propoſitæ in fideicommiſſariâ.

Sed opponi poteſt *l. ſi ii, qui invicem* 26. *ff. de donat. cauſ. mortis.* Sed ibi conſtabat de perſona donatoris, & donatarii; atque itidem de re donatâ: exitaque hâc parte nihil erat impedimenti, cur utraque donatio valere non deberet. Solum ignorabatur, quis priùs obiiſſet. Sed quia uterque primus, uterque poſtremus obiiſſe cenſetur *d. l. qui duos*: placuit potiùs admittere eam interpretationem, per quam actus valeat, non pereat, ut ſemper fieri ſolet *l. ubi eſt* 21. *ff. de reb. dub. l. cogi* 16. *in fine princ. ff. ad SC. Trebell.* Quemadmodùm igitur in *l. qui duos* uterque poſtremus obiiſſe cenſetur ad ſuſtinendam ſubſtitutionem: ita uterque primus mortuus creditur ad ſuſtinendam donationem. 16

Rursùs obſtat *l. ſi inter* 8. *ff. de reb. dub.* 17
Ad hoc reſpondet Ulpianus in *l. cùm hic ſtatus* 32. *§. ſi ambo* 14. *ff. de don. inter vir. & ux.* Oratio Antonini Imperatoris confirmabat has donationes, ſi donatarius donatori ſupervixiſſet: infirmabat, ſi non ſupervixiſſet: ambo ſimul perierunt: ſupervixiſſe videtur donatarius, ut valeat donatio. Ac ſi mutuas donationes fecerint; uterque donatarius donatori ſuo ſupervixiſſe cenſetur, & valet utriuſque donatio. Fuſiùs hæc explicat ibi Ulpianus.

CAPUT XXXII.

Ad l. Paulus reſpondit 101. *§. Paulus reſpondit ff. de ſolut.*

SUMMARIUM.

1 *Debitor ſolvens poteſt imputare in cauſam, quam voluerit: item & creditor ſibi ſolvens.*
2 *Poteſt debitor in ſolutione dicere, in quam cauſam velit imputari, quod ſolvit; ſi nihil dicatur, ſolutio cedit in graviorem cauſam.*
3 *Graviores cauſæ quæ ſint. & n.* 4. 5. 6. 7. 8. 9.
10 *Hoc non obtinet ſi in contrarium appareat voluntas*

Digitized by Google

contrahentium: hac ex conjecturis deprehenditur Exempla & n. 11. 12.

13 *Exponitur l. ex pluribus 89. §. ult. ff. de ſolut. & n. 14.*

15 *Creditor poteſt referre, in quam cauſam voluerit pretium redactum ex venditione pignoris.*

16 *Exempla. & n. 17.*

18 *Si nihil dixerit, in leviorem cauſam cedet.*

19 *Exponitur l. pupilli debitor 96. §. cum eodem ff. de ſolut. & n. 22. 23.*

20 *Explicatur l. in his 5. §. Imperator ff. eod. & n. 24.*

21 *Explanatur l. ſi ita ſtipulatus 55. ff. de fidejuſſer. & n. 25.*

1 VErba legis ſunt. „ Paulus reſpondit „ aliam cauſam eſſe debitoris ſolven-„ tis, aliam creditoris pignus diſtrahentis: „ nam cùm debitor ſolvit pecuniam, in po-„ teſtate ejus eſſe commemorare, in quam „ cauſam ſolverit: cùm autem creditor pignus „ diſtraheret, licere ei pretium acceptum re-„ ferre etiam in eam quantitatem, quæ na-„ turâ debetur, & ideò deducto eo debitum „ peti poſſe. Proponit hîc Paulus diſcrimen inter debitorem ſolventem debitum creditori, & creditorem ſolventem ſibi ipſi ex pretio, quod redegit ex venditione pignoris. Quod ſolvit debitor, cedit in graviorem cauſam: quod ſibi ipſi ſolvit creditor, in leviorem. In eo tamen ſimiles ſunt; quòd ſicut eſt in poteſtate debitoris ſolventis imputare quod ſolvit, in cauſam, quam voluerit: ita eſt in arbitrio creditoris ſibi ipſi ſolventis ex pretio pignoris, id acceptum referre in cauſam, quam ipſe elegerit. Ratio tradita eſt ab Ulpiano in *l. 1. ff. de ſolut.* illis verbis: *poſſumus enim certam legem dicere ei, quòd ſolvimus.* Quod etſi de debitore prolatum eſt, pertinet tamen etiam ad creditorem. Etenim unuſquiſque eſt rei ſuæ moderator, & arbiter. *l. in re mandata. C. mand.* Creditor autem fit dominus pretii redacti ex venditione pignoris, cùm ejus dominium emptor in ipſum transferre teneatur *l. ex empto 11. §. & in primis ff. de action. empt. l. 1. in princ. verſic. emptor. enim ff. de rer. permut.* Quemadmodùm igitur debitor, cùm debitum ſolvit, poteſt legem dicere pecuniæ, quam ſolvit, quia ejus dominus eſt; alioquin enim ſolvendo non liberaretur ab obligatione: *l. quòd ſi fortè 14. in fin. ff. de ſolut. §. ſed ex diverſa inſtit. tit. quib. alien. lic. vel non l. Neratius 63. ff. de condict. indeb.* ita & creditor, cùm ſit dominus pretii, quod ſibi ipſe ſolvit, poteſt ſolutioni quamcumque legem dicere *l. in traditionib. 48. ff. de pact.* Expoſitâ ratione differentiæ inter ſolutionem debitoris, & creditoris, de utroque jam diſſeramus paulò accuratiùs.

Poteſt debitor in ſolutione dicere, in 2
quam cauſam, velit imputari, quod ſolvit *l. in princ. ff. de ſolut. l. 1. Cod. eod.* Si creditor in eam cauſam nolit imputare, liberum eſt ei non accipere *l. 1. ff. eod.* Si debitor in ſolvendo nihil dicat, convertitur electio ad creditorem *d. l. 1. C. de ſolut. d. l. 1. ff. eodem.* & ſi debitor non conſentiat, liberum eſt ei non ſolvere *d. l. 2. ff. de ſolut.* Et hæc in re præſenti, nempè in actu ſolutionis *l. 2. & 3. ff. de ſolut.* Cæterùm ſi neque debitor, neque creditor in ſolutione voluntatem ſuam declaraverint, creditor acceptum ferre debet in eam cauſam, in quam ipſe, ſi deberet, eſſet ſoluturus. *l. 1. ff. de ſolut.* hoc eſt, in graviorem, & duriorem cauſam. *l. 3. in princ. ff. eod.*

Graviſſima omnium eſt cauſa famoſa: 3
adeòque quod ſolvitur, primum omnium cedit in cauſam famoſam *l. ſi quid ex famoſa 7. & l. cùm ex pluribus 97. ff. de ſolut.*

Ceſſante cauſâ famoſâ, ſuccedit ſecundo 4
loco cauſa, quæ pœnam continet *l. & magis 4. in fin. l. ſi quid 7. in fin. l. cùm ex pluribus 97. verſic. mox ejus ff. de ſolut.* Hujuſmodi ſunt cauſæ, quæ adjunctam habent ſtipulationem pœnæ, & quæ inficiatione creſcunt, & ex quibus uſuræ currunt. Quòd ſi hæ ſimul concurrant, diſpiciendum erit, quænam ſit debitori damnoſior; ea enim eſt gravior & durior cauſa, quæ gravius damnum eſt allatura debitori.

Tertio loco ſuccedit cauſa judicati, quia 5
ex cauſâ judicati pignora capi poſſunt, & uſuræ debebuntur. *l. ſi quid 7. §. proindè ff. de ſolut.* Hæc autem comparatur obligationi ſub pœna in laudata *l. ſi quid 7.* Et ſanè poſt quadrimeſtres inducias judicatis à Juſtiniano conceſſas in *l. 2. & 3. C. de uſur. rei judic.* gravior cenſeri debet,

(Rr) ij

quàm alia ſimplex obligatio ſub uſuris.

6 Quartum gradum obtinet obligatio, quæ pignus, aut hypothecam adjunctam habet *l. cùm ex plurib.* 97. *ff. de ſolut.* quia creditor non ſolùm poteſt convenire debitorem, ſed & perſequi hypothecam, eamque diſtrahere § *Item Serviana inſtit.tit. de action l.ſi creditor 7.in fi:. cùm ſeq. ff. de diſtract. pign.*

7 Similis huic obligatio, cui fidejuſſor acceſſit, de quâ in *l.* 4. *in fin. ff. de ſolut.* Satiſdatio enim propriè ſignificat cautionem datis fidejuſſoribus *l.* 1. *ff. qui ſatiſd. cog. l.* 1. §. *jubet* 9. *ff. de collat. bon. l. ergo* 4. §. *addici* 10. *ff. de fideicomm. libert.* Sed puto graviorem cauſam, quæ ſub pignore, quàm quæ ſub fidejuſſoribus. Licèt enim in hâc debitor à duobus moleſtiam pati poſſit, tamen fidejuſſor vix ſolet convenire debitorem, niſi poſtquàm ipſe coactus fuit ad ſolvendum, quo caſu jam à creditore principali liberatus eſt; præterquàm quòd non modicum commodum recipit debitor, quod poſſit à creditore conveniri fidejuſſor, ut plurimùm accidit. Debitor autem, qui pignus, aut hypothecam obligavit, graviſſimum plerùmque incommodum ſentit ex ejus diſtractione.

8 Si nihil horum interveniat, gravius cenſetur id, quod proprio nomine debetur, quàm quod alieno, veluti fidejuſſorio *d. l.* & *d. l.* 4. *cùm ex plurib.* 97. non ſolùm quia diligens debitor potiùs creditur ſe exoneraturus proprio, quàm alieno debito, ut traditur in *d. l. cùm ex plurib.* 97. Sed etiam quia minùs periculum moleſtiæ ex hoc debito imminet, cùm poſſit creditor convenire debitorem principalem, imò id facere teneatur, niſi fidejuſſor beneficio excuſſionis renunciaverit *authent. præſente. C. de fidejuſſ. novell.* 4. *cap.* 1. *authent. hoc ſi debitor C. de pignor. & hyp.*

9 His omnibus deficientibus, id quod ſolvitur cedit in debitum antiquius *l.* 5. *in princ. l. ubi* 24. *l. cùm ex plurib.* 97. *l. creditor* 102. §. *Valerius ff. de ſolut.* quia lex præſumit debitorem hâc animi æquitate præditum, ut velit priùs diſſolvere debitum, quod priùs contractum fuit. Quòd ſi dierum, & contractuum par cauſa ſit, ex omnibus ſummis pro portione videtur ſolutum. *l. illud* 8. *ff. de ſolut.* Diſparem autem cauſam non facit ſummarum inæqualitas *l. ſi in duabus* 104. *ff. de reg. jur.* idcircò ſolutum cedit in utramque cauſam pro portione cujuſcumque ſummæ.

Quæ hactenùs expoſita ſunt, obtinent, 10
& omninò ſervanda ſunt, ſi non appareat contraria voluntas contrahentium, quam conjecturis etiam aſſequi poſſumus. Itaque ſi aliqua ſit obligatio, quæ diem, aut conditionem habeat, numquàm poteſt videri in eam cauſam ſolutum *l.* 3. §. 1. *ff. de ſolut.* Diem enim, & conditionem adjiciendo ſatis manifeſtè contrahentes declarant, ſe nolle ante diem, vel conditionem ſolvi. Eâdem ratione non poteſt videri ſolutum in eam cauſam, quæ eſt in controverſia *l.* 1. *ff. de ſolut.* qui enim debitum controvertit, eo ipſo declarat ſe nolle ſolvere. Non abſimilis eſt obligatio naturalis *l.* 5. §. *Imperator ff. de ſolut.* neque enim veriſimile eſt, debitorem velle ſolvere id, quod naturaliter debet, potiùs quàm id, quod debet civiliter, cùm ad hoc ſolvendum cogi poſſit, non verò ad illud *l. juris gentium* 7. §. *ſed cum nulla ff. de pact. l. naturales ff. de oblig. & action.* Et hùc pertinet generalis regula tradita à Juliano in *l. cùm ex plurib.* 105. *ff. de ſolut.* Debitorem ſolviſſe videri ex ea cauſa, ex quâ tunc, cùm ſolvebat, compelli poterat ad ſolvendum.

Hinc promanat definitio Modeſtini in *l.* 11
in liberto 77. *ff. de ſolut.* Si libertus in manumiſſione operas promiſit, & antequàm à Patrono indicantur, atque adeò antequam operarum dies cedat (neque enim debentur, antequàm petantur *l. ſi quis hâc lege* 13. §. *judicium. l. cùm Patronus* 22. *ff. de oper. libert. l. opera* 7. *ff. de uſufr. leg. l. interdum* 73. *in princ. verſic. Item ſi operas ff. de verb. oblig.*) cum Patrono debitum contraxerit, & deinceps poſt operas indictas, & non præſtitas, ſummam aliquam patrono ſolverit, ſolutio cedit in cauſam operarum, quæ poſteà deberi cœperunt, non in debitum antiquius: quia cùm Patronus non fuiſ-

ſet libertatem daturus ſine hâc operarum promiſſione , ac propterea omne debitum , quod poſteà contraxit liber factus , ab hâc promiſſione promanet , ac pendeat , ſatis conſtat contrahentes voluiſſe hoc debitum aliis omnibus antiquius haberi.

Nec aliâ ratione in uſuris à ſuperiori regulâ recedimus. Quod ſolvitur priùs in uſuras , poſteà in ſortem eſt imputandum *l.* 1. & *l.* 5. §. *ult. & leg. ſeq. ff. de ſolut. l.* 1. *C. de ſolut.* Eſt hoc grave debitori , commodum verò creditori. Nam ſi ſolutum accepto ferretur in ſortem , debitor liberaretur ſimul & à ſorte , & ab uſuris futuris , quæ cùm ſint acceſſoriæ , deberi non poſſunt exſtinctâ ſortis obligatione. *l. eos in princ. C. de uſur.* Cùm verò accepto feratur in uſuras , debitor ab obligatione ſortis non liberatur , ac proindè nec à curſu uſurarum , quod ipſi eſt admodùm grave , & incommodum. Quid ita ? nempè quia cùm creditor uſuras paciſcitur , aut ſtipulatur , eo animo paciſcitur , ut ſibi annuum redditum conſtituat , undè poſſit quotidianis neceſſitatibus ſubvenire : quemadmodùm qui fundum emit , eo animo emit , ut fructus percipiat , & annuum redditum ſibi conſtituat. Itaque ſolebant creditores paciſci , ut ſi uſuræ ad diem præſtitutum non ſolverentur , majores uſuræ deberentur , ut in *l. pecunia* 9. §. 1. in *l. Cajus Sejus* 10. in *l. cùm quadam* 17. *in princ. ff. de uſur.* in *l. quamvis* 8. in *l. ſi per te* 9. *C. eod.* Nec alio animo eſt debitor , qui ſpondet uſuras , ut pecuniam inveniat , ſperatque ſolutis uſuris futurum , ut à creditore non inquieretur in ſortis repetitione. Et hâc de causâ uſuræ conſtituuntur in ſingulos menſes , ut olim , vel in ſingulos annos , ut poſteà cœpit eſſe uſitatum. Quamobrem ex voluntate contrahentium recedimus à regulâ ſuperiore, & potiùs ſequimur, quod creditori, quàm quod debitori prodeſt.

Eâdem ratione nititur definitio Scævolæ in *l. ex pluribus* 89. §. *ult. ff. de ſolut. Titius duabus ſtipulationibus una* 15. *ſub uſuris majoribus , altera* 20. *ſub uſuris levioribus Sejum eâdem die obligavit , ita ut* 20. *priùs ſolverentur , id eſt , Idibus Septembris. Debitor poſt diem utriuſque ſtipulationis cedentem ſolvit* 26. *neque dictum eſt ab altero , pro quâ ſtipulatione ſolveretur. Quæro , an , quod ſolutum eſt , eam ſtipulationem exoneraverit , cujus dies anteceſſit , id eſt , ut* 20. *ſortis ſoluta videantur , & in eorum uſuras ſex data. Reſpondit magis id accipi ex uſu eſſe.* Hîc quoque in leviorem cauſam ſolutum accepto fertur , & , quod debitori eſt incommodum , videtur ſolutum. Expediret enim debitori ſe potiùs liberare ab obligatione ſub gravioribus uſuris , ita enim his uſuris gravioribus exoneraretur : contra verò levioribus uſuris liberatur. Quemadmodùm enim gravior eſt cauſa , ex quâ debentur uſuræ , quàm ea , ex qua non debentur , ut ſuprà diximus ; ita gravior eſt cauſa , ex quâ majores uſuræ debentur ; ſed Scævolæ reſponſum nititur voluntate contrahentium , quâ recedere cogitur à ſuperiori regulâ , & contrarium decernere. Nam cùm ambæ ſtipulationes eâdem die contractæ fuerint , & inter contrahentes convenerit , ut priùs ſolvatur , quod debetur ex ſtipulatione 20. quàm quod ex alterâ ſtipulatione , ſolutum ex voluntate contrahentium debet priùs cedere in ſummam 20. licèt cauſa levior ſit propter leviores uſuras.

14 Neque defendi poteſt veterum interpretum ſententia , qui putant ſolutum exonerare ſtipulationem 20. quia continet antiquius debitum , cùm dies ejus anteà ceſſerit : Nam tunc ſolutio refertur ad antiquius debitum , quando pares omninò ſunt cauſæ , nec ulla prægravat *l.* 5. *in princ. ff. de ſolut.* Ibi : *ſi autem nulla prægravet , ſed omnia nomina ſimilia fuerint , in antiquiorem. l. cùm ex pluribus* 97. *ff. eod.* Ibi : *ſi nihil eorum intervenerit , vetuſtior contractus antè ſolvitur.* Ea igitur eſt ſuperioris definitionis unica ratio , quòd inter contrahentes actum fuit , ut priùs ſolveretur ex ſtipulatione 20. quod autem actum eſt , cùm in aliis juris partibus , tum in ſolutione ſervari debet. *l. ubi fidejuſſor* 24. *ff. de ſolution.*

15 Hactenùs de debitore ſolvente creditori ,

nunc de creditore ſolvente ſibi ipſi ex pretio pignoris diſtracti, de quâ re agitur in ſecunda parte noſtræ legis. Creditor pignus diſtrahens poteſt pretium acceptum referre, in quamcumque cauſam voluerit, etiam leviſſimam. In noſtra *l. Paulus reſpondit : cùm autem creditor pignus diſtraheret, licere ei pretium acceptum referre etiam in eam quantitatem, quæ naturâ tantùm debeatur, & ideò deducto eo debitum peti poſſe.* Eſt hoc ſingulare : nam id ſemper videtur ſolutum, ad quod ſolvendum debitor compelli potuit. *l. cùm ex pluribus* 103. *ff. de ſolut.* Sed hoc in debitore ſolvente, non in creditore pignus diſtrahente. Cùm enim creditor poſſit retinere pignus etiam pro debito naturali *l. per retentionem* 4. & *l. pignoribus* 12. *C. de uſur.* quia etiam naturali obligationi poteſt pignus accedere *l. res hypotheca* 5. *ff. de pignor.* eodem modo poteſt etiam retinere pretium pignoris, cùm non aliâ de cauſâ pignus detur, quàm ut debitore ceſſante in ſolutione poſſit creditor illud vendere, ſibique ſatisfacere. *l. ſi creditor* 7. *§. ult. ff. de diſtract. pignor. l. ſi convenit* 4. *in fin. ff. de pignor. action.*

16 Poteſt creditor pretium etiam in impenſas factas acceptum referre *l. ſi neceſſarias.* 8. *in fin. ff. de pignor. act.* in tributa ſoluta cauſa prædii pignorati. *l. in ſumma* 6. *C. de pignor.* in uſuras, *d. l. ſi neceſſarias* 8. *in fin.* & *l. cùm & ſortis* 35. *ff. de pignor. act.*

17 Poteſt etiam in id, quod ſolus reus debet, omiſſo eo, quod ſatiſdato debet, ut eleganter definit Marcellus in *l. ob triginta* 73. *ff. de ſolution.* „ Ob 30 nummos pecuniæ creditæ fidejuſſorem in 20 dedi, & pignus in 10. Ex venditione autem pignoris creditor 10 conſecutus eſt. Utrum ex univerſitate id decedat, ut quidam putant, ſi in ſolvendis 10 nihil debitor dixiſſet : an, ſicut ego puto, in totis 10 fidejuſſori contingit liberatio, quia hoc dicendo potuit hoc efficere debitor, ut ubi non dixit, id potiùs ſolutum exiſtimetur, quod ſatiſdato debeatur. Magis tamen exiſtimo licuiſſe creditori in id, quod ſolus debebat reus accepto referre. „ Miror hîc Marcellum hæſitaſſe. Nam cùm debitor 30 dederit fidejuſſorem in 20, & pignus in 10, veriſimile eſt, id egiſſe contrahentes, ut pignus teneretur pro reliquis 10, pro quibus fidejuſſores non intervenerunt. Ac propterea pretium pignoris in ea decem eſſe imputandum, pro quibus pignus erat obligatum. Licèt enim pignus poſſit retineri etiam pro ea pecunia, pro quâ non fuit obligatum *l. un. C. etiam ob chirographar.* tamen cùm pignus tantummodò 10 veniſſe proponatur, non poteſt reliquum cedere in id, quod ſatiſdato debebatur, quemadmodùm decretum fuit in *l. fidejuſſores* 68. *§.* 1. *ff. de fidejuſſ.* Sed nimirùm Marcellus voluit definire eam quæſtionem, an vendito pignore eligere poſſit debitor, in quam cauſam cedere velit pecuniam ex pignoris venditione redactam, an verò creditor, quod eo tempore erat valdè controverſum, ut apparet ex ipsâ leg. Quamobrem poſthabitâ controverſiâ voluntatis, ſolummodò de poteſtate controverſiam facit.

Conſtat igitur poſſe creditorem vendito pignore dicere, in quam cauſam pretium ex eo redactum accepto ferat. Quòd ſi non dixerit, in leviorem cauſam cedet. Quemadmodùm enim cùm electio eſt debitoris, eo non eligente, ſolutio cedet in graviorem, & duriorem cauſam, quia eam præſumitur electurus fuiſſe *l.* 1. & 3. *ff. de ſolut.* ita cùm electio eſt creditoris, eo non eligente cedere debet in leviorem, quia præſumendum eſt, eum in leviorem cauſam accepto laturum fuiſſe : correlativorum enim par eſſe cauſa debet. *l.* 1. *C. de cupreſſ. l.* 11. 18

Sed contrarium videtur reſpondiſſe Papinianus in *l. Pupilli debitor* 96. *§. cum eodem ff. de ſolut.* Nam ſi eodem tempore pro duobus contractibus pignus fuerit obligatum, pretium pignoris cedit in utramque cauſam pro ratâ portione : ſi diverſis temporibus in antiquiorem. Ibi „ Cùm eodem tempore pignora duobus contractibus obli- 19

„ gantur, pretium eorum pro modo pecu„ niæ cujuſque contractûs creditor accepto „ facere debet, nec in arbitrio ejus electio „ erit, cùm debitor pretium pignoris con„ ſortioni ſubjecerit. Quòd ſi diſcretis tem„ poribus, ſuperfluum pignorum obligari „ placuit, priùs debitum pretio pignorum „ jure ſolvitur, ſecundum ſuperfluo com„ penſabitur.

20 Ulpianus quoque in *l. 5. §. Imperator ff. de ſolut.* ex reſcripto Antonini Imperatoris reſpondit, quòd diſtractis pignoribus pretium cedit tam in uſuras debitas, quàm indebitas, hoc eſt, naturaliter tantùm debitas, nec poteſt creditor id totum in has uſuras imputare, ſed æqualiter in utraſque non pro ratâ portione.

21 Paulus quoque in *l. ſi ita ſtipulatus. 55. ff. de fidejuſſ.* recedere videtur à regula, quam ſtatuit in *l. Paulus reſpondit §. Paulus reſpondit ff. de ſolut.* Ait enim, quòd ſi excutiantur bona Seji, qui pro Titio intercellerat pro omnibus ſummis, quas mutuo foret accepturus: id, quod ex iis redigetur, omnibus ſummis æquo jure proficere debet. Quod autem ex bonis debitoris redigitur, tenetur exemplo ejus, quod ridigitur ex venditione pignorum *l. fidejuſſores 68. §. 1. ff. de fidejuſſ.*

22 Non ſunt hæc contraria illis, quæ ſuprà ſunt à nobis conſtituta, ſed exceptiones regulæ traditæ à Paulo in lege, quam explicavimus. Sunt enim ejus regulæ duæ exceptiones; Prima, ſi repugnet voluntas contrahentium: quod enim ipſi in contrahendo voluerunt, ſervandum eſt: de qua diximus etiam in ſolutione debitoris. Hujus exceptionis duo proponuntur exempla à Papiniano in laudata *l. Pupilli debitor. 96. §. cum eodem ff. de ſolut.* Primum ſi pro duobus contractibus eodem tempore pignus fuerit obligatum. Tunc enim apparet debitorem voluiſſe pignus æquè obligare pro utroque contractu, & pretium in utramque cauſam cedere pro portione. Nam cùm eodem tempore pro duobus contractibus pignus obligaverit, ſine ullâ diſtinctione voluit eos quaſi quâdam ſocietate, & communione conjungi, ita ut par ſit utriuſque cauſa: atque adeò voluit etiam pretium pignoris in utrumque pro ratâ portione accepto referri argumento text. in *illud 8. ff. de ſolution.* Quamobrem animadvertendum eſt, quòd in ea leg. Papinianus non negat generaliter, creditorem pignus diſtrahentem habere electionem, ſed eo tantum caſu, quo debitor pretium pignoris conſortioni ſubjecerit: hoc eſt, quo duas obligationes ita conjunxerit, ut in unam penè coaleſcerent quoad pignoris obligationem. Eleganter Liv. *l. 40.* „ Meliora quoque exempla parte altera „ poſui, ſociabilem conſortionem inter bi„ nos Lacedæmoniorum reges ſalutarem per „ multa ſæcula ipſis patriæque.„ Quæ fuit inter binos Lacedæmoniorum reges animorum conjunctio, & communicatio conſiliorum, eam communionem & conjunctionem inter duas obligationes ratione pignoris inducit debitor, pro utrâque ſimul obligando pignus, quam eleganter Papinianus vocat conſortionem pignoris: fit enim hoc modo pignus conſors, & particeps utriuſque contractûs.

In altero exemplo eſt multò evidentior voluntas debitoris pignus obligantis. Proponitur enim debitor, qui diverſis temporibus pignus obligavit, & pro ſecundo contractu obligavit tantummodò ſuperfluum, nempè quod ſupereſt ex primo contractu: quod reliquum eſt, & reſiduum: quod quantitatem debitam ex primo contractu excedit. Hoc enim dicitur ſuperfluum in pignore, ac pretio pignoris. *l. ſi autem 7. l. eleganter 24. §. ſi vendiderit. l. creditor. 42. ff. de pignor. act. l. 1. C. ſi major fact.* Quamobrem perſpicuum eſt, hâc voluntate debitoris, & conſenſu mutuo creditoris in contrahendo ademptam fuiſſe creditori electionem. 23

Secunda exceptio eſt, cùm agitur de acceſſionibus, non de pœnali obligatione. Acceſſionum cauſa tanti non fuit apud veteres juriſperitos, ut idem jus creditori tribuendum exiſtimarent, quod in pœnali obligatione, quia quæ fiunt per conſequentia, vix à jure ſolent attendi *l. 1. & l. quod dicitur. 7.* 24

ff. de auctor. tut. Hujus quoque exceptionis duo ſunt exempla in jure noſtro, & quidem ſingularia. Primum proponitur in laudata *l. in his* 5. §. *Imperator ff. de ſolut.* in quo illud etiam eſt omninò ſingulare, quod non ſolùm pecunia ex diſtractione pignoris redacta cedit in ſolutionem, tam uſurarum quæ naturaliter, quàm earum, quæ civiliter debentur, ſed etiam æqualiter, non pro ratâ in utraſque accepto debet referri. Non aliâ ratione, quàm quia id placuit Antonino Imperatori, qui ita reſcripſit, ratus debere creditori ſufficere, ſi pro æquis partibus tam indebitas, quàm debitas uſuras conſequatur: quod aſſequi non poſſet ſolvente debitore, cujus ſolutio ad uſuras indebitas, hoc eſt, naturaliter debitas non proficeret. *l. in his* 5. §. *Imperator verſ. quod generaliter l. Creditor* 102. §. *Cùm de ſorte ff. de ſolution.* Quidam tamen aliam rationem excogitarunt quòd ibi debita erant æqualia, licèt ſummæ uſurarum eſſent inæquales. Optimum ſanè perfugium, ſi liceret generale reſcriptum Imperatoris ad hunc caſum non admodùm frequentem coarctare: aut ſi ullum in totâ illâ lege verbum nobis indicio eſſet ad hoc comminiſcendum.

Alterum exemplum proponitur in laudata 25
l. ſi ita ſtipulatus 55. *ff. de fidejuſſ.* ubi in obligatione Seji acceſſoriâ idem eſt conſtitutum, ut non ſolùm diſtractio pignorum proficiat omnibus ſummis à pœnali debitore debitis, ſed etiam omnibus æquo jure proficiat: hoc eſt, non pro ratâ, ſi ſummæ ſint inæquales, ſed æqualiter in omnes accepto feratur pignorum diſtractorum pretium. Quod fortaſsè reſpondit Paulus adductus auctoritate reſcripti Antonini, de quo modò diximus.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LEGUM

Quæ in hoc Opere explicantur, conciliantur, emendantur.

Primus numerus Librum, *ſecundus* Capitulum, *tertius* Sectionem *in margine notatam deſignat.*

Ex Jure Canonico.

CAp. ex parte 18. *de cenſibus.* Lib. 4. Cap. 18. Sect. 11. 12.

C. olim 20. *C. cùm Canonici penult. de cenſ.* 3. 12. 11. 12.

Ex Inſtitutionibus.

PR. tit. Inſtit. de Juſtitia & Jure. 3. 6. *per totum.*

§. prætorum 7. *de Jure nat. Gent. & civil. explicatur ex profeſſo.* 1. 6.

§. eſt autem litus 3. *de Rer. Diviſ. explicat.* 1. 20. *per totum.*

§. gallinarum 16. *eod.* 1. 23. 2. & 3.

princip. de ſervitutibus prædiorum 1. 30. *per totum.*

§. aliæ 2. *de Donation. explicatur.* 2. 28. 7.

princ. de exhær. liberorum. 1. 11. 38.

§. videamus 7. *de hæred. inſtituendis.* 4. 11. 9.

§. ſui autem 2. *de hæred. qualitat. & differ. rent.* 1. 9. 39.

§. at hi 10. *de hæreditat. quæ ab inteſtato.* 1. 11. 29. & 30.

§. ſunt autem 3. *de bonor. poſſeſſion. explicatur ex profeſſo.* 1. 7.

§. præterea 3. *quibus modis tollitur obligatio.* 2. 14. 12. & 2. 15. *per totum.*

§. conceptum 4. *de obligat. quæ ex delict. explicatur.* 1. 26. *per tot.*

§. pœna manifeſti 5. *eodem* 1. 25. *per totum.*

§. ſi communi 4. *de injuriis explicatur.* 1. 21. *per totum.*

E Digeſtis.

LEg. Juri 1. *de Juſtitia & Jure.* 1. 10. 51. & *ſeqq.*

l. ſolent 6. *princ. de officio Proconſul.* 1. 1. 8.

l. licitas 6. *§. qui univerſas* 8. *de officio Præſid.* ibid.

l. Senatuſconſulto 16. *eodem.* 3. 1. 10.

l. 1. *de officio ejus cui mandata eſt juriſdict.* 1. 2. *per totum &* 1. 3. 1. 4.

l. diem 4. *de offic. adſeſſor.* 3. 1. 10. & *per totum.*

l. imperium, 3. *de Juriſdict.* 1. 1. *per totum.*

l. qui Juriſdictioni 10. *eodem, explicat. ex profeſſo.* 1. 5.

l. 1. *ſi quis jus dicenti non obtemperaverit.* 1. 4. 42.

l. in jus vocari 2. *de in jus vocando* 1. 4. 12. & *ſeqq.*

l. ex hoc 3. *§. planè* 1. *de eo per quem fact. erit.* 2. 15. 25.

l. Juris gentium 7. *§. adeò* 6. *de pactis.* 1. 14. 15. & *ſeqq.*

l. niſi hoc actum 22. *eod.* 3. 8. 43. & *per totum.*

l. & poſt rem 7. *§.* 1. *de tranſactionib.* 4. 24. 6.

l. cùm hi 8. *§. tranſactiones, eodem.* 3. 3. 15.

l. minor. 51. *de Procuratoribus, explicatur.* 2. 9. *per totum.*

l. Divus 7. *princ. de in integrum reſtit.* 2. 15. 5.

l. quòd ſi minor 24. *§. ult. de minor.* 2. 10. 6.

l. tutelas 7. *de cap. minutis.* 4. 24. 16.

l. abeſſe 32. & *l. ſeq. §.* 1. *ex quib. cauſ. majores.* 3. 1. 13.

l. non poteſt videri 23. *de judiciis.* 4. 23. 8. & *per totum.*

l. non quemadmodùm 35. *eodem.* 4. 23. 9.

l. ſed etſi 52. *eodem.* 5. 8. 11.

l. eadem. §. 1. eod. explicatur ex profeſſo 2. 18. per totum.
l. ſolemnis, 61. eodem. 2. 30. per totum.
l. ſi quis intentione 66. eodem. ibid.
l. in privatis 77. eodem, explic. ex profeſſo. 1. 5.
l. ſi in judiciis 80. eodem. 1. 5. 15.
l. quemadmodum 7. de inoſſicioſ. teſtam. 1. 8. 14. & ſeqq.
l. Papinianus 8. pr. eod. explicatur ex profeſſo. 1. 8. per totum.
l. nec ullam 13. §. penult. de hær. petit. 1. 15. 17.
l. idem Pomponius 5. §. ult. de rei vindicat. 2. 30. 22.
l. ſi is qui 7. eodem. 1. 15. 17.
l. ejus rei 46. eodem. 1. 15. 6. & per totum.
l. Proculus 19. de Uſufr. 3. 18. 12. & 19. 11.
l. qui uſumfructum 36. eodem. 5. 26. 4. 5.
—— §. 1. eodem. 5. 1. 6.
l. 1. §. 1. de uſufruc. accreſ 4. 19. 2. & ſeqq.
l. quid tamen 10. quib. mod. uſusfruct. amitt. 5. 26. 3. & ſeqq.
l. ſi tibi 17. eodem. 4. 24. 6.
l. qui uſumfructum 3. ſi uſusfruct. petatur. 4. 6. 5. in fine.
l. ſi plenum 12. §. equitii, de uſu & habitat. 5. 8. 11.
l. Divus 22. eodem. 3. 19 7.
l. pro parte 11. de ſervitut. 4. 24. 9. & 16. 7.
l. ſi ſervitus 23. de ſervit. urban. præd. 3. 25. 1. 27. & per totum.
l. qui ſella 7. de ſervit. præd. ruſticor. 1. 30. per totum.
l. huic ſcripturæ 15. ad leg. Aquil. 4. 24. 13.
l. inde Neratius 23. §. idem Julianus 3. eod. 2. 24. 30.
l. in lege 40. eodem. 4. 23. 10.
l. Pomponius 8. §. 1. famil. erciſcund. explicatur. 1. 28. 15.
l. & puto 16. §. Julianus, eodem. 3. 18. 6. 7.
l. Neratius, §. quamvis de ſervo corrupt. 3. 14. 6.
l. 3. de rebus creditis 3. 30. 2. & per totum.
l. cùm quid 3. eodem. 3. 10. 1. & per totum, & 3. 12. per tot.
l. certi condictio 9. §. ult. eod. explicatur. 1. 23. 3.
l. quòd ſi 10. eodem. ibid.
l. ſi ego pecuniam 18. eod. & 1. 17. & per totum.
l. ſi tibi pecuniam 20. eodem. 5. 11. 2.
l. vinum 22. eodem. 3. 11. 9. & ſeqq.
l. pecuniam 36. eodem 1. 9. 59. 63. & ſeqq.
l. ejus qui 41. verſ. quas verò pecunias, eodem. 1. 16. 13. & per tot.
l. quod pupillus 41. de condict. indeb. 2. 14. per totum.
l. ſervo 58. eodem. 2. 24. 17.
l. arbitraria 2. §. qui ita ſtipulatur 6. de eo quod cert. loc. 2. 20. 9.
l. unde quæritur 7. in fin. commodati. 3. 15. 4. & ſeq.
l. in rebus 18. §. 1. eodem. 3. 15. 4. 5.
l. ſi rem 9. §. 1. de pignorat. action. 2. 12. 24.
l. ſolutum. 11. §. ſolutam 5. eodem. 2. 11. 17.
—— §. per liberam 6. eod. 2. 12. 22. & ſeqq.
l. rem alienam 41. eodem 4. 22. 14. & ſeqq.
l. 1. §. licet 20. de exercitor. actione. 2. 13. 13. & ſeqq.
l. deprecatio 9. ad leg. Rhod. de jact. 3. 4. 17. & per totum.
l. ſi quis 3. princ. de ſenatuſconſ. Macedon. 2. 15. 21.
l. uni ex heredibus 58. de peculio. 2. 28. 9.
l. ult. §. ſi mulier, penult. ad ſenatuſc. Vellejan. 2. 5. per totum.
l. Lucius Titius 24. Depoſiti. 4. 12. 13.
l. ſi mandavero 22. §. fugitivus 9. mandati. 3. 9. 16.
l. ſervum Titii 49. eodem. 1. 16. 9. & ſeqq.
l. cum duobus 52. §. damna 3. pro ſocio. 2. 26. per totum.
l. origo. 1. de contrahend. empt. 3. 12. 2. 4. 5.
l. etſi conſenſum 15. §. ult. eodem 1. 16. 6. 7.
l. ſi ita 25. pr. eodem. 2. 2. 28.
l. ſi in emptione 34. princ. eodem. 1. 19. 1. & 2. 2. per tot.
l. ſi debitor 39. §. 1. eodem. 1. 27. 13.
l. Labeo 45. eodem 1. 19. per totum.
l. comprehenſum 60. eodem. 2. 2. 29.
l. fiſtulas 78. §. ult. eodem 2. 26. 19. & ſeqq.
l. ult. de hered. vel action. vend. 5. 1. 5.
l. emptio 3. de reſcind. vendit. 1. 14. 12. & 36
l. ex empto 11. §. ult. de action. empt. 4. 12. 17.
l. ſi ſterilis 21. §. quamvis 2. eodem, emendatur. 1. 19. 5.
l. cui res 29. eodem. 3. 9. 18.
l. ſi venditor 38. pr. eodem. 2. 27. 6.
l. ſi ſervus penult. §. ult. eodem. 2. 2. 30.
l. ex conducto 15. §. ſi uno 4. locati. 5. 1. 8.

Digitized by Google

l. ſi in lege 24. §. *ſi domus* 2. *eodem*. 2. 20. 6.
—— §. *colonus* 4. *eodem*. ibid. *num*. 9.
l. in lege 29. *eodem*. 4. 17. 13.
l. ſi quis conduxerit 46. *eodem. explicatur* 1. 29. *per totum*.
l. dominus 55. §. 2. *eodem*. 2. 20. 6. & 7.
l. qui ſervandarum §. 1. *de præſcr. verb*. 3. 14. 6.
l. 1. *in princ. de pignorib*. 4. 22. 14.
l. ſi Titio 22. *eodem*. ibid. & *ſeq*.
l. legati 28. *eodem*. 3. 9. 12.
l. 1. *princ. qui potior. in pign*. 2. 12. 8. & *ſeqq*.
l. qui balneum 9. §. *ſed etſi hæres*, *eodem*. 3. 9. 13. & *per totum*.
l. inſulam 13. *eodem*. 4. 9. 2.
l. Paulus 12. *quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv*. 3. 8. 20.
l. Ædiles 25. §. *item ſciendum* 8. *de Ædil. Edict*. 2. 30. 9. & *ſeqq*.
l. bovem 43. §. 1. *eodem*. 1. 28. 27.
l. cum de in rem verſo 6. *de Uſuris* 5. 5. 8.
l. 3. *de probationibus*. 5. 2. 7.
l. dotis 7. §. *ſi uſuſfructus*, *de Jur. dot*. 5. 1. 3.
l. Nuptura 57. *eodem*. 4. 18. 13.
l. ubi ita donatur 27. *de donat. inter vir. & uxor*. 5. 1. 9.
l. donationes 31. *in pr. eod*. 4. 25. 4. & 26. 24.
l. cùm hic ſtatus 32. §. *ſi inter* 24. *eod*. 4. 12. 24.
l. ſed etſi 21. *ſolut. matrimon*. 1. 14. 10. & *ſeqq*. & *num*. 36.
l. ſi Mævia 49. *eodem*, *emendatur*. 1. 24. 8.
l. ſi tutor 2. §. *amplius* 1. *de adminiſtr. tutor*. 2. 8. 1. & *per tot*.
l. Neſennius 32. *de excuſ. tutor*. 5. 3. 5.
l. adminiſtratores 41. §. *eorum*, *eod*. 3. 1. 10.
l. lege Cornelia 12. *qui teſtament. facere poſſ*. 3. 21. 17.
l. ſi ita ſcriptum 13. *princ. de liber. & poſt. explicatur*. 1. 21. 6. & 4. 11. 9.
—— §. *teſtamentum*, *eodem*. 3. 30. 6.
l. ſi filius 16. *eodem*. 4. 29. 11.
l. Titius 25. §. 1. *eodem*. 5. 18. 1. & *per totum*.
l. filius 28. *eodem* 4. 29. 16. & *per totum*.
l. inter cætera 30. *eodem*. 1. 10. 54. & *ſeqq*.
l. ſi quis filio 6. §. 5. *de injuſt. rupt*. 1. 1. 7.
l. poſthumus 12. *princ. eod*. 1. 11. 23. & 26.
l. filio præterito 17. *eodem*, *explicatur ex profeſſo*. 1. 10. & 11.
l. quoties 9. §. 2. *de hæred. inſtit*. 4. 16. 1.
& *per totum*.
—— §. *ſi duo* 13. *eod*. 4. 11. 2. & *per totum*.
—— §. *ſi quis ita* 14. *eodem*. 3. 30. 6.
l. Julianus 15. *eodem*. 4. 10. 8. 9.
—— §. *ult. eodem*. 4. 11. 9.
l. item quod Sabinus 17. §. *ſed ſi aſſe*, *eod*. 5. 20. 1.
—— §. *ult. eodem*. 4. 11. 9.
l. ex facto 19. *eodem*. 4. 15. 5. & 5. 20. 2.
l. ſi quis ita 36. *eodem*. 4. 14. 8. 9.
l. qui filio 58. §. *ſi quis ſervum*, *eod*. 3. 17. 3. & 5. 3. 1.
Debitor ſolviſſe videtur in eam cauſam, ex quâ tunc cùm ſolvebat, compelli poterat ad ſolvendum, 5, 32, 10, 15.
—— non ita eſt in creditore ſibi ſolvente, *ibid. ſect.* 15.
Debitor uſuras promittit, ut pecuniam inveniat, & non inquietetur repetitione ſortis, 5, 32. 12.
Debitor creditur potiùs velle ſe exonerare debito proprio, quàm alieno, 5, 32, 8.
Debitor in duriorem cauſam ſolviſſe præſumitur, creditor in leviorem, 5, 32, 18.
Debitor cenſetur ſe voluiſſe obligare in id quod minus eſt, 4, 9, 6.
Debitor qui ſatisfecit, conveniri non poteſt, 3, 8, 44.
Debitor auri vel argenti poteſt ſolvere pretium in pecuniâ numeratâ, 3, 10, 9.
—— ſi tamen non ſit ejus ſpecies deſignata, *ibid.*
Debitor qui ſolvit id quod debet, liberatur ab obligatione, 3, 10, 8.
Debitori magis quàm creditori favere conſentaneum eſt, 4, 17, 3.
Debitori principali nil prodeſt liberatio niſi fidejuſſor quoque liberetur, 3, 8, 29.
Debitoris electio eſt, niſi creditor illam ſibi reſervaverit, 5, 21, 9.
Debitoris bonorum pretium tenetur exemplo ejus quod redigitur ex venditione pignorum, 5, 32, 21.
Debitoris nihil refert creditori ſolvat, an fidejuſſori contra ſe regreſſum habenti, 3, 8, 43.
Debitoris liberati nihil intereſt liberari alios ſimul obligatos, niſi ſocii ſint, 3, 8, 29.
Debitorem velle ſolvere id, quod naturaliter debet potiùs, quàm id quod debet civiliter non eſt veriſimile, 5, 32, 10.
Debitore non dicente in quam cauſam ſolvit, accipiens poteſt, in quam cauſam velit, referre, 5, 32, 2.
—— & hoc in actu ſolutionis, *ibid.*
Debitores olim in generali hypothecâ expreſsè obligabant res præſentes ac futuras, 3, 25, 32.
Decem ſtipulans ſibi & Titio ſola quinque pro ſe ſtipulatur, 4, 9, 6.
—— contrà ſi ſtipularetur *dena mihi & Titio*, *ibid.*
Declaratio voluntatis maximè fit ex aliis teſtamenti partibus, 4, 3, 6.
Defenſor idoneus nemo ſine ſatiſdatione, 2, 9, 2.
Defenſor idoneus non eſt minor, *ibid. ſect.* 3.
Defenſore in integrum reſtituto liberantur fidejuſſores, *ibid. ſect.* 8.
Defuncti bona quæ heres habiturus eſſet etiam alio herede exiſtente, cenſentur extrà cauſam ejus bonorum, 3, 9, 17.
Delata hereditas non eſt ei, qui acquirere non poteſt, 4, 4, 3.
Delicta plura committens omnium pœnas dare debet, 3, 14, 5.
—— etiam ſi unicum ſit factum ea continens, *ſect.* 6.
—— & ſuper utroque Judex debet pronuntiare, *ibid. in fin.*
—— idem quoque eſt de injuriis, *ſect.* 7.
Demonſtratio in futurum collata conditionem facit, 2, 27, 13.
Demonſtrativè, an taxativè facta ſit aſſignatio, *vid. ibid.* & ſuprà in verbo *Aſſignatio.*
Demonſtrata res dicitur ſi conſtet quid, cuique datum fuerit, 5, 14, 1.
Demonſtratio quid, 5, 15, 1.
Demonſtratio adjicitur ut certò conſtet de voluntate diſponentis, 5, 14, 1.
Demonſtratio ſuperflua eſt, ſi de voluntate diſponentis aliundè conſtet, 5, 14, 1, 11.
Demonſtratio minuit quoque legatum, cui non videtur adſcripta, 5, 16, 1, & *plur. ſeqq.* & 17, 1. & *per tot.*
Demonſtratio quæ in futurum concipitur, habet vim conditionis, 5, 19, 1.
Demonſtratio fruſtrà adjicitur, re per nomen ſatis demonſtratâ, 5, 15, 1.
Demonſtratio rei præſentis falſa eſſe non poteſt, *ibid.*
Demonſtratio auget legatum, vel minuit, vel etiam tollit, *ibid. ſect.* 3.
Demonſtratio vice nominis fungitur, 5, 15, 1.
Demonſtratio differt à conditione, 5, 20, 9.
Demonſtratio debiti naturalis, ſive mera civilis, non eſt falſa, 5, 21, 11.
Demonſtratio debiti legato relicti debitori ſuo le-

gatum perimit, ſi falſa ſit, ſcilicèt ſi nihil debeatur, & ſumma vel res debita expreſſa non ſit, 5, 22, 2.
Demonſtratio adjecta executioni, non ſubſtantiæ legati, non facit conditionem, 5, 20, 7.
Demonſtratio verè conditionem non facit, niſi ſit in futurum collata, 5, 20, 8.
Demonſtratio afficiens ſubſtantiam legati, illud minuit vel extinguit, 4, 9, 4.
—— contrà ſi afficiat executionem, *ibid.*
Demonſtratio ſi non conveniat rei legatæ, ſi genus legatum ſit, in eo genere res non continetur, 5, 25, 1.
—— ſi legata ſit res certa, quærendum eſt de voluntate teſtatoris, *ibid.*
Demonſtratio ſi ampliùs rei legatæ non conveniat, in legato ſpeciei faciliùs tollitur legatum uſusfructùs, quàm ipſius rei, 5, 26, 1.
Demonſtratio rei, quæ non eſt in rerum naturâ, vel juris quod non competit, actum inutilem reddit, 3, 8, 18.
Demonſtratio falſa non vitiat diſpoſitionem, 5, 14, 1.
—— ſive in re erratum fuerit, ſive in perſonâ, *ibid. ſect.* 2, 3, *&* 8.
Demonſtratio falſa, legatum non vitiat, 5, 8, 5.
Demonſtratio falſa, quæ quoquo modo lædit jus commune, vitiat, ac perimit actum, cui adjicitur, 5, 18, 1, *& per tot.*
Demonſtratio falſa, cùm deſignat certum quid, quod in rerum naturâ non ſit, vitiat diſpoſitionem, 5, 18, 11.
Demonſtratio falſa in re quandò incidat, 5, 14, 3.
Demonſtratio falſa, quæ habet vim conditionis, reddit actum inutilem, 5, 19, 1.
Demonſtratio falſa vitiat exheredationem, 5, 18, 12.
Demonſtratio falſa cognationis & affinitatis non vitiat, 5, 19. 2, 4.
Demonſtratio, ſi partim vera ſit, partim falſa, vero falſum cedere debet, 5, 14, 10.
Demonſtratio partim falſa legatum non vitiat, nec impedit ne legato generali contineatur, 5, 23, 1.
Demonſtratio, ſi ſit pro parte falſa ob diminutionem rei legatæ, tota debetur qualis erat tempore facti teſtamenti, ſi per verba præſentis temporis demonſtrata ſit, 5, 23, 8.
—— niſi pars ad minuendum legatum alienata ſit, *ibid.*
—— ſi demonſtrata ſit per verba futuri temporis, debetur id quod ſupereſt tempore mortis, *ibid.*
Demonſtratio turpis perimit legatum, 5, 13, 1.
—— & inſtitutionem, *ibid.*
Demonſtratio turpis vitiat diſpoſitionem, etiamſi in genere maledicti ſteterit teſtator, nec ad ſpeciem progrediatur, 5, 13, 2.
Demonſtratio vera nocet legato ejus quod debetur creditori relicto, falſa non nocet, 5, 22, 6.
Demonſtrationis falſæ in perſonâ exempla, 5, 14, 2.
Demonſtratione rei legatæ non conveniente res demonſtrata legato continetur, ſi quidem inceperit convenire, 5, 24, 1.
Deportatus inſtitui non poteſt, 4, 21, 15.
Deportati ſervus heres inſtitutus acquiret hereditatem, ſi vivo teſtatore à deportato alienetur, vel ſi deportatus reſtituatur, 4, 21, 15.
Deportati filius vel liberi faciunt deficere conditionem ſi ſine liberis deceſſerit, 3, 28, 4.
—— etiam anteà concepti, & ſi poſteà edantur, *ibid.*
Depoſitarius, ſi non poterat reſtituere depoſitum tempore petitionis, poſſit verò ante rem judicatam, debet condemnari, 4, 23, 3.
Depoſiti duo ſunt genera, 4, 12, 13.
—— & eorum diverſi effectus, *ibid.*
Depoſiti actio continet dolum non tantùm præteritum, ſed etiam futurum, 4, 23, 3.
Depoſitum pecuniæ eâ lege, ut tantùmdem debeatur, & uſuræ ſolvantur, ſubſiſtit, 4, 12, 13.
—— & in eo ceſſant plura, quæ de vero depoſito ſtatuta ſunt, *ibid.*
Depoſitum non ſemper ſignificat contractum, 2, 28, 24.
Derogare juri non poteſt Prætor, 5, 18, 8.
Deſcendentes fœminarum excludi poſſunt, ſi vocentur alicujus filii maſculi, & eorum deſcendentes maſculi, 3, 29, 11.
Deſcendentes per femininum ſexum præteriri poſſunt, 3, 26, 10.
Deſcendentes olim ferè numquàm ſine aliquo adjuncto nominabantur, 3. 26, 1.
Deſcendentes virilis ſexûs diſtinguendi ſunt à deſcendentibus ex virili ſexu, 3, 26, 7, *&* 8.
Deſcendentes ex feminis ſuorum appellatione non continentur, 3, 27, 9.
Deſignatio ac circumſcriptio certi loci aliquandò reſtringit legatum, 2, 28, 1, *& per tot. latiſſimè.*
Deſignatio certi loci laxiſſimum legatum reſtringit, 3, 2, 3, *&* 13.
Deſinere non poteſt, quod non cœpit, 4, 26, 5.
Deſtinatio patrisfamilias plurimùm attenditur an res legato contineatur, *ibid. ſect.* 17. 39.
Deſtinata res habetur pro ea cui deſtinata eſt, & ideò eodem jure cenſetur, *ibid. ſect.* 41.
Deſtinatio patrisfamilias ex quibus probetur, 5, 2, 3, *& ſeqq.*
Deſtinatio patrisfamilias eſt cùm ipſe rem aliquam animo aſſignavit alicui ſpeciei, de quâ diſpoſuit, 5, 2, 2.
Deſtinatio teſtatoris non facit ut in legato generis contineatur res, quam facere deſtinavit, cùm facere non cœperit, 5, 24, 4.
—— nec ſufficit quoquo modo rem inceptam fuiſſe, *ibid. ſect.* 6.
Determinatio plura determinans quæ in eâdem ora-

tione ſint, ea æqualiter determinat, non ea quæ in diverſis orationibus contineantur, 3, 17, 3.
Determinatio reſpiciens plura determinabilia, omnia æquè determinat, 3, 16, 1. & *per tot.*
—— etiamſi omnium non ſit par ratio, 3, 17, 5.
Detractiones legitimæ & Trebellianicæ competunt pro ratâ, 3, 6, 8.
Dicens aliud quàm vult, neque id dicit, quod vox ſignificat, 5, 15, 1.
Dictator non habebat merum imperium, 1, 3, 11. Quod dabatur ipſi à Senatu, aliquando lege Curiatâ, *ibid ſect* 14, & 15.
à Dictatore ad populum provocabatur, *ibid. ſect.* 12.
Dictum non eſt, quod verba non ſignificant, 4, 2, 3.
Dictum attenditur ſi minùs ſcriptum ſit, plus dictum, 3, 19, 12, 13, 14.
— ubi afferuntur exempla.
—— limita: ut, *ſect.* 15.
Diæta quid? 5, 25, 8.
Dies certus petitionem differt, non obligationem, 2, 16, 1.
Dies incertus duplex: & quandò conditionem faciat, *ibid. ſect* 5.
Dies omninò incertus facit conditionem tam in contractibus, quàm in teſtamentis, *ibid. ſect* 6.
Dies adjectus ad accelarandam ſolutionem non facit conditionem, *ibid. ſect.* 9.
—— item exonerandi heredis causâ, *ibid. ſect.* 10, & *c.* 27. *ſect.* 19.
—— item adjectus favore legatarii, 2, 16, 12.
—— item adjectus ſolutioni, *ibid. ſect.* 11.
Dies quandò præſumatur adjectus favore legatarii, *ibid. ſect.* 13.
Dies incerti effectûs quoad legatum, *ibid. ſ.* 15.
Dies incertus quis ſit? *ibid. ſect.* 17.
ſi Dies certus ſit adjectus gratiâ creditoris, antè diem ſolvi non poteſt, *ibid. ſect.* 18. ſecùs, ſi gratiâ debitoris, *ibid. ſect.* 19.
ante Diem nec repudiari nec agnoſci legatum poteſt, *ibid. ſect.* 20. ſed vide *ſect.* 23. & *ſeqq.*
ante Diem factam ſolutionem quomodò poſſit rejicere legatarius, *ibid. ſect.* 26.
antè Diem naſcitur obligatio, non transfertur dominium, & quare, *ibid. ſect.* 25.
Dies adjectus conditioni non differt ſolutionem: diſtinguitur & probatur latè, 2, 20, 1. & *ſeqq.*
Dies adjectus ſtipulationi facti differt petitionem, *ibid. ſect.* 4. & 5.
Dies adjectus conditioni non promiſcuæ non differt ſolutionem, 2, 21, 1. & *per tot. vide* ſeptem exceptiones, *ibid. ſect* 13. Et affertur ratio diſcriminis inter conditionem promiſcuam, & non promiſcuam, *ibid ſect.* 2.
Dies adjectus legato, non conditioni, expectandus eſt, *ibid ſect* 4.
—— item dies qui neceſſariò cohæret conditioni, *ibid ſect.* 7.
—— item adjectus ſolutioni, *ibid. ſect.* 13.
—— item adjectus demonſtrationis causâ, *ibid. ſect.* 17.
Dies, ſi adjectus ſit favore legatarii, deficiente conditione ſtatim defertur ſubſtitutis, *ibid. ſect.* 24.
Dies aliquandò reddit impoſſibilem diſpoſitionem: quando vitiet; quando detrahatur: quando ſecùs, 2, 24, 9, 40, 41, 42, 43.
Dies non ad finiendam obligationem, ſed ad differendam ſolutionem adjicitur: & quandò ſecùs: & quis effectus, 2, 27, 11.
Dies eodem modo cedit in legatis, & in fideicommiſſis tum univerſalibus, tum particularibus, 5, 8, 7.
—— n que hâc in re aliquid differunt, *ibid.*
Dies legatorum quando non cedat, niſi ab aditâ hereditate, 4, 21, 3.
Dies legatorum cedit à morte teſtatoris, nec aditio hereditatis diei ceſſioni moram facit, 4, 21, 2.
Dies intra quem fieri non poſſit, quod convenit, detrahitur ab inſtitutione, & legato, 4, 4, 12.
—— ſtipulationem verò vitiat, *ibid.*
Dies adjectus differt ſolutionem, non impedit obligationem, 3, 8, 30.
Dies incertus conditionem facit, 4, 5, 16.
—— non tamen in legato alimentorum & libertatis, *ibid.*
Dies incertus quandò non certum eſt an vivo legatario exiſtat, reddit legatum conditionale, 4, 5, 1.
Dies incertus executioni, ac ſolutioni legati adjectus non facit conditionem, 5, 20, 7.
Dies incertus in teſtamentis conditionem facit, 4, 5, 1. & 21, 7.
—— niſi certò extiturus ſit vivo legatario, *ibid.*
Diem legatorum vulgari modo proferre quid? 3, 22, 4.
Die ad opus perficiendum præfinito ſi non ſit perfectum, cùm potuerit, tenetur conductor in id quod intereſt, 4, 14, 13.
Dignitas legatarii conſideratur ad interpretandum legatum, 5, 8, 1.
Dignitas honoraria cedit dignitati meritis quæſitæ, licèt poſteriori, 3, 3, 1.
Dilatio ſolvendi legata heredi data in teſtamento ad codicillos producitur, 5, 2, 8.
Diligit quilibet filium magis quàm alios, & magis primo loco, quàm ſecundo vocatum, 2, 21, 20.
Diminutio valoris monetæ caſu fortuito accidit, 3, 11, 5.
Diſcere poſſumus quâcumque ætate, 5, 24, 1.
Disjunctim factâ ſtipulatione duarum rerum, electio eſt promiſſoris. 4, 17, 3.
Disjunctis legatariis teſtator ſolidum dat, licèt concurſu virilem partem quiſque habeat, 4, 3, 10.
Diſpoſitio à jure improbata corruit, 2, 14, 36. & *ſeqq.*

in Diſpoſitionem aliquandò influit vitium conditionis, *ibid. ſ. 36.*
Diſpoſitio captatoria, perplexa, & in alienam voluntatem collata quare non valeat, *ibid. ſ. 39.*
Diſpoſitio hominis non tollit diſpoſitionem juris, 1, 12, 51.
Diſpoſitio quæ facta fuit ob ignorantiam juris, redigi debet ad diſpoſitionem, 5, 12, 5, 8.
Diſpoſitio non confertur in eum, qui obiiſſe creditur, 5, 18, 11.
Diſpoſitio convenit ei, cui conveniunt verba diſpoſitionis, 3, 27, 11.
Diſpoſitio ex contextu ejuſdem eſt interpretanda, 3, 29, 4.
Diſpoſitio ſemper ita interpretanda, ut actus valeat, 4, 1, 18.
Diſpoſitio teſtatoris non valet, quando incertum eſt quid relictum ſit, 5, 31, 12.
Diſpoſitio facta per verba futurum tempus demonſtrantia extenditur ad futura, 3, 25, 15.
—— idem eſt ſi vis verborum hoc ferat, 3, 25, 31.
Diſpoſitio facta per verba utrumque tempus ſignificantia tam præſentia quàm futura continet, 3, 25, 29.
Diſpoſitio, quæ fiat per verba abſoluta, multum tempus deſignantia, non comprehendit futura, 3, 25, 24.
—— comprehendit tamen acceſſiones, *ibid.*
Diſpoſitio reſtrictior derogat latiori, ſi ab aliâ ſeparatim facta ſit, 3, 24, 10.
Diſpoſitio incerta poteſt fieri certa ex legis interpretatione, vel per electionem alicui à lege, vel à diſponente conceſſam, 4, 13, 8, 9.
Diſpoſitio rectè facta corruit, ſi ea poſt delabatur in vitium, quod, ſi ab initio fuiſſet, eam inutilem reddidiſſet, 4, 26, 23.
Diſpoſitiones collatæ in tempus mortis, antè illud non videntur perfectæ, 4, 21, 12.
Diſtributio hereditatis juxtà calculum partium à teſtatore aſſignatarum admodùm facilis, 4, 11, 11.
—— & neceſſaria, *ibid. ſ. 12.*
Dividens poſſeſſiones cum mancipiis inter filios, ſi generaliter commendet mancipia, unicuique commendat, quæ ei reliquit, 3, 20, 13.
Diviti legans alimenta non ex ejus indigentiâ, ſed ex benevolentiâ movetur, 5, 10, 6.
Dixiſſe nemo videtur quod mente non agitaverit, 4, 1, 4.
Doctorum appellatione non comprehenduntur ſcholares, 5, 24, 1.
Dolus dans cauſam contractui bonæ fidei ipſum vitiat ipſo jure, 1, 14, 1. & quare, *ibid. ſ. 41. & ſeqq. & per tot.* non autem contractum ſtricti juris, *ibid. ſect. 2, & 42.*
Dolus in contractibus bonæ fidei impedit conſenſum: non in contractibus ſtrictis: & quare, *ibid. ſect. 44, & ſeqq.*
Dolo facit qui petit contrà voluntatem teſtatoris, 2, 29, 9.
Domini duo in ſolidum eſſe non poſſunt, 1, 10, 44.
Dominia rerum traditionibus, non nudis pactis transferuntur, 1, 15, 1.
ad Dominium transferendum non eſt neceſſaria nova traditio, quando ea præceſſit ex aliâ causâ, & res in poteſtate ejus, cui tradi debet, *ibid. ſect. 2. & 3.*
Dominium cœpit à naturali poſſeſſione, *ibid. ſ. 3.*
ad Dominium transferendum quando neceſſaria non ſit rei præſentia, *ibid. ſect. 5.*
—— neceſſarius eſt affectus utriuſque contrahentis, 1, 16, 5.
Dominii tranſlationem error impedit, *ibid ſ. 4, & 1, 17, 3.*
Dominium aliud qui transfert, quàm quod vult, nihil transfert, 1, 16, 6, item qui vult transferre dominium, quod non habet, licèt ſit ex aliâ causâ dominus, *ibid. ſ. 8.*
Dominia ex diverſis cauſis quæſita, diverſa ſunt, *ibid. ſect. 10.*
Dominium transfert, qui illud transferre vult, licèt ignoret ſe illud habere, *ibid. ſ. 12.*
Dominium nac in re quomodò differat à libertate, *ibid. ſect. 14.*
Dominium quilibet transfert voluntate, aut juſſu Domini, *ibid. ſect. 7.*
in Dominio transferendo concurrere debet affectus utriuſque contrahentis, 1, 17, 4. & quare *ibid. ſect. 6.*
Dominii tranſlationem non impedit error, ſi utraque cauſa, in quâ erratum eſt, idonea ſit ad tranſferendum, *ibid. ſect. 5, & per tot.*
Dominii, & obligationis diverſa eſt quæſtio, *ibid. ſect. 1, & 8.*
in Dominii tranſlatione voluntas dantis attenditur, *ibid ſect. 12.*
Dominium non transfert nuda traditio, *ibid. ſect 13.*
Dominium transfertur etiam ex causâ putativâ, *ibid. ſect. 14.*
Dominium transfert, indebitum ſolvens, *ibid. ſect. 15.*
Dominium non transfert, qui habet mandatum à Domino, ſi proprio nomine, non verò domini tradat, *ibid. ſect. 16, & 17.*
Dominium rei debitæ ex ſtipulatu non niſi per traditionem tranſit in creditorem, 5, 22, 4.
Dominium à ſe avertere non poteſt qui nullum habet, 5, 22, 8.
Dominium traditione transfertur, non nudo pacto, 4, 21, 21.
Dominium traditione rei alienæ non transfertur, 4, 12, 22.
Dominium rerum dotalium à marito nec uxor ipſa avellere poteſt, 4, 22, 11.
Dominium rei apud duos in ſolidum eſſe non poteſt, 3, 9, 23.
Dominium non transfert, qui non habet, 5, 11, 2, & 10, 5.
Dominium rei legatæ rectâ viâ in legatarium

tranſit, 5, 22, 4.
Dominium rei legatæ per vindicationem rectâ viâ in legatarium tranſibat, 5, 20, 5.
Dominium de jure Quiritium olim à ſolâ lege dabatur, non à Prætore, qui ſolum bonitarium dabat, 4, 6, 5,
Dominium à naturali poſſeſſione cœpit, & ſine eâ non acquiritur, 3, 27, 4.
Dominium rei legatæ ipſo jure tranſit in legatarium, 3, 9, 18.
Dominium in re corporali conſiſtit, 3, 12, 4.
Dominium quandòque ſignificat uſumfructum, 3, 4, 15.
Dominium eſt jus ſummæ poteſtatis, quæ pertinet ad Principes, & eſt verum dominium, quod pertinet ad privatos ergà res proprias, 3, 4, 13, & 14.
Dominium traditione transfertur, non conventionibus, 3, 9, 4.
Dominium dicitur pluribus modis, 3, 4, 14.
Dominium ex naturali poſſeſſione incipit, 3, 9, 4.
Dominium principis non obeſt dominio privatorum, 3, 4, 13.
Dominium de jure Quiritium: dominium bonitarium, 3, 4, 14.
Dominium ſolidum ab initio acquiſitum cenſetur, etſi dominium partis in ſuſpenſo manſerit, 4, 10, 5.
Dominii appellatione ſervitutes quandòque continentur, 3, 4, 15,
Dominio areæ tranſlato, transfertur quoque dominium ædificii ſuper impoſiti, 3, 27, 1.
Dominiorum differentia à Juſtiniano ſublata, 4, 6, 5.
Dominus convivii qui modum ac normam bibendi præſcribebat; hic etiam modimperator dictus, 3, 4, 15.
Dominus dicitur etiam judex, *ibid.*
Dominus cùm ſolvit, poteſt quamcumque legem dicere rei quam ſolvit, 5, 32, 1.
Dominus pro indiviſo in quâlibet parte dominium habet, 4, 10, 5.
Dominus dici poteſt qui habet ſummam poteſtatem, licèt non ſit propriè dominus, qualis eſt dominus erga ſervum, 3, 4, 11.
—— hoc pertinet ad Principem, *ibid.*
Domini ſervi communis non ſunt conjuncti in legato uſusfructûs ſervo relicti, 4, 19 5.
Domini nomine appellati ſunt etiam privati, 3, 4, 8.
Donationis causâ imaginaria venditio, vel locatio non valet inter virum, & uxorem, 1, 29, 2.
Donatio antiquitùs fiebat nummo ſeſtercio: ſublatum id à Juſtiniano, *ibid. ſect.* 5.
Donationis causâ facta venditio, aut locatio non valet, *ibid. ſect.* 13. ſecùs ſi donationis causâ pretium, aut merces minuatur, *ibid. ſect.* 12.
Donare eſt perdere, 4, 12, 23, 26.
Donari videtur quod nullo jure cogente conceditur, 5, 1, 8.
Donatarium mortis causâ, tempore mortis capacem eſſe ſufficit, 4, 21, 12.
Donatio ex pactis adjectis transformatur in contractum innominatum, 5, 1, 8.
Donatio omnium bonorum præſentium & futurorum, quod valeat, probari poteſt, 4, 13, 5.
Donatio eſt, quandò ex ſolâ liberalitatis causâ datur, 5, 13, 4.
Donatio habet ſemper cauſam liberalitatis, quæ eam ſuſtinet, 5, 19. 4, 11.
—— niſi probetur aliàs donaturum non fuiſſe donatorem, *ibid.*
—— & liquidæ probationes requiruntur, *ibid.*
Donatio inter conjuges quare prohibita, 4, 25, 4.
Donatio concubinæ valet, *ibid.*
—— & meretrici, *ibid.* & 26, 24.
—— & manet licèt ea ducatur in uxorem, *ibid.*
Donatio inter patrem & filium non valet, 4, 23, 20.
—— & hodiè confirmatur morte patris: olim ſecùs erat, *ibid.*
Donatio inter virum & uxorem, morte donantis confirmatur, 4, 23, 20,
—— & tamquàm ex legato Falcidia detrahitur, *ibid.*
Donatio non facilè admittitur, quia donare eſt perdere, 5, 1, 8.
Donatio non eſt, cùm res eâ lege datur, ut donatarius alteri ſolvat, 5, 11, 2.
Donatio principis habet jus caſtrenſis peculii, 3, 1, 18.
Donatio inter virum & uxorem confirmatur, ſi donatarius donatori ſupervivat, ſi verò non ſupervivat, infirmatur, 5, 31, 17.
—— ambobus ſimul morientibus, videtur ſupervixiſſe donatarius, ut valeat donatio, *ibid.*
—— ſi mutuas donationes fecerint, uterque donatarius donatori ſupervixiſſe videtur, *ibid.*
Donatio causâ mortis ex pluribus cauſis revocatur, 5, 1, 9.
—— & eſt omninò ſimilis legatis, *ibid.*
Donatio causâ mortis ut nullo caſu revocetur, eſt donatio inter vivos, 5, 11, 13, & 1, 9, 10.
—— nec valet inter virum & uxorem, nec in eâ locum habet Falcidia, *ibid.*
Donatio causâ mortis inter virum & uxorem fieri poteſt, 5, 1. 9.
ex donatione mortis causâ heredibus quæſitum pro portione hereditariâ dividitur, 3, 6, 8,
Donationis confirmatio retrotrahitur ad tempus celebrationis, 4, 12, 24.
Donationes quæ legitimam ſummam excedunt, nec inſinuatæ donatoris morte confirmantur, 4, 23, 20.
—— ſed vires accipiunt tempore mortis tantùm, *ibid.*
—— & capiuntur jure legati vel fidei-commiſſi, *ibid.*
Dos cujus quantitas eſt in arbitrio conſtituentis, nulla eſt, 4, 15, 9.

Dos ut reſtituatur tardiùs quàm par eſt, conveniri non poteſt, 4, 12, 16.
Dos eſt patrimonium mulieris, & datur ad ejus alimenta, 5, 9, 6.
Dos à patre profecta ipſius & filiæ dos eſt, 5, 10, 10.
Dos filiæ conſtituenda eſt ex dignitate, facultatibus, & numero liberorum, 5, 8, 2.
Dos prælegata generali fideicommiſſo non continetur, 3, 21, 7.
—— nec in aliâ diſpoſitione factâ circà legata, *ibid.*
—— nec eſt ſubjecta legi Falcidiæ, *ibid.*
Dos conſtituitur pro dignitate mulieris & mariti, 3, 6, 4.
Dotem ipſo jure minuunt impenſæ in res dotales factæ, 1, 14, 11, & 12.
Dotis, & aliorum contractuum non eſt eadem ratio in retrotrahendâ conditione numerationis, 2, 12, 11.
Dotem marito numerari mulieris intereſt, nec poteſt maritus recuſare numerationem, *ibid. ſect.* 12.
Dotis æſtimatæ periculum pertinet ad maritum, 2, 24, 27.
Dotalis ſervus à marito manumitti poteſt invitâ uxore, 4, 22, 11.
Dotales res æſtimatæ periculo mariti pereunt, quia pretii debitor eſt, 4, 9, 5.
Dotis favor non prævalet regulæ de minimo ſequendo in obſcuris, 4, 18, 13.
Dotis promiſſio incertâ quantitate non valet, 4, 15, 8.
—— ſi verò non ab ipsâ muliere, ſed ab ejus patre promittatur, valet, *ibid ſect.* 9, & 10.
Dotis promiſſio conditionem habet matrimonii ritè contracti, 4, 23, 19.
—— & ſi malè contractæ nuptiæ poſteà confirmentur, à confirmatione incipit valere, *ibid.*
Dotis ſtipulatio non adjectâ quantitate valet, & quantitas conſtituitur pro modo facultatum patris, & pro dignitate mariti, 5, 9, 1.
Doti ſpecialia plura conceſſa à Juſtiniano. *in l. un. C. de rei uxor. act.* 4, 15, 8.
Dote prælegatâ ſi conſiſtat in rebus pignori obligatis, non cogitur heres eas luere, & liberas præſtare, 5, 16, 3.
In Dote datâ à muliere quidquid filiusfam. ſibi debet, venit id etiam ad quod pater de peculio vel de in rem verſo tenetur, 4, 18, 13.
—— filiusfam. ex omnibus cauſis obligatur excepto mutuo, *ibid.*
Dotium cauſa ſemper & ubique præcipua, 4, 15, 8.
Dotium publica cauſa eſt, 4, 18, 13.
—— & præcipua, *ibid.*
Duabus rebus alternativè in ſtipulationem deductis, utraque venit in obligationem, 5, 15, 9.
—— non tamen utraque ſimul debetur, ſed una ſolvi debet, *ibid.*
Duabus ſcripturis diverſas ſummas exprimentibus potior ea eſt, quæ minorem continet tam in contractibus, quàm in ultimis voluntatibus, 4, 16, 11, 12.
Duæ cauſæ lucrativæ in eumdem hominem, eamdemque rem concurrere non poſſunt, 4, 26, 20, & 20, 3.
—— ceſſat regula in quantitate, *ibid. ſect.* 4.
Dubiæ diſpoſitiones ita intelligendæ, ut actus potius valeat, quàm pereat, 4, 13, 7.
—— non item ſi omninò non appareat perſona in quam conferuntur, *ibid.*
—— etiam in legato libertatis, *ibid.*
Duo domini ejuſdem rei in ſolidum eſſe non poſſunt, 4, 19, 8, & 5, 21, 18.
—— nec eadem res in ſolidum pluribus deberi, *ibid.*
Duobus legatum contendentibus, admittitur qui probaverit de ſe teſtatorem ſenſiſſe, 4, 13, 10.
—— & heres cui vult ſolvit, ſi ambo parati ſint cavere ſe defenſuros heredem, ſi minùs rectè ſolvit, *ibid.*
—— & ſi ſolvere nolit, debet ſatis dare, ſe ſoluturum ei qui probaverit, *ibid.*
Duobus reis in ſolidum obligatis, unâ ſolutione uterque liberatur, 5, 15, 3, 6.
—— uterque debet integram ſummam, *ibid. ſ.* 10.
Duobus facta ſubſtitutio ſi in pupillari ætate deceſſerint, locum non habet, niſi ambo in pupillari ætate decedant, 4, 1, 23.
Duplæ cautio ex conventione remitti poteſt, ſicuti actio redhibitoria, 4, 12, 12.
Duplum reſpectu exceſsûs idem eſt ac dimidium reſpectu defectûs, 3, 7, 17.
Dux erat comes ſecundi ordinis, 3, 3, 6.
Duces quandoque inferiores, quandòque digniores Comitibus, 2, 3, 5.

E

Eccleſiæ datum eodem modo conſideratur, ac quod datur Perſonis Eccleſiaſticis, 4, 18, 12.
Edicta Prætorii habebant vim legis exemplum, 1, 6, 6.
Edictum Prætoris lex annua, *ibid. ſ.* 16.
Edictum tralatitium quod? *ibid. ſ.* 18.
Edictum ſuum Prætor aliquandò non obſervabat, *ibid. ſ.* 19.
Edictum proprium Prætor obſervare tenebatur tùm Senatuſconſ. tùm lege Corneliâ, *ibid. ſect.* 21, & 25.
Edictum anteceſſoris Prætor mutare poterat etiam poſt legem Corneliam, *ibid. ſect.* 21. *& ſequ.* ubi nova Edicta.
Edicta nova poſt legem Corneliam, *ibid. ſect.* 22.
Edicta alia perpetua, alia temporaria, *ibid. ſ.* 26.
Edicta temporaria quæ. *ibid ſect.* 28.
Edictum perpetuum ab Adriano, *ibid. ſect.* 29.
—— an habeat vim legis, & quomodò, *ibid. ſect.* 30, 31, & *ſeqq.*

Digitized by Google

—— an etiam poſt Juſtinianum propriam naturam retineat, *ſect.* 35.
ex Edicto etiam hodiè bonorum poſſeſſio datur, non autem poteſt hereditas adiri, *ibid. ſ.* 33.
Edictum Prætoris etiam hodiè non tollit obligationes, quas impugnat, *ibid. ſect.* 34.
Electio rei legatæ indiſtinctè tribuitur legatario, 5, 20, 5.
Electio ſtipulanti competens tranſit in heredem, 5, 15, 12.
—— non verò in legatarium, *ibid.*
Electio plerùmque eſt debitoris, 4, 14, 2.
—— niſi creditor expreſſè eam ſibi reſervet, 5, 15, 12.
Electionem habens neque peſſimum, neque optimum eligere debet, 4, 13, 8.
Electionem habens rei vel æſtimationis, non poteſt eligere partem rei & partem æſtimationis, 4, 10, 10.
Electio dari non poteſt, niſi inter plura, 5, 15, 12.
Electionis facultatem tribuit tam lex, quàm homo, 4, 13, 9.
Emancipati jure prætorio in ordine ſuorum heredum ad ſucceſſionem vocati, 3, 27, 2.
Emancipatus poſt reſciſſum querelâ teſtamentum an poſſit repudiare hereditatem, 1, 8, 9, *& ſeqq.*
Emancipatus agendo querelâ inofficioſi agnoſcit ſucceſſionem, *ibid. ſect.* 12.
Emancipatio neceſſaria eſt bonorum poſſeſſio litis ordinandæ gratiâ: & quâ de causâ, *ibid. ſect.* 4. 14. *& ſeqq.*
Emancipatus jure civili nullum jus habet in paternâ hereditate, *ibid. ſect.* 15.
Emancipatum exheredando pater injuriâ non afficit de jure civili, *ibid. ſect.* 16.
Emancipatus redditur capax ſucceſſionis obtinendæ per querelam inofficioſi bonorum poſſeſſione litis ordinandæ gratiâ, *ibid. ſect.* 17, *&* 18.
Emancipatus omiſſâ patris hereditate poteſt conſequi legatum, 1, 9, 84.
Embamma quid? 3, 21, 19.
Emphyteuſis recidit per non ſolutionem canonis ſed ſolùm domino volente, 1, 10, 37.
Emptionem vitiat error in materiâ, 1, 19, 5. ſecùs ſi materia non ſit omninò diverſa, *ibid. ſect* 7. ſed explica ut. *ibid. ſect.* 8.
Emptionem non vitiat error in qualitate, *ibid. ſect.* 3.
Emptio valet ſi ematur mulier pro virgine, *ibid. ſect.* 5, *&* 6, ſecùs ſi ematur virgo pro puero, *ibid. ſect.* 5.
Emptio valet, ſi ematur metallum inauratum pro auro, *ibid. ſect.* 7. ſecùs ſi ſit auro coopertum, *ibid. ſect.* 8.
Emptio omninò valet, cùm venditor ad præſtandam rem venditam, emptor ad pretium tenetur, *ibid. ſect.* 9.
ex Emptione invalidâ datur actio ex empto, *ibid.*
Emptio, & venditio inter virum, & uxorem donationis causâ facta non valet, 1, 29, 4.
—— in aliis cauſis valet jure donationis, non venditionis, *ibid. ſect.* 3.
—— facta uno numero quare non valeat, *ibid. ſect.* 9.
de Emptionis ſubſtantiâ eſt pretium; non tamen ut ſit juſtum, *ibid. ſ.* 11.
Emptio facta viliori pretio donationis causâ valet, *ibid.* ſecùs ſi totum pretium donationis causâ remittatur, *ibid. ſ.* 13.
Emptionis & venditionis nomina promiſcuè accipiuntur, 2, 2, 20.
—— utrumque nomen ſignificat totum contractum, *ibid. ſect.* 21.
Empti, & venditi actiones aliquandò confunduntur, *ibid. ſ.* 22.
Emptioni, & venditioni pacta à venditore adjiciuntur, *ibid. ſect.* 15. quibus plerùmque venditor obligatur, *ibid. ſ* 12.
—— cùm ab emptore pacta adjiciebantur, hic interponebat ſtipulationem, *ibid. ſ.* 16.
in Emptione & venditione modus fundi à venditore dicitur, *ibid ſ.* 23.
Emptio ſine re conſiſtere non poteſt, 4, 16, 13.
Emptio & venditio dolo, metuve inita reſcinditur, vel emendatur, 3, 7, 4.
Emptio reſcindenda ſive emendanda non eſt ob pretii exceſſum ſive paucitatem, 3, 7, 2.
Emptio & venditio perfecta eſt ſimul ac de pretio ac de re convenit, 4, 26, 2.
Emptio reſolvitur ſi fundus venditus publicatus fuerit, *ibid.*
—— vel ſi res vendita in commercio eſſe deſinat, *ibid.*
Emptio, ſi placuerit res empta, valet, 3, 30, 12.
—— non item ſi emptor voluerit, *ibid.*
Emptio valet etiamſi plus minùſve juſto pretio res venierit, 4, 16, 6.
Emptio ſine pretio nulla eſt, 4, 12, 23.
Emptio & venditio ſine certâ re & pretio nulla eſt, 4, 15, 4.
Emptio ſubſiſtit ſi venditor remittat pretium emptori ad ſolvendum parato, 4, 12, 26.
—— ſive ſi emptor & locator aliquid accipiat pro pretio, vel pro mercede, *ibid.*
Emptio tranſit in donationem, cùm id, quod ex conventione datur vicem pretii gerere non poteſt, 4, 12, 26.
Emptio & locatio id exigunt, ut venditor rem, emptor pretium, locator uſum rei, conductor mercedem transferat, 4, 12, 26.
—— ſi nolint pretium aut mercedem accipere irrita ſit emptio & locatio, *ibid.*
—— & tamen emptor rem, conductor uſum conſequitur, *ibid.*
Emptionis ſubſtantia conſiſtit ex pretio, 4, 12, 23.
Emptione emendatâ & ad juſtum pretium redactâ venditor tenetur de evictione, 3, 7, 1.
in Emptione & venditione licet ſe mutuò circumvenire, item in locatione, 3, 7, 1, *&* 4, 16, 6.

Digitized by Google

Emptor viliore pretio comparare, venditor cariore vendere vult, 3, 7, 1.
Emptor tenetur ſcire qualitatem & pretium rei venditæ, *ibid.*
Emptor & venditor poſſunt ſe circumvenire in pretio, non in ipsâ re venditâ, alioquin tenentur emendare, 3, 7, 3.
Emptor in materiâ deceptus repetit à venditore quanti intereſt, 4, 16, 4.
Emptor volens ad emendum accedit, 3, 7, 11.
—— & plures affectiones illum inducunt ad emendum, *ibid.*
Emptor ut læſus ſit immodicè, debet recipere rem, quæ valeat minùs quàm dimidium pretii quod ſolvit, 3, 7, 14, 17.
Emptoris ac venditoris conditio par eſſe debet, 3, 7, 10.
Emptoris conditio impar eſſet conditionis venditoris juxtà opinionem gloſſæ, *in l. 2. C. de reſc. vend.* 3, 7, 15.
Emptorem rem amittere, & venditorem pretium retinere eſſet contra bonam fidem, & naturalem æquitatem, 4, 12, 17.
—— idem eſt ſi pars evincatur, *ibid.*
Equitii uſu legato non poterat legatarius equis uti in Circenſibus, niſi teſtator ſciret eſſe aurigam legatarium, 5, 8, 15.
Equi nonnulli ex vento gigni credebantur, 5, 29 *ſect.* 4.
Equorum Curulium, ſive circenſium præſtantia, 5, 29, 2.
—— & ſinguli proprium nomen habebant, *ibid. ſect.* 3.
—— & ex eo, ex patriâ, ex genealogiâ æſtimabantur, *ibid. ſ.* 4.
Equus quadrigæ demonſtrator quis, 5, 29, 6. *& ſeq.*
—— eo interempto videtur deſinere eſſe quadriga, *ibid. ſect.* 10.
—— ab eo pendebat victoria, *ibid.*
—— ei honores, & præmia & immoderata affectio, *ibid. ſect.* 11.
Error contrarius eſt conſenſui, 1, 16, 1, *&* 2, 2, 2.
Error vitiat omnem actum, 1, 16, 2, *&* 2, 2, 1. *& ſeq.*
Error in corpore rei vitiat contractum, 1, 16, 13. *&* 2, 1, 1.
Error impedit dominii tranſlationem, 1, 16, 4. *& per tot. &* 1, 17, 3.
Error in causâ contrahendi vitiat obligationem, 1, 17, 1.
Error non impedit dominii tranſlationem, ſi utraque cauſa ſit idonea ad dominium transferendum, *ibid. ſect.* 5. *& per tot.*
Error in nomine proprio non vitiat actum: exempla in inſtitutione, legato, contractu, judicio, 1, 18, 3.
Error in nomine appellativo legatum vitiat, *ibid. ſect.* 5.
Error in corpore rei vitiat contractum: ſecùs error in corpore pecuniæ numeratæ, & quando: item in acceſſione, & quare, 1, 19, 1.
Error in qualitate non vitiat venditionem, *ibid. ſect.* 3.
Error in materia vitiat venditionem: *vide* exempla, *ibid. ſ.* 5.
—— non vitiat, ſi materia non ſit omninò diverſa, *ibid. ſ.* 7. limit. & explic. *ibid. ſ.* 8.
Error in materia non vitiat alios contractus, *ibid. ſect.* 6.
Error in acceſſione non vitiat contractum, nec in re principali, nec in ipsâ acceſſione, 2, 2, 3, 4.
Error differt ab ambiguo, *ibid. ſ.* 24.
Errantis nullus eſt conſenſus, 4, 16, 4, 5.
Error in ſubſtantia rei vitiat emptionem, 3, 21, 19.
Error conſenſui eſt omninò contrarius, 5, 18, 3.
Error non nocet, cùm conſtat de re demonſtratâ, 5, 18, 11.
Error in officio vel artificio ſervi legati non vitiat legatum, 5, 14, 7.
Error in deſignandâ perſonâ legatarii non vitiat, ſi de illa conſtet, *ibid.*
Error in quâcumque rei perſonæve qualitate intrinſecâ vel extrinſecâ non vitiat, 5, 14, 8.
Error in quantitate quandò obrepere poſſit in contractibus præter emptionem, 4, 16, 8.
Error in qualitate non vitiat contractum, 4, 16, 4. præter emptionem, *ibid.*
Error in quantitate quandòque vitiat legatum, 5, 14, 9.
Error in quantitate pretii vitiat emptionem & venditionem, 4, 16, 5, 7.
Error in quantitate non impedit validitatem actûs, 4, 16, 1, *& ſeqq.*
Error in ſubſtantiâ, ſicut in corpore, actum vitiat, 4, 16, 1, 7.
Error indubitatè probandus eſt: alias ſtandum eſt ſcripturæ, 4, 16, 1.
Errore deceptus diſponens non conſentit, 5, 12, 10.
Evictio à venditore præſtanda, 4, 12, 17.
—— & contraria conventio non tenet, *ibid.*
Exæſtuo. *Vide* Maris æſtus.
Exceptiones comparatæ ſunt ad elidendas actiones, 1, 14, 3.
—— non habent locum ſi nulla ſit actio, *ibid. & ſect. ſeqq.*
Exceptio ineſt contractibus bonæ fidei, *ibid. ſ.* 6.
—— ineſſe dicitur, cùm actio non datur, *ibid. ſ.* 9. *& ſeqq.*
Exceptio doli datur quoties quis dolo petit: etiamſi dolo non contraxerit, *ibid. ſ.* 8.
Exceptio aliquando dolum ſignificat, *ibid. ſ.* 16.
Excipere, & recipere quid, *ibid. ſ.* 17.
Exceptio dicitur conditio: & quare, *ibid. ſ.* 31.
—— petebatur à Prætore, & an danda eſſet in jure diſputabatur, *ibid. ſ.* 29.
—— in ſtrictis judiciis omninò à Prætore impetranda, *ibid. ſ.* 30.
—— cur initio conteſtanda, *ibid. ſ.* 32.
Exceptionem in bonæ fidei judiciis neceſſe non erat à Prætore poſtulare: & quare, *ibid. ſ.* 33.
probanda tamen erat à debitore, *ibid. ſ.* 39.

Exceptio efficit, ut includantur non excepta. 2, 28, 26. ſiquidem ea ſint ejuſdem generis, *ibid. ſect.* 29. 31.

Exceptores erant ſcribæ qui dicta loquentis excipiebant, & velociter notis ſcribebant, 3, 1, 11.

—— & in acta legebant Præſidis; hinc actuarii appellati, *ibid.*

Exceptio per proponentem probari debet, 5, 19, 3.

Exceptio pacti conventi quam habet debitor principalis, non prodeſt fidejuſſori, 3, 8, 51.

Exceptio, quâ repelleretur creditor ſi ageret adversùs debitorem, obſtat fidejuſſori, ſi agat actione ſibi a creditore ceſſâ, 3, 8, 45.

Exceptio doli datur etiam cùm nullus dolus actoris interceſſit: ſed cùm ipſa res in ſe dolum habet, ipſe qui petit dolo facit, 5, 3, 4.

Exceptiones diverſas reo allegare licet, 4, 16, 16.

—— & alia contraria proponere, *ibid.*

Exceptio alicujus rei probat comprehendi alias res non exceptas, quæ ſub genere exceptæ continentur, 4, 8, 10.

Exceptio ſi datur, neceſſariò datur actio, 5, 3, 3.

Exceptio eſt actionis excluſio, *ibid.*

Exceptio pacti conventi quandòque à naturali æquitate abhorret, 4, 12, 10.

Exceptio debet eſſe de comprehenſis in diſpoſitione, 5, 17, 5.

Exceptio firmat regulam in non exceptis, & demonſtrat, de quâ re diſpoſitum fuerit, 3, 25, 9.

Exceptiones perſonales, quæ obſtant cedenti, non obſtant ceſſionario, 3, 8, 46.

—— contrà ſi foveat cauſam lucrativam, *ibid.*

Exceptiones perſonales debitori competentes ad alios non transferuntur, *ibid.*

—— ipſe autem contrà omnes à creditore cauſam habentes uti poteſt, *ibid.*

Exceptiones perſonales competentes contrà creditorem ipſi ſoli, non aliis ab eo cauſam habentibus opponi poſſunt, *ibid.*

—— contrà ſi foveant cauſam lucrativam, *ibid.*

—— vel ſi res reverſura ſit ad ipſum auctorem, *ibid.*

Exceptiones reales proſunt fidejuſſori, non verò perſonales, 3, 8, 5.

Exheredatus non admittitur ad bonorum poſſeſſionem contrà tabulas; & quâ de causâ, 1, 7, 21, *&* 1, 11, 36.

Exheredatio afficit majori injuriâ, quàm præteritio, 1, 10, 41.

Exheredatio non vitiat teſtamentum: & quare, 1, 11, 19.

Exheredato datur querela inofficioſi, ſi præteritus accipiat contrà tabulas: ſi verò dicat teſtamentum nullum, datur *undè liberi, ib. ſ.* 37.

Exheredari filius poſt mortem ejus non poteſt, 4. 29. 10.

—— neque inſtitui, *ibid.*

Exheredari non poteſt filius antè aditam hereditatem, vel poſt eam aditam, 4, 29, 1.

Exheredatio eſt odioſa, 3, 30, 6.

Exheredatio, non aditâ hereditate, nullius momenti eſt, *ibid.*

Exheredatio facta poſt mortem filii inutilis eſt, *ib.*

Exheredatio cum convicio fieri poteſt, 5, 13, 5.

—— nota & contumelia appellatur, *ibid.*

Exheredatio ſub conditione fieri non poteſt, 4, 29, 10, *&* 4, 30, 9.

Exheredatio non valet non aditâ ex teſtamento hereditate, 4, 29, 1.

Exheredationes non ſunt adjuvandæ, 5, 18, 12.

Exheredatus cum falsa demonſtratione non videtur exheredatus ex benignâ interpretatione, 5, 18, 12.

Expreſſum nullam vim habet, ſi natura actûs illud reſpuat, 3, 30, 6.

Expreſſum & tacitum non habent eumdem effectum, ſi verba ex legis interpretatione diverſum quid contineant, 3, 30, 15.

Expreſſum ac tacitum, ſi diverſa contineant, eamdem vim non habent, 3, 30, 9.

Expromiſſor quis ſit & undè dicatur, 2, 25, 1.

Expromittere quandò quis dicatur, *ibid. ſ.* 2.

Expromittente pupillo fit novatio, *ibid. ſ.* 3. nec reſtituitur actio adversùs veterem debitorem, *ibid. ſect.* 4.

Expromittente muliere actio reſtituitur, *ibid. ſect.* 6, 14, 18. item expromittente minore; & quare *ibid. ſ.* 8, 9, 22. ſecùs expromittente muliere impubere, *ibid. ſect.* 16.

F

FAciliùs ſuſtinetur id quod anteà erat rectè conſtitutum, quàm initio rectè conſtituatur, 4, 25, 10.

Facta neque finguntur, neque præſumuntur, 1, 9, 4.

Factum agenti nocere debet, non adverſario, 5, 15, 4.

Factum cuique ſuum nocere debet, 3, 8, 17, *& ſect.* 48.

Factum alienum non rectè promittitur, niſi ſub pœnâ, 2, 4, 17.

Factum alienum nemini nocet, 2, 15, 25.

Facultates teſtatoris examinandæ ſunt ad interpretandam diſpoſitionem, 5, 7, 11.

—— item ejus ars, ſive miniſterium, *ibid.*

Falcidia debetur etiam in portione eorum fideicommiſſariorum, qui heredem ad adeundum non coëgerant, 4, 7, 7.

Falcidia detrahitur ex donationibus causâ mortis, 5, 1, 9.

Falcidiâ ex legatis coheredi præſtandis retentâ, non poſſunt obtineri legata ipſi heredi Falcidiam retinenti relicta, 5, 3, 6.

Falſa cauſa legatum non perimit, 5, 14, 3.

Falſa cauſa debendi, ſi exprimatur, non nocet vero debito præexiſtente, 5, 14, 4.

Falſa cauſa meritorum legatum non perimit, 5, 19, 6.

Falſa cauſa non vitiat legatum aut inſtitutionem, 5, 19, 3, 4, 12.
—— niſi probetur, eâ deficiente, teſtatorem inſtitururum, vel legaturum non fuiſſe, *ibid.*
—— tunc enim datur heredi exceptio doli, *ibid.*
Falſæ cauſæ idem juris eſt, & magis ac falſæ demonſtrationis, 5, 19, 11.
Falſa demonſtratio adjici poteſt legatis rerum incorporalium, 5, 21, 1.
Falſa demonſtratio legati nocet legato; indicat enim legatum fuiſſe, quod verè non fuit, 5, 15, 2.
Falſa demonſtratio perimit inſtitutionem, cùm demonſtrat partem, quæ nulla eſt, datam eſſe, 5, 10, 1.
—— perimit legatum, cùm deſignat certum corpus, quod in rerum naturâ non ſit, vel rem incorporalem quæ non ſit, *ibid.* *ſect.* 2, 7, 9.
Falſa demonſtratio rei, quæ non eſt, tollit rem legatam, deficitque ſubſtantia legati, 5, 10, 9.
Falſa demonſtratio debiti quocumque modo ſuo debitori relictum legatum vitiat, niſi probetur teſtatorem voluiſſe legare, quantitatem quondam debitam, non jus liberationis, 5, 32, 3.
Falſa demònſtratio aut cauſa, cujuſcumque generis ſit, non nocet inſtitutioni, vel legato, niſi probetur teſtatorem aliàs relicturum non fuiſſe, 5, 19, 9.
Falſa demonſtratio, ſi cadat in ſermonem generalem, vitiat legatum, 5, 14, 8.
Falſa demonſtratio perſonæ vel rei legatæ non nocet legato, ſi aliundè conſtet, quid cuique legaverit, 5, 15, 2.
Falſa demonſtratio legati non facit legatum, *ibid.*
Falſa demonſtratio verborum cedere debet veritati, 5, 15, 1.
Falſa demonſtratio cognationis fortaſsè vitiat inſtitutionem cognati proximi, uti filii, vel fratris, 5, 19, 7.
Falſa deſignatio loci legato non nocet, 5, 14, 6.
Familiæ nomen in uſu juris modò ſtrictè, modò latè accipiendum, & qui ſub eo comprehendantur diverſimodè, 3, 28, 7.
Familiæ quid relinquere debens, cuicumque de familiâ poteſt relinquere, 4, 1, 22.
Familiæ relicto fideicommiſſo nominati præferuntur iis, qui ab-inteſtato ſuccederent, 4, 1, 16.
Familiæ noſtræ ſplendorem conſervari & ampliari nobis expedit, 3, 28, 11.
Familiarum, & ordinum dignitatem ſalvam voluit eſſe jus civile, 3, 28, 12.
Favor alicui datus non debet in ejus incommodum verti, 4, 10, 11.
Favore ſui ipſius introducta contemni poſſunt, 4, 12, 12.
Favore libertatis in dubio reſpondendum, 4, 21, 16.
Femina nubens in familia an conſervet, & propaget agnationem, 1, 13, 47. & *ſeqq.*
Femina per nuptias non tranſit in familiam viri, *ibid ſect.* 48.
—— manet in poteſtate patris, ejuſque agnata, *ibid.*
—— nec fit cognata viri, ſed affinis, *ibid.*
Feminæ olim ſæpiſſimè nubebant in familiâ: afferuntur plura exempla, *ibid. ſect.* 52.
Feminæ ultrà ſorores lege Voconiâ non ſolùm excludebantur à maſculis, ſed erant omninò incapaces, 4, 1, 7.
Feminæ ſunt caput & finis familiæ, 3, 28, 8.
—— & ſunt in familiâ in quâ ortæ ſunt, non in quâ ſunt matres, *ibid.*
Feminæ ſuos heredes non habent, 3, 26, 9.
—— nec qui ab eis deſcendunt, ſui heredes eſſe poſſunt, *ibid.*
Feminæ deſcendentes ex maſculis an ſuccedant, vocatis deſcendentibus maſculis, 3, 26, 4, & *per tot.*
Feminæ ad legitimas hereditates ultrà conſanguineas non admittebantur. 3, 26, 8.
Feminæ poſthumæ inter cæteras exheredari poterant, dum aliquid eis in teſtamento relinqueretur, 3, 26, 9.
Feminæ non ſemper imbecilles; nonnullæ prudentiſſimæ, 5, 10, 3.
—— ſemper tamen ſunt in tutelâ, *ibid.*
Feminis vocatis, maſculi deſcendentes ex feminis certò admittendi, 3, 27, 8.
Feminis æquè ac maſculis vocatis, feminæ ſimul cum maſculis ſunt admittendæ, 4, 2, 10. & *ſeqq.*
Feminis & maſculis vocatis, an ſimul cum maſculis, vel poſt eos admittantur, 4, 2, 1, & *per tot.*
Feminas teſtatori conjunctas & vocatas propter maſculos remotiores excludi abſurdum, 4, 2, 2.
Feuda regulantur à lege & conditionibus inveſtituræ, 3, 27, 10.
à Feudis ad fideicommiſſum argumentum non valet, 3, 27, 7, 10.
Fictio cedere debet veritati, & valet quod ex animo agitur, non quod fingitur, 3, 18, 23.
Fideicommiſſum univerſale non agnitum ad heredes an tranſmittatur, 4, 6, 7, 8, & *per tot.*
Fideicommiſſum univerſale etiam non agnitum ad heredes tranſmittitur, fideicommiſſario poſt diei ceſſionem decedente, 4, 8, 1.
Fideicommiſſum univerſale eſt quædam ſubſtitutio, 4, 6, 2.
Fideicommiſſum à teſtatore transferri poteſt ab uno ad alium fideicommiſſarium non ſolùm poſt diei ceſſionem, ſed etiam poſt reſtitutionem, & quandòcumque, 4, 8, 7.

Digitized by Google

Fideicommiſſum agnitum ab abſente ad heredes tranſmittitur, 4, 6, 7.
Fideicommiſſum relictum ſub conditione *ſi heres voluerit*, neque conditionale eſt, neque ſubſiſtit, 5, 30, 4.
—— at ſub conditione niſi *heres noluerit* & valet, & conditionale eſt, *ibid.*
Fideicommiſſum reſtitue dum *acceptis centum nummis*, à fideicommiſſario, eo decedente antequàm nummos daret, intercidit, 4, 6, 11.
Fideicommiſſum agnoſcit, qui cogit heredem adire, ut reſtituat, 4, 7, 5.
Fideicommiſſum legati appellatione continetur, 5, 8, 7.
Fideicommiſſum conditionale intercidit, fideicommiſſario decedente antè ceſſionem Diei, 4, 6, 12, & 13.
Fideicommiſſum etiam nutu relinqui poteſt, 3, 19, 16.
Fideicommiſſum reſtituendum, cùm heres moritur, eſt conditionale, 4, 6, 14.
Fideicommiſſum univerſale de ſui naturâ, ſimile eſt hereditati: quo verò ad acquiſitionem ſimile eſt legatis, 4, 6, 4.
Fideicommiſſum adeſſe aliquandò accipitur, licèt deſint verba fideicommiſſi, 3, 19, 13.
—— ubi & de mutuâ ſubſtitutione in l. *cùm proponebatur*, 64. *ff. de leg.* 2.
Fideicommiſſum reſtituitur pro portione, quâ quis heres extitit, 3, 6, 8.
Fideicommiſſum univerſale eſt hereditas, 4, 6, 1.
Fideicommiſſum ſingulare exæquatur legato, 4, 5, 1.
Fideicommiſſum, ſicuti legatum, rei propriæ fideicommiſſarii non valet, 5, 11, 12.
Fideicommiſſum agnoſci poteſt per procuratorem, 4, 6, 7.
Fideicommiſſi univerſalis idem jus ac legari quoad ceſſionem Diei, 4, 8, 3, *&* 4.
Fideicommiſſi univerſalis dies cedit ſicut in legatis, 4, 8, 4.
—— & fideicommiſſario decedente, poſtquam dies ceſſit, tranſmittitur, *ibid.*
Fideicommiſſo omnium bonorum continentur ea, quæ poſt teſtamentum heredi data codicillis ſunt, 3, 25, 6.
Fideicommiſſo omnium bonorum non comprehenditur dos prælegata uxori, 3, 21, 7.
Fideicommiſſo ſub conditione relicto, poteſt fideicommiſſarius cogere ſtatim heredem ut adeat, 4, 6, 10.
Fideicommiſſa relinquuntur ſine verbis, 4, 1, 23.
Fideicommiſſa potiùs conjecturâ & mente teſtatoris, quàm ſignificatione verborum interpretantur, *ibid.*
Fideicommiſſa olim non involvebant neceſſitatem, 3, 21, 17.
Fideicommiſſa poſt mortem heredis relicta, ſunt conditionalia, 4, 8, 12.
—— & fideicommiſſario antè heredem gravatum, decedente, non tranſmittuntur, *ibid.*
Fideicommiſſa legatis exæquata, & quidquid de legatis diſponitur, fideicommiſſa comprehendit, 3, 21, 17.
Fideicommiſſa interpretanda ut potiùs valeant, 5, 11, 8.
Fideicommiſſarius antè diem cedentem decedens, non poteſt fideicommiſſum tranſmittere, ſi poſt diem tranſmittit, 4, 7, 11.
Fideicommiſſarius decedens poſt mortem teſtatoris, aut poſt impletam conditionem tranſmittit fideicommiſſum, 4, 8, 5, *&* *plur. ſeqq.*
Fideicommiſſarius habet heredem ſibi obligatum ad reſtituendam hereditatem, 4, 6, 4.
—— & cogere poteſt, ut adeat, & ſibi reſtituat, *ibid.*
Fideicommiſſarius recipit hereditatem ab herede, qui fuit obligatus à defuncto, 4, 6, 6.
—— & hanc tranſmittit ad heredes, ſi moriatur poſtquàm ejus dies ceſſit, *ibid.*
Fideicommiſſarius heredis loco habetur, 4, 6, 1.
Fideicommiſſario antè reſtitutionem decedente, reſtituitur ejus heredibus, 4, 7, 10.
Fideicommiſſarius antè reſtitutam ſibi hereditatem non eſt Dominus, neque heredis loco habetur, 4, 6, 4.
—— tunc enim in eum transferuntur actiones, *ibid.*
Fideicommiſſaria hereditas vendi poteſt, 4, 7, 7.
Fidejuſſori qui rejicitur, fit injuria; non tamen ſemper, 1, 22, 1. & quare, *ibid. ſect.* 6.
Fidejuſſoris rejiciendi multæ ſunt cauſæ, & quæ illæ ſint? *ibid.*
Fidejuſſor ut ſit idoneus, fides & facultates requiruntur, *ibid. ſect.* 2, & 5.
Fidejuſſor idoneus non eſt, pauper, *ibid. ſect.* 3.4.
Fidejuſſor qui rejicitur, tamquàm pauper arguitur, aut fide indignus, *ibid. ſect.* 6.
